






1
7
246














VESVVIVS ARDENS

siue

EXERCITATIO Medico-Physica

Ad Ῥιγόπυρετον, *Ideſt,*

Motum & Incendium Veſuuij montis in Campania.

xvj. Menſis Decembris, Anni MDCXXXI.

Libris II. comprehenſa.

VINCENTII ALSARII CRVCII
GENVEN.

In Romana Sapientia Medicinæ Practicæ Profeſſoris, olim Gregorij XV. Medici & Cubicularij Secreti; nunc Vrbani Papæ VIII. Cubicularij ab Honore.





ROMÆ, Ex Typographia Guilelmi Facciotti. MDCXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.


A. Torniellus Vicesgerens.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.

ILLVSTRISSIMIS ELECTIS INCLYTÆ CIVITATIS NEAPOLITANAE;

Nempe,

D. ANTONIO CARACCIOLO,
CAROLO ROCCO,
CAESARI ANTONIO MORMILI,
D. FERDINANDO PAGANO,
FRANCISCO PIGNATELLO,
MARCO ANTONIO MVSCETTVLAE, &
ANTONIO DE ANGELO.



Vincentius Alſarius Crucius F.P.



MVLTA hactenùs multi, ingenij acie & vberi doctrina perornati, de Veſuuij montis notiſſimi tremore, atque incendio(quæ ambo infortu[illegible] ab hinc menſibus, poſt adeò longam, ſed nuſquam tutam, indulgentiam, horrifica nimis, funeſtaq. accolis, & vicinis fuerunt) arguta ſimul, & accurata commentaria, vel à tantorum accidentium exortu, aut primo..ijs, edidere. Vt ob id inculti huius, craſſoq. filo

contexti laboris nimis forſitan ſerotinæ diuulgationi parcendum mihi foret; Quod ſanè alijs quoque nominibus feciſſem non inuitus, potiſſimùm verò, ne Lectorum animis tam ſuaui, delectabiliq. Olorum concentu geſtientibus, quaſi anſer, importuno clangore obſtrependo, moleſtus eſſem, & ne pariter vlcus, quod iam ferè occaluit, refricare voluiſſe dicerer. Sed qui me ad eum ſubeundum, concipiendumq́. per initia hortati ſunt, nec hodie ad illum conformatum promulgandum ſolicitare deſinunt; ne ſileam quoque, fœtum quemlibet non edere, tam difficile in cunctis eſſe, quàm quod difficillimum. In apertum igitur exeat, qualiſcunque ſit, tantorum præſertim PROcerum (quales eſtis Vos celebratiſſimæ iſtius Vrbis ELecti meritiſſimi) patrocinio ſartus tectus. De quorum quidem ſplendidis natalibus, egregijsq́. animi dotibus hìc ſpeciatim agere, & plura ſcribere, epiſtolares termini vetant. Quos etiam vt non tranſcendam, illud mihi facillimè parſuadet quòd ſciam, vel ſolum Veſtrarum Familiarum gentilitium Cognomen, & Proauorum Auorumq́. geſta memorabilia, ſuprà [illegible] eſſe cuiuſcunque Scriptoris ingenium, ac eloquentiam, quantò magis ſuprà meæ mentis captum, cuius vires ita languidæ ac effœtæ ſunt, vt omni dicendi venere penitùs careat. Quos propterea ſilentio potiùs, quàm infima Oratione, locoq́. non adeò appoſito, honorandos mihi eſſe duxi. Vniuersè quinetiam pientiſſimi iſtius Populi laudes

des

des vlteriori ſermone proſequi libenter ſuperſedeo, ne acta agere dicar; Siquidem in opuſculo varijs in locis profusè narrantur, & celebrãtur paternæ eius, vereq́.Chriſtianæ virtutes,cùm in recipiẽdis fouendisq́. horrendi montis inquilinis ad piam eius generoſitatem in adeò repentino, ac ærumnabili caſu agminatim conuolantibus,tum etiam in ità ſolicita, feruentiq́. cura,quam vnà cuncti adhibuiſtis, ad diuinam iram demulcendam , pro incendij extinctione , timentes nihilò minus , vt credere par eſt , cauſam tremoris & ardoris, quàm vtriuſque impetum,& cladem; Cauſa enim ſæpe,vt ait D.Io.Chryſoſt. Dei ira eſt, porrò cauſa diuinæ iræ noſtra ſunt peccata : Quippe qui idcircò non tenaces in largitionem,non lenti in eleemoſynam extitiſtis, vt nec pigri ad reatuum confeſſiones, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ myſterium frequentandum , certatim Vos ſimul omnes,ad iniurias condonandas, ad inimicos tanquam amiciſſimos,deterſis odijs,amplectendos,ac diligendos,ad voluntaria flagella,& verbera , ad ieiunia, & à quauis peccandi illecebra abſtinentiam inuitãtes, ſicut ad extremum iudicium, quod tunc imminere videbatur,æquo animo ferendum , & denique ad cuncta pia opera , noui quaſi Niniuitæ,diu,noctuq́. inceſſanter obeunda, paſſim & vbique animantes . Quibus profectò , velut alijs multis , quæ Vos non latent , & non pauci antè me litteris conſignarunt,ſub duorum auſpicio Heroum præſtitis,nimirum Emin.mi Cardinalis Boncompa-

gni

gni Archiepiſcopi, & Excellentiſſimi Com. Monterey Proregis, factum eſt, vt vulneris in penitiores adhùc, & præſtantiores partes penetraturi amplitudine, & malignitate, ſummi Dei placati beneficio, coercita, atque retuſa, ſenſim malum deliniri cœperit, populisq. negotium faceſſere fermè deſierit; nec non Vobis ſingulis immortalem pietatis, munificentiæ, ac vigilantiæ gloriam comparaueritis. Ita Deus omnipotens, & miſericors, ſine cuius nutu tam mirabilia, tamq. funeſta nec gignuntur, nec ſedantur, à terrifico, & neſcio quibuſdam interuallis, collectis viribus, Morbo recrudeſcente, Campaniæ totius campos, & incolas præſeruet intactos, vt Senecæ triſte vaticinium de fatalis huius caſus repetitione in poſterum perpetuò euitetis. Cui obuiam ſanè ibitis, ac tutò Vos opponetis, ſi nunquam obliuioni dabitis quod nunc & aliàs, D. Ianuarij Patroni interceſſione, efficaciter experti eſtis, & apud D. Hieron. in Epiſt. ſic expreſsè notatum legitur. *Niniue Ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus ſtetit*. Viuite fortes, valeteq. diu felices, felicis Campaniæ accolæ, Proceres & Equites nobiliſſimi, Vosq. cæteri Neapolitani omnes, metuentes Dei, & Catholicæ Religionis eius. Reuiuiſcet enim quæ nunc merſa, tumulataq. iacet Veſuuini montis hilaritas, atque fœcunditas, ideoq. præſentem libellum, hac de re tam publicè, quàm priuatè ad Vos ſpectante, quomodocunque poteſt differentem, læto vultu ac exporrecta frõte ſuſcipite. Romæ die x. Septẽb. 1632.

AD VINCENTIVM CRVCIVM V. CL.

Lælius Guiditionius.

AEstuat igne, vomit scopulos, dat torridus vndas,
Mons, quo pœnè oritur parturiente Chaos.
Per cinerem, & tenebras visa est discordia rerum
Gliscere, nec tuta stant elementa fide.
At Sophie it tecum per singula; dat sua causis
Quæque suis; tu iam quæ tibi nota doces.
Permesso è viridi non parua est gloria Laurus;
Maior, ab igniuomis laurea parta iugis.
Quid cineres longè iactatos Fama recenses?
Serta viri in cineres nunquam abitura refer.

AD EVNDEM

Idem.

SOllicita res est Amor, inquietum malum. adeoq. verendum mihi, ne tibi molestus sim, obsequij causa. Miseram ad te Epigramma superius, nec in illo acquieram. plura quippe moliebar, qui plurimum debeo. Sed in hoc officij genere cùm primis deficio inuitus. adsuetusq. diffluere in desideria, retardor desuetudine scribendi: Nunc, vt fidem liberatam putarem, tibine eximio viro feceram satis? Vt tibi fecissem: amori certè meo, & obseruantiæ nequaquàm feceram. Iterum ergò in rem meditanti, aliud quiddam excidit, quod & mitto. Excidit autem sponte integrum, nulla intercisum litura; id quod de priore non dixerim, multùm elaborato, at parum fœliciter. Vtinam ne de vtroque liquere tu dixeris. Vale.

Vidimus & cineres glomerantem, & saxa Vesæuum,
Dùm flamma, & tenebris, datque, adimitq. diem.
Ardua rimantem nunc te prærupta videmus,
Pandentemq. suis abdita quæque locis.
Mons mugit, tua Fama sonat; iacit ille fauillas,
Tu radios; labat is, stat decus vsque tuum.
Macte igitur; dant cœca tibi si incendia lucem,
Aetheria euoluens lumina, quantus eris?

FE-


FELICIS CAMPANIÆ
HILARITAS TVMVLATA.

Siste quisquis es hospes,
Et ex sepulto meo cadauere insepultum trahe tibi, posterisq. documentum.
Ego illa felix, an infelix felicis campaniç hilaritas
Cinefactis hisce iugeribus contumulata,
Renouatum hallucinantis securitatis exemplum,
Diu virentissimi capitis florentes diffudi comas,
Nunc quidem infelicissima,
Quippe virilitatis viriditatem protriuit, ac florem
Vesuuus ille Mons.
Qui malorum omnium memoriam, & vsu, & venustate obliterabat,
Nunc inexplebili siti bonis inhians, quç tribuerat
Molitus interitum, vulnere sauciauit lethali
Inde vere Sæuus.
Quod vt in alios crudelius desçuiret,
Ambusta sua viscera in cinerum, flammarumq. globos congesta,
Eructauit, euomuit, dissipauit.
Semicçsum aliquandò verticem in frusta dissecuit,
Vt sparsis hinc inde fragminibus mortalium effringeret capita.
Sçpè inuidus ad latera increpuit, sçpissimè contremuit,
Vt fragore, strepituq. suos duceret ad terrorem, fremitumque.
Florentissima, quç genuerat, oppida deuorauit;
Et cum non potuerit Salo subijcere
Solo çquauit.
In quo me multum amauit, odit plurimùm:
Cuius opere dum vtebar, vita ipsa fuit redimendum:
Vt nullum vnquam sine iaculis beneficium contulerit,
Nec munus, nisi grauioris teli inhibitum pondere, tribuerit.
I nunc hospes,
Et fluxç felicitati satis miser fide.

Auctor Felix de Ianuario S.T.D.



LIBER PRIMVS.



AVCTORIS. LIBRI. TITVLI. intentio. forma. explicatio.

Vbi primùm oſtenditur ſimilitudo Tremoris, & Incendij terræ montis Veſuuij, ac Synai, dum in hoc Moyſes legem populo dabat; Et cur Deus interdum talia ſuſcitet portenta. Deinde quomodò Veſuuius olim ardens Plinio Seniori, & Baſſo Poetæ exitio fuerit, nunc Herculani Gubernatori, qui ibi perequitans propiùs accedere non timuit, nec non Aetna Empedocli, aduersùs Horatium, & Hecla in Islandia multis. Mox nominum impoſitio quàm accurata, & ex rei natura eſſe debeat. Prætereà opinio de Terræ, ſecundùm ſe totam, & inditam ſibi naturam, ſtabilitate; Orbium verò cæleſtium vnà cum aſtris vertigine, aut mobilitate, contrà quoſdam Philoſophos, Sacrarum Paginarum, & Peripateticorum auctoritate cōmendatur, quibus nec quædam Eſaiæ loca vllo pacto obſtant, aduersùs Cæſarium. Rigoris adhæc cauſa, & generationis modus, variaq; acceptio apud Hippocratem, & Galenum, Epialæq; febris natura Aetnæ montis naturæ quàm competat, & in eadem Ariſtotelis, ac Auicennæ diſſidium. Altera inſuper libri huius inſcriptio: Veſuuij Chaos, *cur probata priùs,*

deinceps prætermissa, ac demùm de Neapolitanorum pietate, & varia Chaos *significatione agitur.*

CAP. I.



STATIM ac Romæ auditum fuit adeò triste, miserandum, & ærumnabile nuntium Vesuuianæ commotionis, atque flagrantiæ, cum tot horrificis, funestisq. euentibus, qui suprà humanum captum, supraq. omnem naturæ potentiam multis contigisse videntur; vtpotè similes admodum ijs, quibus Dominus per Angelum (vt inter cæteros ait Cornel. à Lapide Not. ad Exod.) Moysi daturus Legem in excelso Synai monte, populum in officio, atque timore continuit. *Cæperunt* (ità habetur Exodi 19.) *audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clamorq. buccinæ vehementiùs perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris: totus autem mons Synai fumabat eò, quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratq. omnis mons terribilis:* siue quòd multa sint, (physicè loquor) quæ licèt naturali contingant ratione, quia tamen raró, & longa temporis intercapedine ex improuiso accidunt, portenta iudicantur; iuxtà quem sensum Plinius nepos in Epist. ad Corn. Tacit. inferiùs citanda, Vesuuij incendium, quo auunculus obijt, miraculum vocat; siue (vt rectiùs loquar) quòd re vera à Deo immittantur, adscitis plerumque tamen ad id causis naturalibus, tum ad vindictam, nostraq. punienda delicta, tum ad correctionem, vel nos commonefaciendos, vt tandem resipiscendo vitia relinquamus, alioqui grauiora adhùc mala breui affutura, quæ alijs quoque temporibus, post huiusmodi prodroma signa,

Vesuuius cōparatur monti Synai olim ardescenti.

Naturæ miracula quæ dicantur.

Cur Deus interdum talia immittit portenta.

ſigna, & damna, cum extrema pernicie diuinitùs immiſſa ſunt; Ex quo (inquam) à Neapolitanis oris triſtia hæc ad nos exarata fuere, quibus congruunt omninò quæ de Aetna canit Pindarus Pythior. Od. 1. vbi poſt alia ſubiungit; ***Prodigium quidem admirabile viſu, miranda verò res & ijs, qui audiunt ab illis, qui illac tranſeundo viderunt:*** varij hic illic ſuborti ſermones, & diuerſa ſuſcitata iudicia (quemadmodum & olim inter Ethnicos Romanos, vehementiſſimè tunc quoque flagrante, ſub Tito, Veſuuio, cuius malum Romano etiam Cælo, & ſolo communicatum fuiſſe, ex Dione & alijs, nemo eſt, qui ignoret) præſertim quia his temporibus cæteroqui infauſtis, & calamitatibus plenis euenerunt, quibus eademmet experimur infortunia, quæ de ſua ætate deplorat Tertullianus lib. de Anima cap. 14. ***Re vera lues, & fames, & bella, & voragines Ciuitatum deputanda tanquàm tonſura inſoleſcentis generis humani;*** Qui pariter in Apologetico hæc & alia id genus à Deo viua exempla data eſſe ait hominibus æterni ignis; non ſolùm inter pios, ac religioſè viuentes homines, qui talia diuinæ iræ in mortale genus quotidie excandeſcentis clariſſima ſigna eſſe aſſeuerant; ſed etiam inter litterariæ rei addictos, & promiſcuæ doctrinæ ſtudijs operam nauantes, cùm in domeſticis, priuatisq́. colloquijs, tum ſimiliter in nobilibus quibuſdam Academijs, quò viri mentis acumine, & multiplici diſciplina perornati, ſubinde exercitij cauſa, & propriæ virtutis, quæ gloria, & honore alitur, augeturq́., oſtētandæ gratia, confertim accedunt. Vnde non defuere viri graues, & perquàm docti, qui me etiam ad meum ſenſum in re tanti momenti, vbi tot promoueri quæſita, & problemmata conſueuerunt, aperiendum inuitarunt, vti ad palæſtram, ad quam natura, & vſu facilè ducor, quamuis alijs diſtentum curis, & occupationibus præpeditum, vt onere in primis non leui Medicinæ praxim in hac vocata Sapientia publicè docendi. Quibus vt aliqua ex parte pro virium mearum exilitate ſatisfaciam, præſentem ſtudeo concin-

Pindari dictū de Aetna.

Veſuuij incēdij Tito Imperāte incommoda Romano cælo communicata.

Tonſura generis humani quæ Tertulliano dicātur.

Occaſio ſcribendi de Veſuuio Ardente vnde nata.

nare Exercitationem, è fontibus physicæ, ac meteorologicæ doctrinæ haustam, elicitamuè, methodoq. Medicis vocatis Dogmaticis familiari conscriptam. Quæ quidem varia, nec iniucunda, medica verò in primis eruditione veluti depicta, & exornata, quorumcũque subitura iudicium, atque censuram, in lucem exibit; cuius tamen radijs vereor quàm maximè, ne (quod visui accidit imbecilli) magis langueat, & obtenebretur, dum sensibilium excellentiæ sensum corrumpunt, maximè iam debilem, & labefactatum, in tanto præsertim Vesuuij candore, iuxtà Plautinum illud in Men. *O, Solem vides, statim vt occæcatus est, præ huius corporis candoribus.* Sed & in tanta fumi, cinerumq. vel Solem ipsum obscurantium atra, & caliginosa nube subinde è monte in altum efflata, & à Romano solo, ac Cælo, (quò tamen etiam, Titi Vespasiani tempore, ambo peruenere) non admodùm longè distante. Fateor enim me onus suscipere humeris meis impar, aggrediq. prouinciã ardui, ac salebrosi accessus, & itineris, ad quam intimiùs penetrandam (vt testis esset oculatus, remq. prout se habebat, posteris traderet) intimè nimis, & incautè accedens Plinius Naturalis Historiæ Scriptor luculentissimus, cinere, fumantiq. vapore crasso, obstructis pneumaticis organis (quæ rectiùs animæ meatum, quàm stomachum appellat Plinius nepos in Epist. 16. lib. 6.) exanimatus concidit. Quod genus exitij eodem in monte Basso quoque Poetæ, & Philosopho, Persij Satyrici magistro, accidisse narratur; hodie verò Gubernatori Herculani, qui pro iuuandis accolis, & maximè sibi subditis, vectore equo, propinquiùs accedẽs visus est à multis in altum cum equo tolli, & mox in infima montis ad mare præcipitari, ibiq. cinerum globis, & vorticibus obrui, ac sepeliri, vel, vt alij referunt, flammis deerrantis ignei torrentis abreptum atque consumptum, velut de 150. alijs affirmant, qui idem infortunium ibidem simul cum eo experti sunt: velut in Aetna Siciliæ Empedocli, qui & ipse nimiùm tantorum effectuum indagationi insistens, ideoq.

Auctoris timor duplex & à Vesuuij coruscatione, & à cinerum caligine.

Vesuuianum incendium quomodo exitio fuerit olim Plinio Seniori, & Basso Poetæ.

Hodie Gubernatori Herculani alijsq. eum comitantibus.

Aetna Empedocli, contrà Horatium.

montis voragini propiùs accedens, ab igne, & fumo ſubitò erumpentibus præfocatus, ſpiritum efflauit. Quam rem tamen Horatius inter Poetas magnus, ſed in hac parte nimis mordax, & liuidus, ad infamiam Empedoclis vertit, adeò verum eſt illud: *Figulus Figulo, Poeta Poetæ, Medicus Medico inuidet:* quaſi vt immortalis à populo haberetur, multis intuentibus in voraginem Aetnæ inſilierit. Ait enim in Arte Poetica:

-----------------Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſilijt.

Ità etiam refert Surius Comment. Anno Domini 1537. in Hecla monte igniuomo in Islandia pleroſq. eorum, qui ad explorandam incendij eius naturam proximè nimis accedunt, viuos à voraginibus abſorberi. Non itaque, vt eò, vnde digreſſus, ſermo redeat, deſpiciendus, non criminandus hic meus labor, qualiſcumque ſit, quippè qui, vt amicis morigerer, & publicæ curioſitati (neſcio an adijciam & vtilitati) quoquo modo poſſum, conſulendo reſpondeam, raptim à me compilatur nunc his ferialibus diebus, qui quorumcumque Genijs dicati eſſe videntur. A quo quidem ſubeundo me non deterret obiectio, quòd abſens à loco, de tot eius effectibus admirandis ſcribere auſim, etiam ſi non me fugiat viſa meliùs, quàm audita narrari; vnde apud Pindarum Nemeor. Ode 4. ad finem gnome eſt, ἔλπεται δέ τις ἕκαστος ἐξόχωτατα φάσθαι ἃ τύχῃ ἰδὼν αὐτός. qua docet quemlibet meliùs narraturum quæ viderit, quàm quæ audiuerit; quoniam præterquamquòd hi noui minimè ſunt; vnde aliàs ſæpè viſi & obſeruati, ſiquidem per varias ætates, & repetitas vices (Dio quotannis, Vitruuius aliquibus) hoc calamitatis genus maius, aut minus, fertiliſſima alioqui, & lætiſſima prouincia paſſa fuit: *Quæ terris deflorata, laborat hoc vno malo, &, ne perfecta beatitudine fruatur, huius timoris frequenter acerbitate concutitur,* vt non minus eleganter, quàm verè aſſerit Caſſiod. in Epiſt. 50. lib. 4. de Veſuuij incen-

& Hecla in Iſlādia multis.

Tacita obiectio diluitur.

Viſa meliùs, quàm audita narrari, ex gnome Pindarica.

Dulce, & amarum Campaniæ.

incendio sua ætate, ac Theodorici Regis facto; iuxtà nimirum Plautinum illud: *Dulce, & amarum vnà misces mihi.* Vnde si quæ antiquos inter, & nuperrimos, imò etiam num præsentes euentus differentia notatur, & inest, hæc, vt innuebam, ad magis, quod aiunt, & minus redigitur; Quotidie insuper Romam litteræ, relationes, tractatusq. integri typis excusi transmittuntur à Neapolitanis, Nolanis, cæterisq. Campaniæ inquilinis, per quæ omnia rei veritas facillimè cunctis etiam absentibus innotescit. Quare infrà diligentiùs, & veriùs, quàm fieri poterit, annotabuntur effectus omnes, qui & in monte ipso, & alijs circumsitis locis magna ex parte aut pessundatis, aut labefactatis contigisse dicuntur, hoc nimirum ordine; Primò qui impendentem terræ motus, & incendij cladem præcedere solent, quæ Prodroma signa vocantur, & sub Prognosi comprehenduntur, mox qui ambos casus infelices, non secùs ac morbos nostri corporis, Pathognomonica dicta symptomata, perpetuò, vt vmbra corpus, insequuntur, sicut deinceps, qui post breue interuallum à flagrantiæ, terræq. motionis exortu insurrexere; quorum pars ad Assidentia dicta, quæ modò adesse, modò abesse solent, pars ad Epiphœnomena, ac Epigenomena morbi magnitudinem, & malum plerumque morem attestantia, pertinere videtur; Et denique illi ex præsagiendi fonte eliciti, qui post huius modi raros, & portentosos naturæ motus, quænam pari infortunio, & hostilitate mortali hominũ generi superuentura sunt prædocent, Prognostica verè appellata; Quibus Deus omnipotens, atque misericors, peccatorum oblitus nostrorum, pro quibus delẽdis è summo Cælo egredi, & Crucis patibulum subire voluit, finem tandẽ imponere dignetur. Interim verò ego, iuxtà initum consilium, & factam deliberationem, conabor, si non omnia, & singula, saltem potiora rimari, & ad suas causas, more Physicorum, referre, ea videlicet methodo, aut recta scribendi ratione vtens, quæ tam apud Philosophos, quàm Medicos est vsitatissima; quippè apud ambos

Plauti dictũ.

Exercitationis ordo.

Signa Prodroma.

Pathognomonica.

Assidentia.

Epiphœnomena, ac Epigenomena.

Prognostica.

Methodus scribendi.

bos

bos Analyticum iactatur axioma; ***Generalia particularibus esse anteponenda;*** E quibus tanquam principijs illi conclusiones, hi curandi scopos, imò curationem ipsam elicere solent. Ideò sicut, vbi partes Medici ago, priusquàm ad morborum curationem moliendam me accingam, eorundem ideam cum suis differentijs, causis, & signis sollicitè, quantum possum, venari, & assequi studeo; Ità nunc non antè me conferam ad speciales Vesuuij euentus dilucidandos, & ad particularia quæsita enodanda, quàm de natura terræ motuum, ac ignitarum exhalationum è terræ latebris, & caminis igniuomis emissarum omni possibili breuitate disseruero. Quantum verò spectat ad Titulum, ne in ipso operis vestibulo Lectoris mens dubia, & anceps hæreat, vtq. statim cuique pateat, quantum nominum vis, & proprietas, rebus, de quibus agitur, conuenire debeat, imò quantum ad earundem notitiam intimiorem assequendam conducat; Ex quo Socrates apud Plat. in Craty. & Critia tradit, non cuiusuis hominis esse, nomina rebus imponere, sed viri, qui rerum essentiam, & proprietates optimè nouerit, ante omnia Exercitationem hanc voco *Medico-Physicam;* quoniam licèt è naturalibus, ac meteorologicis principijs, & fundamentis eruta potissimùm sit; attamen ad faciliorem intelligentiam, sæpè ac sæpiùs Medicorum placitis vtor, & exemplis eorum, quæ sunt, quæq. fiunt intrà angustum humani corporis orbem, quod item antiquissimi Philosophi, non modò Aristoteles, fecisse videntur, vt infrà sæpè numerò luce clariùs apparebit, cùm eorum opinio referetur, ac ventilabitur. Vnde in fronte Libri meam illicò aperire volens intentionem addo: Ad Ῥιγόπύρετον, per quæ duo græca vocabula insimul connexa, ac vnum tantummodò formantia, tam motum, quàm incendium intelligo; & motum quidem, idest concussionem, quia terra, cuius eminens pars mons est, non mouetur, sed concutitur tantùm; Quippè cum trium elementorum natura in perpetuo sit motu, sola terra in illorum medio, & mundi centro immobilis

Analyticum axioma.

Socratis dictum de nominum impositione.

Exercitatio hec cur dicta Medico-Physica.

Quidnam per Ῥιγόπύρετον intelligi debeat.

Cętera elementa in perenni sunt motu, terra sola manet immobilis.

mobilis permanet, quemadmodum abundè infrà in Aetiologia terræ motuum contrà Anaxagoram ostendetur; cui terræ ob id à Platone, ac Medicis non ineptè comparatur melancholicus humor, qui præ cæteris quasi stare videtur, cum sit sua frigiditate, & siccitate ad motum pigerrimus. Quamobrem meritò Cleanthes Samius, referente Plutarcho in Com. de Facie in orbe Lunæ, violatæ Religionis fuit postulatus, aut saltem dignus iudicatus, qui postularetur, eo quòd posuisset Cælum quiescere, terram per obliquum euolui circulum, & circà suum versari interim axem. Quæ opinio de terræ motione antiquitùs habita à Nycæa Syracus. Thalete, Philolao, Democrito, alijsq., & ab Arist. confutata 2. de Cælo, nostris sæculis à Copernico renouata, iure merito à Sancta Romana, & Catholica Ecclesia correcta, & emendata est: Nam Sacræ paginæ contrarium penitùs docēt. Vnde de eius immobilitate ità legitur Psal. 74. *Ego confirmaui columnas eius*. Et Psal. 92. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*. Et Ecclesiast. cap. 1. *Terra autem in æternum stat*. Tametsi (primo intuitu) videatur obstare his, quæ nos de Cæli mobilitate & sphærica figura hoc in opusculo asserimus, Esaias cùm ait: *Qui Cælum instar cameræ statuit*. Item: *Qui Cælum fixit*. Quorum verborum auctoritate Cęsarius Frater D. Gregorij Nazianzeni ad finem primi Dialogi autumat, astrui dogma de Cæli quiete ac immobilitate, eiusdemq. figura minimè globosa; Vbi decipitur, nec Esaiæ sensum assequitur. Quippè Esaias vult Cælum præseferre formam laquearis, magniuè fornicis, consideratione tantùm habita illius partis, quæ semper ad nostrum apparet Hemisphærium; Idemq. Cælum idcircò ait immobile esse, ac fixum stare, quoniam secundùm se totum nunquam locum mutat. Vnde censeo cum meliori schola, solidioriq. doctrina Cælum esse globo consimile, & in orbem agitari, inq. medio sui terram cōtinere, sicut punctum circulus: Quem prætereà Copernicum miror etiam cum Scaligero Exerc. in Card. 99. prodere veritū non esse

Solis

Cleāthes cur violatę Religionis postulatus.

Opinio veterum Philosophorū de terræ motione ab Aristotele, & Sacrarum paginarum testimonijs cōfutata.

Copernici correcta.

Esaiæ loca vbi Cælum nec globosum esse, nec moueri videtur affirmare, vt interpretanda, contrà Cæsarium.

Solis corpus longè propius nos esse, quàm quãtum ab antiquis scriptum sit; itaut in ipsa deferentis corpulentia locum mutasse videatur. Vnde *vel ipsa scripta* (inquit Scaliger) *spongijs, vel ipsi Auctores scuticis sunt castigandi.* Sermonem verò hunc de motu terræ totius, & secundùm sui naturam, qua à summo Opifice donata ab initio fuit, iuxtà quam stabilis omninò est, prorsusq. immobilis, (licèt Plato etiam aliter sentire vel Ciceroni videatur) intelligere oportet, non de speciali, secundùm aliquas tantùm partes, violento, ac præter naturali, quo terram interdum, & montes è consueto loco dimoueri violentia terræ motuum, & procelloso ventorum turbine, ex historijs infrà adducendis abundè constabit, velut è Senecæ testimonio in Quæst. Natur. vbi tradit, terræ motus terram ab infimo mouere, plana subrigere, valles aperire, & in summa mille miracula edere; Alioquin etenim terra immobilitate gaudet, & è contra, cælestes orbes vnà cum stellis iugi perenniq. motu circumuoluuntur, prout communis est Peripateticorum, & Astrologorum opinio. 2. de Cælo cap. 13. & 14. quam etiam Sacræ paginæ confirmant. Neque enim hinc proptereà nascitur, quòd Cælum sit ignobilius terra, vt aliqui perperam censent hoc ipso argumento: Præstantius habetur cessare à motu maximè locali, quàm moueri, & excellentiori corpori nobilior competit status; sed terræ moles perpetuò quiescit, Cælum irrequieta vertigine circumagitur; Ergò terra excellentioris est notæ, Cælum deterioris. Pro cuius solutione non defuere viri grauissimi qui Cælo quietem dedere, arbitrantes sola in eo astra circumferri, vt Eusebius Emissenus, Procopius Gazęus ad 1. cap. Genes. Iustinus Mart. respondens ad 93. quæst. Orthod. & alij multi, quibus fauere quoque videtur D. August. lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 10. Quæ pariter opinio antiquissima fuit, cum de ea mentionem faciat Lucretius lib. 5. de Nat.

Est etiam quoque, vti possit Cælum omne manere
In statione, tamen cum lucida signa ferantur.

Idem Copernicus in quare notatus a Scaligero.

Platonis opinio.

In Phędone verò de forma terrę rotunda, eiusq. fultura differens nostram hanc suffulcit opinionem.

Terra immobilis.

Cęlestes orbes perpetuò mobiles.

Ijdem nobiliores terra aduersùs argumentum, quod soluitur.

Opinio eorũ, qui Cęlum quiescere, sed astra in eo versari existimant.

Eadem traditur apud Lucretium, & Laertium.

Et Laertius dicit, astrorum motus nihil obstare, cum fiant ex Cæli totius vertigine, aut, eo stante, & quiescente, eorumdem vertigo fiat ex ea, quæ ab initio in origine Mundi ei attributa, & imposita est ad ortum Solis, necessitate, deinde ex eo, quòd calor ignis semper ad loca coniuncta confluxerit. Attamen cum maiorem habeat probabilitatem sententia Aristotelica, & Astrologica, sacro etiam atque diuino corroborata eloquio, quæ statuit cælestes orbes vnà cum astris circumuolui (quæ astra vanum est putare, Cælo non esse infixa, sed aeri incumbere, qui ea perinde sustineat, vt volucres) allata ad argumentum responsio contemnenda, quippè quæ si validam vim haberet, non minùs de stellis, quàm de vniuerso cælesti orbe concluderet. Quare respondeatur, tametsi quiete frui, cæteris paribus, præstantius, expetibiliusq. sit, quàm locali motu cieri; nihilominùs aliquam dari lationem quadam quiete excellentiorem, vti latio Cæli immobilitate terræ, cùm alias ob causas, tum quia cælestium orbium circumactio est medium, cuius ope, ac interuentu Mundo exhibetur quadripartita anni varietas, sicut dierum, noctiumq. vicissitudo, vt sic cælestium corporum influxus subiectis corporibus commodè, apteq. dispensentur. Sed his omissis, ad rem intermissam stylus vertendus est. Per motum itaq. ego hoc in loco non simpliciter, & localiter factum motum accipio, sed concutientem, aut conquassantem, & de quo intelligi voluit Aristot. 2. Meteor. dum quoddam terræ motus genus tremori simile esse dicit; vbi tremorem sumit pro illo motu, qui fit in horrore, atque rigore, non autem pro tremore propriè dicto, & apud Medicos vsitato; tracta scilicèt metaphora à nonnullis febricitantibus, in quibus vtrumque simul apparet, ac persentitur, idq. non quia terra, vti animal laborare febri possit, quæ quorundam fuit opinio, quam confutat Seneca in Quæst. Natur. sed similitudine quadam, cuius gratia res dilucidior efficitur, vt cernitur in ijs, qui tertianis intermittentibus, & verè exquisitis mancipati

Eiusdem confutatio.

Vana de astris opinio.

Argumēti solutio.

Metaphora à febrientibus, qui simul tremunt, & ardent.

cipati sunt (aliquando tamen etiam continuis, sed obscuriùs, sicut & quotidianis, & quartanis) quarum inuadente paroxysmo, membra eorum ità contremiscunt, & æstuant, ob acres tum humores, tum vapores violenter motos, & per sensu exquisito præditas particulas impetuosè vagantes, quos effugiēs calor in intima vsque adeò sese insinuat, vt extremæ partes frigidæ aliquo tempore maneant, carnesq. vnà, ad pectoris situm præcipuè, igniti instar Sulphuris, & præcalidæ exhalationis incendentes, vt motum concussiuum, & flagrantiam, perinde ac Vesuuius nunc, illo accessionis tempore, pati rationabiliter dici possint. Vbi proptereà animaduersione dignum censeo, per rigorem, me, non frigus, non algorem, qui à natura rigoris non secluditur, intelligere, sed, vt nuper dicebam, motum valdè tremulum, secundùm aliam rigoris conditionem, quæ est inæqualis agitatio, ac concussio totius corporis, iuxtà Galeni mentem lib. de tremore, palp. &c. similitudine illius, quo dicti febrientes admodùm conquassantur, cum indicibili persæpè dentium, tremulæq. vocis stridore, non absimili modo ab eo, quo fera ventorum vis (tametsi externa causa, atque diuersa, eiq. magis accommodata rigori, à quo corpus non febricitat, veteribus Medicis ob summam frugalitatem incognito, quiq. auctore Gal. 5. de Sympt. caus. horroris cuiusdam potius sensum, aut, si rigoris, certè quàm minimum præsefert) horrorem nobis incutere solet, atque tremorem, secundùm hanc Lucretij sententiam lib. 6. de Nat.

Binę rigoris conditiones ex Gal. doctrina.

Rigor citrà febrim veteribus Medicis cur esset incognitus.

Frigus vti nostros penitus quum venit in artus
Concutit, inuitos cogens tremere, atque moueri.

Quę de rigore assertio, iuxtà Galeni doctrinam, meamq. intentionem, corroboratur etiam Hipp. testimonio lib. 4. de Morbis, vbi violētam acrium humorum in partem aliquam irruptionem, & vehementem dissidentium inter se humorum impetum, cum totius corporis concussu, rigoris originem facere testatur. Obseruaui hoc millies in ijs quoque,

Hippocratis testimonium de rigore accepto iuxtà sensum Auctoris.

in quibus ab acrium ſuccorũ rehumatiſmo affuturum iam-iam eſt aut extrinſecum eryſipelas ad cutaneas partes brachiorum, crurumuè, aut intrinſecum, vel ad pulmones, vel ad membranam ſuccingentem coſtas, quæ Græcis pleuræ dicuntur, vnde Pleuritidi nomen, non à membrana ipſa, quæ alio nomine apud eos donata eſt: Ad differentiam alterius febris Epialæ Græcis appellatæ, qua detenti ſemper vno eodemq. momento frigus ſentiunt, atque calorem, vitrea id cauſante pituita diuerſimodè alterata, cuius portio, putredinis expers, algida remanens, ſenſum inuehit frigiditatis, pars verò putrefacta calorem concipit extraneum, qui ægris non exiguus impertitur. Ideò cum hac magis fortaſsè congruit Aetna, quàm Veſuuius (tametſi enim niuibus interdum riget, vt Capacius ait, mox nihilominùs diſſoluũtur, quod item his diebus in eo tot flammas euomente fuit animaduerſum, velut 20. die Ianuarij, & 21. Februarij) Nam de illo ità legitur:

Epiala febre detenti cur vnà algent, & calent.

In Aetna calor ſimul & frigus.

Dum mea continuis vruntur viſcera flammis,
Vruntur cano cætera membra gelu.

Eodem ſiquidem tempore, quo ab inteſtino igne comburitur, à glaciata niue forinſecus ei aſſiduè incubante congelatur; De quo propterea, poſt Pindarum in Pythijs, Solinus Polyſt. cap. 10. ad hunc modum loquitur. *In illa feruentis naturæ peruicacia mixtas ignibus niues profert, & licet vaſtis exundet incendijs, apicis canitie perpetua brumalem detinet faciem. Itaq. inuicta in vtroque violentia nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſoluitur:* Præſertim ſi vera foret Ariſtotelis aſſertio 27. Sect. Probl. 2. quòd in Epiala febre interiora caleant, exteriora frigeant; nam magis veritati congruum cenſetur contrarium ab Auicenna traditum; ne ſileam, quod Epialæ Ariſtoteles, id Medicos Lypiriæ attribuere. Quid ſi ità furentem, ardentemq. Veſuuium comparemus Fulloni in Syro Phrenitico apud Hippocr. 7. Epidem. 78. quem *cum vſtione tremulum* vocat, hoc eſt, cum vehementi febre, & quodam tremore?

Pindari, & Solini auctoritate.

Diffidiũ Ariſtotelis, & Auicennę in Epiala Febri.

Phrenitico cuidam Hippocratis Veſuuius comparatur.

Non

Non inepta ſanè eſt comparatio. Quibus hæc κατὰπάρεργον addita legere ne graueris, benigne Lector; Inſcriptio libri huius erat: *Veſuuij Chaos*; in ordinem deſcriptum, lateq. planatum, quæ cum nonnullis doctis, ac ingenioſis amicis minimè arriſerit, quòd titulis operum ea ineſſe vis debeat, vt perſpicuè, ictuq. oculi Lectoris menti ideam eorum, quæ intùs agitantur, repræſentet, perindè ac in fronte, & facie ſæpè numero alti animorum motus, tanquam in ſpeculo cernuntur; idcircò mutata à me fuit; ſed ne indicta cauſa in eorum ſententiam deſcendiſſe videar, rationes, quæ ad huiuſmodi titulum ſuper ſcribendum me impellebant, hæ ſunt numero tres. Prima, quia veteres Ethnici Romani, qui (vt Dio eſt auctor) tempore alterius incendij eiuſdem montis, Tito imperante Veſpaſiano, cuius violentia Romam vſque (nunc verò, ſummi Dei beneficio, ne ſignum quidem) perlata etiam fuit, Chaos & ipſi quodammodò iſtiuſmodi caſum appellaſſe viſi ſunt, dum eius impetu, tantorumq. accidentium acerbitate cuncta in Chaos redigi, Solem in terram cadere, & hanc in Cælum aſcendere, necnon rerum omnium, ac elementorum indicibilem ſinchesim, extremamq. ruinam, cuiuſmodi erit in ſupremo vniuerſalis Iudicij die, fieri, aut inſtare exiſtimabant. Ità ſiquidem & hodie non modò mõtis accolæ, Nolaniq. perquàm vicini, ſed etiam inclyta, ac famoſiſſima Neapolitanorum Vrbs, quę ſex circiter milliarior. ſpatio interiecto à Veſuuio diſtans eſt, ex tot triſtibus, horrendiſq. euentis, tametſi cùm traditione, tum maiori adhuc certitudine, quam viſus præſtat, originem eorum agnoſcerent; nihilominùs, vt pij ſolent homines, ac verè Chriſtiani, ſupremum totius Mundi finem, quo cuncta igne ſoluentur, vti impendentem, & iamiam affuturum pertimeſcebant. Secunda, quia dictum obſeruo Chaos apud Græcos à χέω, fundo, quòd fuerit fuſio, ideſt, confuſio cunctorum elementorum. Quippè ob id quàm aptè præſens conflagratio, ac terræ motio Veſuuij montis Chaos nuncupetur, iudicium fieri poterit ex tot eius

Altera libri huius Inſcriptio *Veſuuij Chaos*, aliquibus cur non approbata.

Auctoris ſenſus, & rationes.

Neap litanorum pietas.

Chaos vnde dictum.

eius confusis euentibus, & conturbatis vndequaque in eo elemẽtis omnibus, dum è suis intimioribus latebris, & profundis visceribus igneos globos, fulgetras, ardẽtium aquarum flumina, cineres, arenas, ingentiaq́. saxa, & denique post mugitus varios, ac fremitus, tonitrua, bombardarum more, eructat, ac vibrat. Tertia, quoniam, vt antiqui illi vocabant Chaos, materiam Cæli & terræ confusam, atque informem, quam primò ex nihilo factam esse dicebant, & de qua postmodum omnia sigillatim per species varias, formasq́. proprias prodijsse putabant; ità nunc ego omnem congeriem euentuum, qui in Vesuuio, præsentis casus occasione, confusim accidũt, dirimere studeo, singulis ex permixto aceruo seiunctis, in ordinemq́. descriptis; & in suas causas, atque principia redactis, vt ex Chao ordo nascatur. Verumtamen, his posthabitis rationibus, hanc alteram Inscriptionem amplecti decreui, quia mei argumenti vim, ac totius operis naturam magis exprimit, & Vesuuiano Incendio, à quo velut notabiliori, & cunctis, præ terrore, damnisq́. illatis, magis conspicuo, sumenda est denominatio, magnoperè congruit; *Inscriptio enim cuiuscumque libri sumitur à parte prædominante in Tractatu*, vt inquit Olimpiodorus, vbi Meteωron titulum tuetur aduersùs nonnullos, qui contrà censebant, eo quòd Liber ille non solùm de passionibus tractat, quæ fiunt in sublimi, sed etiam de multis alijs, quæ generantur infrà terram, vt metalla sunt, ac terræ motus; & circà terram, velut salsedo, glacies, &c. Et hìc finis primo Capitulo.

Idẽ quid esset antiquis.

Præsens superscriptio cur magis arriserit.

Olimpiodori auctoritate corroborata.

Multiplex Vesuuij montis Nomenclatura, ac Etymologia, & primò de duplici Temperamento iuxtà Hipp. & Gal. mentem, vbi etiam Fernelius defenditur. Dubium tollitur è Galeni verbis. Bodini peruicaciam

præsens

præsens Vesuuij status conuincit, & Seruij hallucinatio, qua Veseuum & Vesuuium nomine ac loco distinguit, sicut altera grauissimorum Auctorum de origine Padi manifestatur .

CAP. II.



VEMADMODVM Hippocrates à principio libri de Locis in hom. (si non potiùs Herophilus auctor est) scriptis mandauit. *Natura principium est in Arte Medica;* seù intelligat de structura locorum, partiumuè nostri corporis, quarum anatomes dignotio perquàm necessaria est ad diagnosin, prognosin, & curationem, seù de temperamento omnium vniuersim, aut speciatim singulorum hominum, de cuius agnitionis præstantia cùm ipse in Epidemijs, & alibi, tum Galenus verba faciens 3. Methodi cap. 7. dicit: *Ego, si cuiusque priuatim naturam exploratam ad vnguem haberem, vtique qualem fuisse Aesculapium mente concipio, talem me esse putarem,* tanti est in medicina factitanda momēti, perspectam habere indiuidui, cuius valetudo regitur, curaturuè, tamperaturam, & cognitum omne, quod ei naturaliter inditum est. Vnde idem Galenus ab initio Libelli περὶ ὀστέων. *Omnia* (inquit) *quæ sunt in medendo, scopum habent id, quod natura est constitutum.* Non est autem in hoc loco inquirendum, de quonam temperamento præsens sermo intelligendus sit, nempè an de fixo, vt vocant, & habituali partium solidarum, quod in proportione caloris implantati, & humidi primigenij consistit, in quo Galenus ipse vel essentiam animæ ponit in lib. Quod animi mor. cap. 3. & 4. vel quid esse ait complens propriam solidarum particularum substantiam, vt 1. de Vsupar. cap. 9. vel denique quod cum Hippocrate naturam, & habitum corporis appellat. 2. de rat. vict. in acut. comm. 47. Quod tempera-

Hipp. locus enarratur.

Cognitionis temperaturæ indiuidui necessitas.

Duplicis temperamēti consideratio.

De quo temperamẽto intelligẽdæ ſint definitiones Auerrois, & Fernelij.

peramẽti genus illud eſſe reor, quod Fernelius definit concentum mixtionis, ſiuè primarum qualitatum harmoniam, velut antè eum Auerroes non incõgruè formam mixti definiuit, eo quòd ſit finis, ſeù perfectio mixtionis, cum ſemper elementa miſceantur, vt inde craſis emergat; de quo quidem temperamento ſi Fernelius loquitur, quando nec annorum, nec ætatis curſu mutationem ſubire tradit 3. de

Idem quomodo defendendus.

Temper. 10. & 11. non eſt itá arguendus, prout alij viri celeberrimi exiſtimarunt, quia fixum cum ſit, & habituatum, difficilè admodum mutari poteſt, iuxtà Ariſt. doctrinam in Prædic. Qualit. Ideò namq. omnes ferè contemnere alterationes videtur, quæ ei poſſunt ab extrinſecis occaſionibus euenire, licèt tandem, poſt diuturnas actiones, & reactiones, euidenter & ipſum patiatur, ea videlicèt ratione, qua

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu;

& duro in ſilice aliquam denique notam à molli gutta imprimi videmus: De quo fortaſsè temperamẽto intelligi voluit Hipp. Sect. 2. Aphor. 20. *Quibus iuuenibus profuſior eſt aluus, ij s ſeneſcentibus contrahitur; Et quibus in adoleſcentia fuit aſtricta, effæta ætate ſoluitur.* Quem interpretans Celſus lib. 1. cap. 3. ait: *Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerunque in ſenectute contrahitur: quibus in adoleſcentia fuit aſtricta, ſæpè in ſenectute ſoluitur: Melior eſt autem in iuuene fuſior, in ſene aſtrictior.* Quaſi dicat Hippocrates, quòd natura hominis eiuſdem non eſt ſemper vna, & eadem: An verò de alio temperamento, quod aſſiduè ab aere, cibo, potuq. & conſimilibus permutatur, & in dies, ne dicam, momenta, variabile eſſe conſtat; quod à Galeno ſub diſpoſitionis potiùs corporis appellatione comprehẽditur, in ſpirituum, & humorum omnium fluxili ſubſtantia inſtabilem ſedem habens, ſexcentiſq. obnoxium varietatibus; nihil, inquam, vel parum refert, vtrùm de hac, vel illa temperatura tam Hippocrates, quàm Galenus intelligatur, quamuis ambo fortaſsè magis de ſecũda, quàm de prima loquantur; quoniam hæc ad Phyſiologiam pertinet, illa verò magis

Hipp. Aphoriſmus interpretatus à Celſo.

Temperamẽtum vagum, & mutabile quodnam Galeno ſit.

gis

gis ad Pathologiam, vel ſermonem de morbis, de quibus ibidem illi verba faciunt; Ità & ego à ſimili (vt aiunt) pretium me facturum operæ iudico, ſi de commotione, & flagrantia montis Veſuuij, quæ ambo ſunt grauiſſimorum inſtar morborum, & accidentium, quæ hominibus identidem eueniunt, hac in Exercitatione mentionem habiturus, initium duxero ab enarratione naturę eiuſdem montis, & partium eius, in quibus facta eſt hoc in præſenti Incendio mutatio magna; quippè ea penetrata, non ardua admodùm res erit, ſingula, vel plura, & potiora, quæ cùm anteactis ſæculis, tum hodie accidiſſe conſtat, ad penſum vocare, inq́. propria referre principia.

Quoniam igitur duplex in vnaquaque re expendi natura ſolet tam à Philoſophis, quàm Medicis; altera, quæ nominis dicitur, & ad ſolam pertinet nomenclaturam; altera, quæ ſubſtantiæ eſt, & ad intimam rei eſſentiam internoſcendam nos perducit; Idcircò Logicis, ac Iatro-phyſicis præceptis admonitus, de varia, & multiplici Veſuuij appellatione priùs agam, mox verò de natura magis intima, magisq́. eſſentiali; placet enim ſapientiſſimi Epicteti dictum: *Initium doctrinæ nominis conſideratio*. Quæ Platoni in Cratylo illa eſt, quæ, qualis nã res ſit, nobis aperit, & oſtendit, quippè nominis cognitio ad rei agnitionem nos manuducit; vt 1. Elench. aſſertum ſit ab Ariſtotele, quòd qui nominum vires ignorãt, & ſe ipſos ſæpè numero, & alios quoque fallant; necnon inter Iuriſconſultos rectè pronunciatum à Baldo fuerit in L. Liberti. nu. 9. C. de oper. liber. omnem ſcientiam à cognitione vocabulorum incipere.

Duplex in vnaquaque re expediturnatura, Nominis, & Eſſentiæ.

Epicteti dictum.

Alterum Ariſtot.

& Baldi.

Mons itaque, de quo ſermo, in extremis oris Campaniæ eſt, quam veteres ſub Phlegræis campis comprehendebãt, vulgò dictæ, *Terra di Lauoro*, iucunditate, ac fertilitate Cæli, & ſoli nulli alteri regioni cedentis; quam ideò antiqui dixere *Summum Liberi patris cum Cerere certamen*, auctore Plinio lib. 3. cap. 5. Merula autem 2. par. lib. 4. c. 25. Paradiſum Italiæ vocat; ab ea parte, qua Neapolis ad Orien-

Veſuuij deſcriptio, & Campaniæ fertilitas.

tem spectat, positus, Nolæq. vicinus, excelsus quidem, sed in hoc valdè nimis superatus ab Aetna, alijsq. multis igniuomis montibus, cum à radice ad summitatem quatuor solùm nostra interiacere milliaria quidā scribant, quæ dimēsio pariter traditur à Plinio lib. 5. c. 22. altitudinis montis Casij in Syria Antiochena, quem nōnulli Synai esse existimāt; nescio tamen modò, an eiusmodi altitudo iuxtà ascensionis lineam rectam, ac perpendicularem, vel obliquam accipi debeat; Quippè Vesuuius à sublimiori fastigio ad mare vsque recto tramite vix M. passibus distare dicitur, cumq. Galenus triginta stadia, seù quatuor millia passuū à mari ad collis summitatem interesse scribit loco paulò infrà adducendo, de Stabiensi colle intelligit, quodq. Plinius citato loco de Casio dicit: *Ambitus ad cacumen xix. M. passuum est, altitudo per directum iv.* Galenus simpliciter tradit de mox annotato colle, nō autem de Vesuuio, qui tamen olim celsior, quàm hodie; quippè etiā post hodiernū tam motum, quàm incēdiū, in altero cacuminū depressior apparet, nec biceps ampliùs, vt aliàs, quoniā qui ad Neapolim vergeabat apex, vnde ab initio tot fulgura, & horrifica tonitrua vomebātur, cū tot cineribus, aquis, & lapidibus ignitis, solo nunc iacet æquatus. Quare hodie multò minus verū est, quod Dio in Tito scribit: *Hic olim quidē ex omni parte pariter excelsus erat*. Amplitudo autē eius, totusq. ambitus à radicibus ad cacumen spatio vigintiquatuor milliar. comprehendi traditur. Cuius quidem nomenclatura nō vna est, sed multiplex, communiter verò, passimq. Vesuuius nuncupatur, vt fidem facit Galenus, qui de eo agens lib. 5. Meth. cap. 12. sic de nomine ait: *Quem montem & veteres Romani in historijs, & qui nunc diligentiores sunt, Vesuuium nominant*; & ante Galenum Strabo, qui tempore vixit Augusti, atque Tiberij, post descriptionem oppidorum Pompeij (hodie oppidulum hoc Scafati est, & non *Torre della Nuntiata* antiquis Opulentos) & Herculei (vulgò, ni fallor, *la Torre del Greco*) subdit: *Imminet his locis Vesuuius mons*, lib. 5. Sed

Montis celsitudo.

Mons Casius idem qui Synai quibusdā creditur.

Altitudo xxx. stad. de Stab. è colle accipienda.

Amplitudo Vesuuij quanta in toto ambitu, & circuitu.

Nomenclatura.

Scafati, & Torre della Nuntiata quibus olim nominibus vocarentur.

cur

cur amabò Galenus præaddućto loco ſcribit: *Celebre nunc, nouumq. nomen Veſuuium eſt?* An non antea per tot ſæcula flammas, & cineres eructauerat, Tito præſertim imperante, vt ei tale nomen, iuxtà Capacij ſenſum, meritò competeret? Puto, quia primùm Romani, aſſertore etiam Cluuerio, fecere Veſeuus. Hinc Lucretius lib. 6. (ſi tamen Lucretij eſt verſus ille, &, pro Veſeuum, poni non debet Miſenū, de qua re infrà ex Lambino interprete, atq; Turnebo.) Dubium de Veſuuij nomine ex Gal. Enodatio. Veſuuius dicitur etiam Veſeuus.

Qualis apud Cumas locus eſt, montemq. Veſeuum.

Virg. Georg. 2.

Talem diues arat Capua, & vicina Veſeuo
Ora iugo.

Sic apud Flaccum, Silium, Statium, Auſonium, & denique Suetonium in Tito, Veſuuium nominatum inuenire licet; *Quædam* (inquit Suetonius) *ſub eo fortuita, ac triſtia acciderūt, vt conflagratio Veſeui mōtis in Campania*; quinimò Græci, quos inter Latinos Poetæ in primis imitati sūt, Βέσβιον *Vesbium*, ſeu Veſuium dixere; ideò Columella lib. 10. Vesbius.

Fontibus & Stabiæ celebres, & Veſuia rura.

Silius lib. 17.

Euomuit paſtos per ſæcula Veſuius ignes. Veſuius.

Statius Sylu. lib. 4. carm. 4.

Hæc ego Chalcidicis, ad te Marcelle, ſonabam
Litoribus, fractas vbi Vesbius egerit iras.

Martial. lib. 4. Epigram.

Hic eſt pampineis viridis modò Veſuius vmbris.

Sic etiam Lipſius notat ad lib. 1. Hiſtor. Corn. Tac. hunc mōtem Plutarcho Βέσβιον dici. A Procopio in de reb. Goth. appellatur Βέβιος Bebius; ſicut ab Anaſtaſio Bibliothecario in Benedicto II. ità ſcribente. *Mons Bebius, qui eſt in Campania, eructauit.* Lesbium quin etiam tradit nūcupari Ambroſius Nolanus, quòd veluti λεσβιειν, & λεσβιάζειν, obſcœno ore loqui ſignificat, ſic Lesbius obſcœnis veluti faucibus flammas euomit. Quamuis ad mores etiam obſcœnos illud referant, vt λεσβιάζειν ſit, Lesbiorum obſcœnos mores Bebius. Lesbius.

Pura mulier Petronio Arbitro quænam sit.

sectari. Vnde, vbi Petronius Arbiter *puram mulierem* nuncupat, Ianus Dusa notat, sic vocari mulierem liberam, immunemq. à fœditate morbi Campani, ac luxu illo capitali, quem Nolanis assignat Ausonius, Lesbijs vsurpatum antiquitùs. Quòd si polluere etiam, & coinquinare habet vetus Glossarium, Lesbium dicemus, quia cinere, & flammis eam regionem fœdauit, auctore Capacio Neap. Hist. lib. 2. cap. 8. Vnde forsitan non errat Plutarchi interpres, dum Lesbium vertit, non Vesuium, licèt alij aliter sentiant. De cuius nomine, delicijs, & luxu Martialis extat Epigramma.

Interpres Plutarchi defensus.

Hic est pampineis.

& cætera, quæ sequuntur vsque ad antithesin, vt in hodierno incendio.

Cuncta iacent flammis, & tristi mersa fauilla.

Cum quibus concordant illa Cassiodori verba de incendio Vesuuij, tempore Theodorici Regis, cuius erat à secretis. *Stupeas subitò calore vastata, quæ lætissima fuerant viriditate depicta.* Exhaustor Vrbium Vesuuius dicitur à Statio lib. 3. Sylu.

Exhaustor Vrbium dictus.

Non adeò Vesuinus apex, & flammea diri
Montis hyems trepidas exhausit ciuibus Vrbes.

Bodini peruicaciam quę conuincant. Præsens Status Vesuuij.

Verè autem ne, an per hyperbolen, vt visus est credere Bodinus, tot horrendis euentibus fidem abrogans, decidat præsens calamitas Turris, quæ dicitur, *del Greco*, Octauiani, & aliorum oppidorum, ac villarum multarum, quarum bona pars, post montis concussionem, seu eiusdem tonitrua, fulgetras, cinereos globos longè lateq. diffusos, & post igni torum lapidum varij generis protelationem, necnon torrentes aquarum feruentium, nigrarum, tetriq. odoris, sulphuream, atque bituminosam mixtionem redolentium, cùm ab alijs nunc violenter factis in monte hiatibus, tum à cratere potissimùm verticis eius in subiectos agros, & in imam planitiem impetuosè vndantium, collapsa, & diruta iacet; Vnde & Sannazarius, quasi de præsenti loquens incendio, eiusq. occasione cladibus acceptis, ità cecinit:

Eiusdem clades ex Sannazario.

Aut

Aut cum terrifici sonitus, ignemq. Veseui,
Et desolatas passim desleuerit Vrbes.

Boetius 1. Philosophicæ consolat. prosa quarta vocat Vesuuium vagum montem, cùm ait. Mons vagus cur Boetio dictus.

Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Veseuus ignes.

Sed cur vagum appellat? An quia latè dispergit incendia, cinereasq. fauillas? An quia non semper ex eisdem locis flammas eructat, sed nunc ex his, nunc ex illis caminis? Nescio verò tandem, vnde permotus Seruius Virgilij interpres decantatus scribat, Veseuum diuersum esse à Vesuuio, atque illum quidem in Liguria, hunc in Campania situm esse. Constat enim celeberrimorum scriptorum testimonijs, Ligusticum illum montem, superantissimum inter iuga Alpium, & Padum gremio suo fundentem (vbi obiter notandus error multorum grauissimorum Scriptorum, vt Aeschyli, qui, teste Plinio, Eridanum, siue Padum in Hispania nasci exarauit, Euripidis, cui Apollonius 4. Argon. consentit, qui fontem, aluumque communem cum Rhodano habere voluit; à quibus in eundem lapsum ducti fuere Appianus lib. 3. de Bello Ciu. de Pompeij profectu ad Alpes penetrãdas verba faciens, & Raphael Volaterr. 3. suæ Geograph. Quinimò & B. Basilius M. qui 3. Homil. Hexam. minùs alijs Eridani originem agnouisse videtur, dum à montibus Ripheis manare asseuerat. Neque enim à tali nota liberare tantum virum possunt Possidonij verba apud Strabonem, quæ innuere videntur, quos antiqui Ripheos montes vocabant, nunc Alpes dici, quoniam ipsemet S. Basilius de quibusnam Ripheis loquatur, abundè significat, cùm eos esse ait, qui stant vltrà intimiorem Scythiam) Vesulum, non Veseuum esse appellatum, de quo profectò non sensit Virgilius, vt alij ante me rectè annotarunt, qui non Liguriæ, sed Campaniæ populos, qui Turno aduersus Aeneam suppetias tulerant, enumerandos susceperat. Quid enim imperitius à Poeta dici potuisset, quàm si Clanio Fluuio, Acer-

Seruij hallucinatio.

Padus vnde primũ emergat. Vbi grauissimorũ Auctorũ lapsus notatur, idest Aeschyli, Euripidis, Apollonij, Appiani, Raph. Volat. D. Basilij.

Riphei montes interdum Alpes dicti.

Acerris, Capuæ, reliquisq. Campaniæ locis repentè Liguriæ montem miscuisset? Verùm denique cur Vesuuius dictus est? Respondet Capacius, *quasi Veseius à conflagratione, cum Vesuuiæ fauillæ dicãtur.* An verò huiusce denominationis vera ratio sit allata à Capacio, aliorũ iudicium esto. Quæ satis, superq. sint pro Vesuuij nomenclatura, quam vberiùs traditam videre est apud Ortellium in Thes. Geogr. Arnaldum Pontacum Comm. in Chron. Eusebij, & Minoem Comm. in Epist. Plinij Iunioris.

Vesuuius vnde dictus.

Natura Vesuuij, non solùm ex Historicis, & Geographis, sed ex Medicorum placitis, & mente in primis Galeni, qui montis huius temperaturam perbellè describit; E cuius etiam exemplaribus notabilis macula eluitur. Vesuuiana vina diuersa à Falernis. Massica & Falerna eadem. Pindarum sub Typhonis fabula causas rimari naturales. Vesuuij vina vnde Græca dicantur, tantumq; sortiantur vigorem. Vbi & cur hodie vina Lacrymæ dicta ebullitionem passa sint, seminaq; in terram proiecta multò celeriùs solito germinarint. Vesuuij temperatura cur dissimilis. Dissidium Hippocr. & Arist. in materia, origine, & qualitate ventorum. Aqua vulgò dicta del Formale *ab Auctore cur celebrata. Terra sicca cum sit, cur non debuit esse humoris expers. Vesuuij natura varia, comparatione humani corporis tam sani, quàm morbosi. Vbi de statu vario hepatis in quibusdam Hydropicis disseritur; & demùm in quo discrepent Leander, & Fazelus in Aetnæ descriptione.*

CAP.

CAP. III.

INTIMAM & essentialem Vesuuij montis naturam, ad differẽtiam nomenclaturæ, venaturus, non aliunde eam promptiùs, citiùsq. me assequi, & attingere posse reor, quàm à varia partium,& locorum eius structura (compositionem vocant) necnon ab eorundem qualitate, seù temperatura, vti minerarum quoque,& exhalationum, quas intùs alit, fouet, sæpeq. eructat, & à quibus ignes illum incendere soliti, ac terræ motus eundem, velut alia tum vicina, tum longè semota loca, multiplicis consensus infrà declarandi ratione, conquassantes, identidem erumpunt. Quæ duplex cognitio, structuræ scilicèt partium, ac temperamenti, vt in medicina facienda magnoperè cõfert ad inueniendam tam affectus ideam, quàm malè affecti loci situm, conditionemq.& ex consequenti ad curationem per conuenientia auxilia ritè moliendam, quòd statu cognito secundùm naturam, facilè contrarius,& præternaturalis dignoscatur, cùm *rectum*, assertore Philosopho 2. de Anima, *sit index sui, & obliqui*; sic in re præsenti, ad indagationem principiorum,& causarum tot mirabilium euentuum, qui in hac, & in alijs olim miserè visis, ac persentitis conflagrationibus acciderunt, non minimum adiutorij afferet. Quamobrem à montis temperatura inchoans, eam, perindè ac si hominis esset, à Galeno elicere constitui, quippè qui Vesuuij naturam, iuxtà hunc sensum acceptam, perbellè delineat lib. 5. cap. 12. Methodi. Sed antequàm verba illius in apertum afferam, pro faciliori totius rei intelligentia, auerruncandus error est, qui in vulgata eius exemplaria irrepsit, ita vt cùm Medici, tum alij etiam insignis literaturæ Viri, tale mendum delere nescierint, & quod ipse decem & octo ab hinc circiter annis in meis libris de Morbis Capitis frequentioribus in Catarrho annotaui, & non ità pridèm in

Hæ-

Naturam Vesuuij vnde Auctor venetur.

Duplex cognitio Medico necessaria

Vesuuij temperatura ex Galeno.

Mendum castigatum in exemplaribus Galeni ab Auctore olim grauissimorũ Scriptorum testimonio.

Hæmoptysi, fretus auctoritate Strabonis, Statij, Symmachi, & aliorum veterum Auctorum; in qua sententia nunc eo magis confirmor, quò data mihi est à D. Gabriele Naudæo iuuene variarum literarum peritissimo, & Em.mi Cardinalis de Balneo Principis omni virtutum genere cumulatissimi Bibliothecario, commoditas legendi Antiquam Italiam Cluuerij, qui in vulgatis Galeni exemplaribus vocabulum Σταβίαι, corruptum vbiq. legi affirmat ταῖς ταβίαις, τὰς ταβίας, αἱ ταβίαι. Quod mendum incurioso librario attribuit, ostendens etiam vnde facilè emergere potuerit, & addens in marginibus cuiusdam exemplaris, quod, à Iosepho Scaligero ei legatum, Martinus Gregorius Turonensis (Medicus) Venetijs, & Romæ cum manuscriptis contulerat, vbiq. pro Ταβίαι, Ταβίας, Ταβίαις, scriptum esse Σταβίαι, Σταβίας, Σταβίαις. Galenum verò Stabias voluisse, accuratissima eius topographia indicat, in qua omnia Stabiarum loco exactissimè conueniunt, de quibus ità Symmachus lib. 6. Epist. 17. *Stabias ire desiderant, vt reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant.* Stabiæ autem oppidum est plurali nomine dictum, vltrà Vesuuium montem, & Sarnum amnem, situm, cuius locus hodie vocatur, *Castel à mar di Stabia*, de quo inter alios Plinius lib. 3. cap. 5. Eminet autem hic mons, seu collis, mediocri altitudine, summoperè celebratus, & quem Galenus tam accuratè describit (licèt nomen eius silentio inuoluerit, neque enim ad rem suã facere putauit) qui Stabiensis collis nuncupatur, quò antiquiores Medici, imò & nos etiam hac tempestate mittere Roma solemus valetudinarios, & eos maximè, qui ad Phthisin inclinant, aut iam Hæmoptoicos, ac verè Phthisicos, vt ibi vel sanentur, quod multis sanguinem spuẽtibus, & ferinis destillationibus mancipatis feliciter contingit, vel saltem longiorem vitam cum minori molestia traducant, quod Phthisicis ex pulmonum vlcere insanabili non rarò euenire experientia docet. Nec mirum sanè, cum totũ illum ad mare positum Vesuuij montis tractum audiam esse placidissimum; Vbi propterea om-

Nunc Cluuerij auctoritate.

Stabiæ & Stabiensis collis, non Tabiæ & Tabiensis.

Eiusdem descriptio & situs.

Ad eundem missio valetudinariorum.

Vnde Vesuuiani montis tractus ad mare placidissimus esse colligitur, & vnde talis euadit.

nes

nes anni tempestates scatent omnigena fructuum vbertate, fontes puris labuntur aquis, varijs agri omnimodi floribus vernant: non frigus illic, non æstus est grauis, sed temperatus aer funditus mitibus Solis radijs illustratus, necnon placidis exhalationibus cõtinuè ab internis meatibus expirantibus tepidior redditus. Ità ibidem, ad Turrim vocatam *del Greco*, parùm firmæ valetudinis causa præteritis diebus autumnabat (est enim aer ille cunctis delicatioris habitudinis recreandis accommodatissimus, ob sui teporem) Emin.[mus] Cardinalis Franciscus Boncompagnus Neapolis Archiepiscopus, & Pastor vigilantissimus, morum candore, vitæq. integritate nihilò minùs, quàm natalibus vbiq. locorum conspicuus, dum Vesuuianæ cladis impendebat periculum, à quo Deus illum mirabiliter præseruauit. Iam enim audiebantur, ac cernebantur signa futuram mox tempestatem præindicantia, mugitus, & sonitus varij, sub pedibus tremores, & incolarum ad maris oras, & Neapolim versus, relictis omnibus, confugientium ploratus, & vlulatus, dum ipse, terrestri itinere iam cœpto, tanquam magis ancipiti, & periculoso, intermisso, cum paucis è familiaribus in nauiculam insiluit, qua tutus, & citò Neapolim peruenit. Mons autẽ ille, cuius nomini Gal. parcit, à Cassiod. lib. 11. Ep. 10. Lactarius nuncupatur. *Cum rerum Domini*, inquit, *clementia, de famuli sui Dauid salute cogitaret, remedia Lactarij montis eã iussit expetere, vt cui medela humana nil profuit, vulgati loci beneficium subueniret*. Et exiguò post. *Huic igitur ferocissimæ passioni beneficium montis illius diuina tribuerunt, vbi aeris salubritas cum pinguis arui fœcunditate consentiens herbas producit dulcissima qualitate conditas, quarum pastu vaccarũ turba saginata lac tanta salubritate conficit, vt quibus Medicorum tot consilia nesciunt prodesse, solus videatur potus ille præstare, &c.* Oppidum hodie Episcopale sustinet huiusmodi collis, vulgari nomine, *Letterì*, vocatum, ab antiqua illa denominatione tracto. Huic Galenus ait Vesuuium coniungi, cum tamen Sarnus amnis

Emin. Card. Boncompagnus mirabiliter à Vesuuiano Incendio liberatus.

Mons Lactarius quinam sit ex Cassiodoro.

Hodie Letterì.

Idem cũ Vesuuio non coniungitur.

D inter-

intercedat, cum valle duo millia passuum lata, nec vlli alij monti connectatur Vesuuius, sed vndique discretus, & planitie cinctus appareat; Vnde Boccatius de Mont. loquens de Vesuuio ait: *Nulli montium coniunctus*. At Galenus breuem illam distantiam paruifecit, qui cum nec Historici, nec Geographi, sed Medici potiùs muneri incumberet, propterea excusandus est. Nota aliqua fortasse magis dignus est Procopius, qui quamuis Lactarij montis meminerit lib. 4. Goth. rerum, tamen lib. 2. in Vesuuium montem Medicos misisse tabe detentos affirmat. Quibus hunc in modum enarratis, adeamus iterum Galenum, cuius verba de Stabiensi colle, & monte Vesuuio dubio procul ex prænotatis clariora omnibus fient. *Quarto* (inquit) *die naui Stabias peruenit, vsusq. est lacte, quod & mirificam planè vim habet, nec sine causa prædicatur, de cuius vsu aliquid dicere oblatum nunc tempus videtur, nec de eo tantùm, quod apud Stabias habetur, verùm etiam de omni alio. Igitur ad lac Stabianum commendandum multa concurrunt, & locus ipse satis editus, & aer illi circundatus siccus, & pascuum pecoribus salubris: Altitudo collis mediocris, via à mari ad ipsũ triginta stadia (seu quatuor millia passuum) ampliusq. aliquid, sed nõ multò. Oppidulum autem ipsum Stabiæ apud mare in intimo maximè sinu est, qui inter Surrentum, & Neapolim conspicitur, magis tamen in latere, quod ad Surrentum pertinet. Cæterùm totum hoc latus est collis satis magnus, & longus, Tyrrhenum vsque mare protensus; inflectitur autem leuiter in occasum versus. Coniungitur illi in imo sinu alter collis non paruus, quem & veteres Romani in historijs, & qui nunc accuratiùs loqui volunt, Vesuuium vocant. At celebre nunc, & nouum nomen est, Vesuuius, omnibus mortalibus notum propter ignem, qui ex terra in sublime emittitur, quod & ipsum mihi videtur haud parum ad circumfusi aeris siccitatem conferre, & alioqui præter ipsum ignem nec stagnum propinquum, nec palus, nec fluuius alicuius momomenti vsquam in sinu habetur. Omnibus verò*

Vbi Galenus excusandus potiùs quàm carpendus.

Procopius notatus.

Historia Hæmoptoici missi à Gal. ad Stabias.

Vesuuius quare notus cunctis mortalibus.

Idem cur aeris puritati, & siccitati confert.

rò ventis, qui ab Arcto ad æstiuum Occasum perflant Vesuuius collis obijcitur, multusq. cinis ab eo ad mare vsque peruenit, reliquiæ videlicet materiæ, tum quæ in eo combusta est, tum quæ nunc etiam vritur. Omnia hæc aerem efficiunt siccum. Hactenus Galenus, è cuius verbis non difficulter cognoscitur, montem esse calidæ siccæq. naturæ, saltem secundùm maiorem sui partem, eamq. intrinsecam, sed & extrinsecam, præsertim in apice, seù cacumine, vnde fumi, & exhalationes, ac calidi cineres, & exusti lapides aliquoties, extrà etiam tempus magni, horrendiq. incendij, eructantur; Ex cuius ob id amplo hiatu, è quo in intimis licet ignem videre, feruentes qui exiliunt spiritus ambiētem & circumfusum aerem puriorem, ficcioremq. reddunt. Quod enim de eius vertice dico, passim à multis traditur; potissimùm verò à Strabone lib. 5. *Suprà hæc loca situs est Vesuuius mons agris circumcultus optimis excepto vertice, qui magna sui parte planus quidem, at totus sterilis, & aspectu cinereus.* Xiphilinus Dionis Epitomator de eodem loquens ait: *Extrema eius arbores habent, & multam vitim, ambitus verò igni expositus est, & interdiù fumum, noctu flammam emittit.* Marcellinus in Chronicis: *Vesuuius mons Cāpaniæ torridus intestinis ignibus æstuās, exucta euomit viscera.* Et clariùs adhùc Procopius lib. 2. rer. Goth. *In ipso vertice altissimum est in medio antrum, ità vt veri sit simile, ad ima montis penetrare; atq. ignem hìc videre licet, siquis prolato capite introspicere audeat.* Idem lib. 4. *Quoties autem pulueris eructatio contingit, etiam saxa præcidens flamma ab imis montis partibus in sublime effert, atque propellit, nonnulla quidem parua, quædam verò admodùm ingentia, atque inde emissa, in diuersas partes dispergit. Fluit etiam inde riuus ignis è summitate montis pertingens ad radices vsque, & vltrà, quemadmodùm in Aetna fieri solet.* Quæ cuncta, & singula quanta cum veritate scribat Procopius, hodiernum incendium demōstrat, in quo prædicta omnia, & alia quoque plura à cun-

Eiusdem temperatura ex Gal.

Ex Strabone.

Dione.

Marcellino.

Procopio.

ctis obseruantur, vt patet ex literis, relationibusq. multis Neapoli missis,& ibidē impressis,veluti ex iconibus montis ardescētis affabrè depictis. Quam prætereà fidem astruunt literæ Vicarij Nolanæ Vrbis ad Illustrissimum Episcopum Ioannem Baptistam Lancelottum Romæ nunc morantem, cuius dominio montis pars,quæ ad Nolam spectat, subdita est.Quæ sanè Bodini peruicaciam sensui obluctantem abundè conuincunt, & vnà etiam Vesuuij temperaturam,quam venamur,non obscurè indicant; sicut Thermales tot aquæ sulphureæ, ac bituminosæ, quæ ibi stagnant, & quæ hodie tam profusè cū tetro admodùm, & sulphureo odore è vastissimo cratere quoquouersùm exundarunt, vt iure scripserit Zonaras, *copiosos ignis fontes hunc montem in medio continere;* quod congruit cum doctrina Aristotelis, qui lib. de Mundo, ait: *continere terram multos in se vt aquæ, ità & flatus, & ignis fontes*. Verùm quod addit Zonaras, *exteriora carere igne*, intelligendum est de tempore intermedio,seù extrà paroxysmum,tempusq.incēdij magni. Quam rem hausit à Dione, qui ante eum scripserat, cum ignis externas montis partes non exurat, inde fieri,vt ea,quæ sunt in medio, absumantur,& in cineres redigantur; Cuius Historici sermo nec ipse est accipiendus de actu sæuiente incendio, quale præsertim fuit quod ibi describit; quippè in hoc præsente,illi consimili,certior factus sum,ad duo circiter milliaria, superiores mōtis partes,versus imas,tactu calidas persentiri, nisi aliud sit calidum esse,aliud incendi, & exuri. Sed & calorificam vim effatu dignam (quæ tamen non vrens, non desolans sit, vtpotè longiùs à suo principio distans, similitudine caloris febrilis, cuius cauma in thorace incensi cordis tabernaculo valdè magis molestè percipitur,quàm in alia corporis regione)superficiei terrę montis ab interaneis exhalationibus & ignibus, ac sulphureis, bituminosisq. mineris impertiri, argui inde potest, quòd villici tam antiquioris, quàm nostri etiam sæculi foueas ibi excauare consueuerunt, inq. eas descendere, ad molestos hu-

Ex aquis Thermalibus intùs stagnantibus, nunc ignitis & cum tetro sulphuris odore excreatis. Ex Zonara, & Arist.

Vesuuij superficies vbi hodie tactu calida.

Cauma febrile cur magis in thorace percipitur. Suprà dicta Vesuuij temperatura arguitur etiam à foueis sudatorijs.

humores vi tepidi vaporis ſulphurei eliciendos, cuius rei etiam meminit Georg. Agricola lib. 4. Subterran. ſicut quoque nō leuiter probatur à qualitate vinorum, quæ in montis ambitu, quo maximè Nolam verſus decliuis eſt, vinetis vndique circumculto, generoſa admodùm, atque ſincera fœcundiſſimè proueniunt, cùm orta ſuis atteſtentur principijs. Neque enim id ſolùm attribui debet aprico Solis aſpectui, cui mons expoſitus eſt, cum & alij non deſint montes ad eaſdemmet oras poſiti, & aprici, in quibus nihilominùs iſtiuſmodi vinoſa vina, quæ Cretenſibus nullatenus cedũt, vt nec ei forſitan apud Homerum celebri, quod Μαίλεια, & αἴθοπα vocat, haudquaquàm producuntur. Quæ vina ſunt qui putant eadem eſſe cum Falernis, quibus ad abluendos trochiſcos vipereos pro Theriacæ compoſitione veteres Romani Medici vtebantur; idq. quoniam ex agro Falerno eò vites fuere translatæ. Verumtamen Falernus ager ſuas retinet vites, quæ cum Veſuuiano ſolo non communicant. Vnde hallucinationi exiſtimo occaſionẽ præbuiſſe breuem locorum diſtantiam, & generoſam vtriuſque vini qualitatem ſimilem; non diſpari enim ratione obſeruo interdum confundi vinum ipſum Falernum cum Maſſico, genito in monte eiuſdẽ nominis, quem hodie dicunt *Monte di Dragone*, quod Caſtellum eſt extremo Maſſici montis apud mare impoſitum. Nullus quippè mons alius ad Falernum agrum eſt, niſi qui Maſſicus dicebatur, qui pariter à nonnullis è veteribus mons Falernus vocatus fuit. Vnde Martialis lib. 12. Epigr. 57.

A qualitate vinorum quę profert.

Veſuuianæ vina diuerſa à Falernis, licèt qualitatibus inter ſe ſimilia.

Mons Maſſicus.

Nec in Falerno Monte maior autumnus.

Vt mirandum non ſit, ſi apud Silium Italicum Falernum vinum cum Maſſico pro vno, eodemq. acceptum inuenitur lib. 7. in his verſibus.

Maſſicum & Falernum vinum vnum & idem.

Vitiferis latè florebat Maſſicus aruis;
Miratus nemora, & fulgentes ſole racemos.
Id montis decus. Atque ex illo tempore diues
Tmolus, & ambroſijs Aruiſia pocula ſuccis,

Ac

Ac Metymna ferax, Latÿs cessere Falernis.

Quippè Falernus ager Massico monti conterminus erat, ab eoq. incipiebat, protendebaturq. ad Vulturnum vsque flumen. Ità similiter eadem prorsus de causa Aenaria Insula, Ischia hodie vocatur, vinorum generositate insignis est non minùs, quàm balneis calidis, medicatisq. plurifariam aquis, propter varias in subterraneis latebris Sulphuris mineras, quarum gratia factum, vt & ipsa olim ignem in sublime exhalarit, Typhonis, idest, ardoris in modum, ceu fulmen è Cælo recidens in eam, ex quo data veteribus occasio fabulandi de Typhone Gigante hac in Insula sepulto, eumq. dum latus verteret, euaporasse flammas, & aquas, vt Strabo ait lib. 5. Sub qua tamen fabula Pindarus Pythijs carminibus naturales causas infrà assignandas percurrit, cum totus hic Italiæ tractus, & præsertim à Cumis vsque in Siciliam ignitus sit, & coeuntes sub terra cauernas in Græciam vsque, & continenti terræ porrectas obtineat. Dictorum autem vinorum montis Vesuuij, quæ alba sunt, Græca appellantur, eo quòd (si Petrarchæ in suo Itinerario fides adhibetur) pars illa Italiæ à Græcis possessa olim magna Græcia dicebatur, id quod Capacio nō probatur; qui aliam talis denominationis originem affert ex historia cuiusdam Græci Eremitæ, qui ad Eglam vites in hortulo plantauit, quæ ad Summam inoculatæ, cum plurimæ creuissent, Græcum nomen retinuere. Quæ verò rubra sunt, Lacrymæ nuncupantur, quæ cientur ex vuis nigris, è quibus illæ iudicantur præstantiores, quæ, antequàm tundantur vuæ, ex lacubus sponte fluunt, Pausilypanas longè superantes suauitate & vinositate. Vnde non, vt illæ, per æstiuos calores ità facilè acescunt, eodem Capacio referente. Sed vnde id roboris, id energiæ, vt sic dicam, sortiuntur? profectò non aliunde, quàm à natura, & qualitate soli montis Vesuuij, vbi sulphureæ, bituminosæq. mineræ, & intùs inde ortæ exhalationes præcalidæ, sed non ignitæ semper, aut in flammas conuersæ, vigorem excellentiorem vitium radicibus

(vnde

Aenaria quoque Insula eadē ex causa vina gignit fortia.

Pindarus sub Typhonis fabula causas rimatur naturales.

Vesuuij vina quæ & cur Græca appellata.

Eiusdem Lacrymę dictę.

Ambo vndenam tantum adquirunt vigorem.

(vnde qui oligoforum vinum valens & vinoſum reddere volunt, Sulphur adijciũt) ac rorido terræ humori dictorum mineralium participi aſſiduè ſuppeditant, vt Sol etiam exteriùs, cuius aſpectui & radijs mons ille obuius eſt. Quam rem non leuiter corroborat id, quod nuper Nola ſcriptum eſt; nimirùm arbuſta nunc iam emittere germen, ex quo ſcilicèt eorum radices, & trunci ad imum cineribus, & arenis calidis cum terra, & aqua commixtis, & quoddam veluti pingue lutum efficientibus obſiti, ac circundati cernuntur, poſt incendij eruptionem, imò & nonnullarum ſegetum, præſertim verò tritici, ſemina in terram illam proiecta limoſam, citiùs valdè, quàm anteactis annis, trium, dico, quatuorue dierum curriculo pullulaſſe viſa eſſe, ne ſileam, quòd Vicarius prædictus de nobili apud Rauennates Ingolorum familia oriũdus ad ſuprà nominatum Nolæ Epiſcopum Romæ nunc degentem, tam natalibus, quàm proprijs virtutibus Illuſtriſſimum, ſcribit, Lacrymas dolijs, quæ multa erant, incluſas, ad Turrim dictam *della Nuntiata*, inuentas omnes calentes, bullasq. euaporantes; puto, non ex circumfuſo tantùm, & ambiente vndecunque aere, exhalationibus ſulphureis fœcundo, & vaporationibus calidis ex ignitis aquarum deſputarum fluminibus elatis per doliorum rimulas ad intimam vſque vini ſubſtantiam alterandam, turbandamq. penetrato, ad ſimilitudinem aeris illius, qui nonnunquàm vi fulminis è Cælo iaculati illuc ingreſſus vinum abſumit, dolio non obluctante, intacto præterlapſo; Nam ab hac communi cauſa in alijs quoque cellis vinarijs dolia quorumcunque vinorum idem infortunium paſſa fuiſſent, ſed quia etiã inibi dolia cineribus dictis vel tumulata prorſùs, vel vndequaque oblinita inuenta ſunt. Quæ cuncta calidæ & ſulphureæ ſunt qualitatis ſoboles, iuxtà id etiam quod Plutarchus 4. Sympoſiac. quæſt. 2. narrat, tubera creſcere videri à tonitru, fulgure, & fulmine, partim quia inter tonandum multum aquæ genitabilis decidit, ob admixtionem caloris, partim quia probabile eſt, fulguralibus ac fulmina-

Hiſtoria notatu digna.

Io. Baptiſtæ Lancelotti Epiſc. Nolenſis laus.

Vina Lacrymę dicta vbi, & cur hodie ebullitionem paſſa.

Tubera terræ cur creſcere videantur à tonitru.

minalibus aquis, ſpiritibus, atque caloribus alte penetrantibus terram conuerti, ſicq. laxari, & hiare, quomodo calores quidam, & humores ſanguinei in corpore tubercula glandoſa, & ſtrumas efficiunt. Hæc autem in extrinſecis facta, & obſeruata, vt effectus, ità ſigna quoque ſunt eorum, quæ in intimis mons habet, quibus videlicèt clarè conſtat naturam montis huius eſſe, qualem ex Galeno & alijs iam retulimus, calidam & ſiccam. Nec quis miretur quòd Veſuuius in apice ſterilis, & exuſtus appareat, iuxtà ſcilicèt ſtatum eius partim genuinum, & partim aduentitium ſimul ex tot illac excreatis flammis, in locis verò decliuioribus aliam præſeferre naturam videatur, cùm denſis arboribus illa ſint vndique opaca, multaq. viti referta, & in medio tractum habeat ſyluestrem, caſtaneis, fruticibusq́. nemoroſum, in theatro herbas, quæ pratum perpetuò vireſcens efficiunt, ATRIA incolæ vocant, equorum pabulo, æſtiuo præſertim tempore, quo vbiq. arent herbæ, opportunum; Vt nec ſimiliter de allata eius temperatura ſuſpicetur, quòd ex eius radicibus per neſcio quæ peruia foramina frigidiſſimus ventorum flatus proſiliat, elatus ab aquis perennibus, quæ inde ad mare excurrunt, vt facilè inter marinas vndas, quemadmodùm Capacius ait, earum curſus dignoſcatur. Vnde Procopius: ***Huius*** (inquit) ***montis ad infima potabilis aqua, ſicut fontes, à quibus & amnis quidam Draco nomine deriuat, qui iuxtà Nuceriam labitur.*** Romæ quippè etiam ad radicem montis Teſtacei nuncupati, qui ſanè de illis eſt, qui non fuere à Mundi creatione progeniti, quiq. parua admodùm diſtantia à Tyberi fluuio intrà Vrbis mœnia hilari aſpectu è delectabili planitie aſſurgit, ſitu Meridionali, ad Hortum amplum ſatis, atque fructiferum, & amœnum, Tyberi ipſi contiguum, terra montis hiatu non magno rareſcit, è quo ſpiritus, ſeù ventus vſque adeò frigidus expirat, vt aquæ, & vini vaſa ibi aliquãtiſper morantia nihilò minus gelida fiant, quàm ſi intrà niuem, aut glaciem ſepulta fuiſſent. Qui quidem ventus

Veſuuij natura cur diſſimilis.

Amnis Draco iuxtà Nuceriam labẽs.

Nota de mõte Teſtaceo.

ab

ab aquis eiusdẽ fluminis per subterraneos cuniculos ad caluati mõtis cõcaua,& intima loca penetratis eleuatur. Quæ ambo experimenta confirmare videntur non Aristotelis, sed Hippocratis opinionem, quæ habetur 2.de Diæta. Ibi enim tradit vẽtorum materiam esse vaporem,non exhalationem, vt per eum, origine, seù materialiter,omnes venti sint frigidi & humidi, sed à locis quos verrunt, varias qualitates acquirant. A dictis autem montis Vesuuij radicibus, si, vt audio, aqua dicta *del Formale* ad Neapolitanorum vsus corriuatur,non vanè tantis prædicatur Encomijs; vtpotè quæ cuiuscunque expers mineræ de illis,quæ in montis specubus latitant, (aliòqui enim perniciosa foret, de Hippocratis sententia in lib. de Aere, Aquis, & Locis, & Auicennæ lib.2.cap.50.vbi de Aqua loquens ità scribit:*Et omnes aquæ minerales faciunt vrinæ difficultatem,& parturiendi & mẽstruorum)* aeris cæteròqui introclusi sicciorіs,ac tenuioris adminiculo & ipsa inde(aliquo tamẽ interiecto spatio)purior,& leuior ex intimis meatibus,& canaliculis, velut per alambicum stillata,excoctaq. effunditur, de cuius propterea bonitate celebratissimæ Vrbis Incolæ meritò tantoperè gloriantur:Quoniam videlicet,cuncta allata quamuis & frigiditatem,& humoris abũdãtiam coarguere videantur;attamen nihil contrà nos,nostramq.assertionem; quod quidem, vt apertiùs demonstretur, prætereundum non est, terram omnem, tam in planitie,quàm in montibus sitam, suaptè natura siccam esse, sed multum nihilominùs humoris in se continere,non ea solùm de causa, quam Plinius affert lib.2.Nat.hist.c.16.Quia,*nisi terræ siccitas aquæ humori iungeretur,non possent terræ partes ità benè cohærere, & coagmentari, sed dehiscerent, facilèq. dissoluerentur;* verùm etiam, & multò magis, ob alteram, quam Philo Iudæus luculenta oratione prosequitur de Mundi Opificio, nempe, propter stirpium, & animantium, atque hominis præsertim vitam, & propagationem. Vnde, vt è naturali eius situ tota aquis subesse debuisset, & tamen magna ex

Hipp. & Aristot. differentia de ventorum origine, & qualitate.

Aqua dicta *del Formale* ab Auctore celebrata.

Aquarum minerálium vsus quæ mala inferat.

Terra quomodo, sicca cum sit, debuit etiam aquę expers non esse.

Ex Plinio.

Philone.

parte detecta fuit, secretis, coeuntibusq. diuino imperio vnam in partem aquis, ex quo summam adepta est à sui primordijs siccitatem, ità Dei beneficio, ac prouidentia multum in se aquei humoris è Mari per cuniculos deducti, aut aliter sibi impensi, ebibit, vt frugifera sit, & fertilis, vtq. matris instar non modò alterum alimenti genus cibum, sed vtrumque, ceu natis suis, cibum, & potum præbeat. Præterea Vesuuio in hoc euenit, quod & nostro corpori, cuius structura cum sit è varijs, ac inter sese diuersæ conditionis partibus similaribus dissimilaribusq. conflata, variè quoque & diuersimodè ipsum affici, & alterari contingit, velut similiter pro diuersa membrorum crasi, contraria illud in nobis parere, aut in se ipso pati accidentia consueuit. Ità siquidem hepar subindè calidum valdè & siccum, cæteroqui munia sanitatis obeuntes, experimur, è contra stomachum frigidum, & humidum; quinimò in eiusdemmet hepatis parenchymate, quoties ignem & aquam simul, quantumlibet è diametro opposita elementa, contineri, & cohabitare certo constat experimēto? Ecce Hydropici, quorum nonnulli sunt, qui vnà iecur habent calida multùm, & quasi ignea, vti, viceuersa, intensè frigida, & vuida discrasia labefactatum, atque hinc inde ab inæqualibus, & contrarijs inter se hostibus oppugnatum. Illam clarè indicant pustulæ aridæ, & prurientes in cuti venosi generis totiusq. corporis emunctorio extuberantes, vti lotia rubro saturata colore (cuius tamen euentus causam attribuit Auic. facultati iecoris imbecilliori, à sanguine non ità serum depuranti, quin vrina efficiatur sanguinea; vnde eos etiam damnat, qui ob tincturam, & rubedinem lotij iudicant super caliditatem Hydropis) quæ effectus vnà, & signa sunt hepatis retorridi, & humores assantis, non elixantis; vt ego quidem reor: Hanc multa, & copiosa aqua intrà abdominis cauitatem, intravè peritonæum, ac intestina, velut in vtre, exundans, si Ascites est, sed si Anasarca, Hypostarca, Leucophlegmatiauè, intrà poros, & spatia carnium, & venarum oscula illuc ter-

Ex Dei prouidentia.

Humani corporis temperatura dissimilis.

Hepatis temperatura calida & sicca; stomachi frigida & humida.

In eodemmet hepate & calor, & frigus.

Indicantia calorem.

Indicantia algorem.

terminantia, quemadmodùm molles, laxi, & œdematoſi crurum tumores, cuncta frigidæ intemperiei iecinoris primariæ hæmatoſeos officinæ, & pituitoſi humoris tum craſſi tum aquoſi plerumque ſoboles, vt aptè dicatur eius parenchymati contingere, quod in aceruo cinerum paſſim licet omnibus obſeruare; in cuius peripheria cineres actu frigidi ſentiuntur, at ſubter igniti carbones, qui tangentium digitos (non ſecùs, ac intrà corpus magnus æſtus ſanguinem ipſum) exurunt. Scio tamen non defuturos, quibus mea hęc opinio de duplici in iecore intemperie, dupliciq́. cauſa, calida & frigida, à qua diuerſi adeò inter ſe naſcãtur effectus, minimè arriſerit, ſed cum obſeruatio non ſemel à me & alijs facta huiuſmodi affectuum cõplicationem præſeferat, equidem non video, quomodò eorum diuerſitas cauſarum allatarum, & partium in eo viſcere laborantium varietati attribui non poſſit: An non tradit Alex. Trall. quoſdam Hydropicos ſe priſtinæ reſtituiſſe ſanitati, vſu tantummodò frigidorum? Quod arbitror ideò contigiſſe, quia tunc in hepate calida affectio vigeret frigidam vincẽs, imò à qua oriri hæc inciperet, difflato ac diſſipato natiuo calore à præter naturali, vt fit in Hydrope, quæ iecoris inflammationi, & febribus acutis non rarò ſuccedit, vt eſt apud Hippocr. ab initio 2. Progn. & Gal. 5. de Loc. aff. 7. & alibi. Quinimò idem Gal. 4. de Præſag. ex pulſ. inquit, quòd, ſi Hydrops fiat cum iecoris inflammatione, pulſus eſt durus, ac tenſus, ſed ſi ſine inflãmatione, mollis & laxus. Verùm ſua vnicuique ſponſa. Neſcio an hùc quadret ſimilitudo eorum hominum, quorum partes ad pectus, ventrem, & crura attinentes vndique pilis, quaſi hiſpidis fruticibus obſitæ cernuntur, caput verò in vertice, ac ſincipite glabrum penitùs, & depile parùm venuſte conſpicitur, ſicut Veſuuij apex, & faſtigium, ſine arboribus, ſine illis prorsùs herbis, & arbuſtis, quibus inferiùs tam latè, ac densè ſimul abundat, vbi villas habet Summam, in qua fructuum copia quibuſque anni temporibus eſt. D. Anaſtaſij, Octauianum, Trochiam, Polenam, ar-

Exemplũ de aceruo cinerum cum ſub ter ignitis carbonibus.

Similitudo nõ cõtemnenda.

Montis in nouo Orbe historia.

borum, vinorum, & fructuum abundè feraces. Ità legitur de monte quodam noui Orbis vno ex decem Vulcanis appellatis, in quo ignis apparet vorago, apud Ninderi oppidum ad tres leucas, sed ordine præpostero, quem locum, vt post alios refert Baccius lib. 4. de Thermis; describunt præalto monte conspicuum, confragosumq. ac in apricis syluosum, in imis verò recessibus squalenti cinere, combustorumq. lapidum reliquijs onustum, & horridum. Et qui tamen (quod mirum est) in suprema ipsa ora, atque hiatu ignis, frigidis, ac dulcibus scatet aquis; Quare ex interuallis, & cessatis aliquandiù incendijs, cum facilis cuique per illas salebras præbeatur ascensus, craterem inuentum narrant trecentorum infrà pedum altitudine, ac ad imum fluentis inter lambentes flammas auri locum apparere; cum his quę sequuntur. Sed ne ab Italia discedamus, refert Leander ex

Aetnę alta.

Cicerone, ac Strabone, cum mons Aetna sit editissimus, vndequaque præruptis lateribus, in summo tamen amœnissimum esse, campestri planitie, & iucũdum pręcipuè fontibus ibi pariter scaturientibus. Quæ Leandri narratio non

Leandri, & Fazeli dissidium.

videtur adeò conuenire cum his, quæ leguntur apud Fazelum in Hist. Siciliæ lib. 2. cap. 4. vbi Aetnam tripartitò diuidit; primò in inferiorem partem, quæ incipit à montis radicibus, sursumq. ascendendo per decem milliaria protenditur, ædificijs cultam, & habitabilem; secundò in mediam syluis, densisq. arboribus refertam, vbi & magna saxa quodammodo vsta, & fuliginosa, tractu aliorum decem milliar. obseruauit sua ætate, quæ fuit anno 1541. nec non hiatus & aperturas varias, & ad eorum ostia cineres, ac exustos lapides, præteritæ arsionis indicia quàmmanifesta. Vnde verisimile fit, hodie etiam in Vesuuij montis ambitu, non in solo cacumine ad magnas fauces, è nouis caminis flammas fuisse eructatas, quippè Vesuuius ipse Aetnæi ignis imitator perhibetur à Floro lib. 1. cap. 16. de Bello Samn. Tertiò in adhùc sublimiorem partem, quæ sursum ad 12. milliaria ascendit, & quam, brumali tempore, niue vndique scatere

affir-

affirmat, æſtiuo autem circumquaque nudam, cineribus tantùm, & combuſtis lapillis obſitam apparere. Audio tamen à viris fide dignis, præter Pindari & Solini teſtimoniũ, Aeſtate glaciatam ibi niuem abũdè reperiri, quæ nec Solis ardore, nec fumis, & vaporibus ex intrinſecis fornacibus elatis colliqueſcit. Vnde Pindarus Pyth. Od. 1. in periphraſi Aetnæ, quæ columna cæleſtis ab eodem vocatur, quòd ſit mons ὐρανομήκης, deſcribit Aetnam non ſolùm ab altitudine, ſed & à niuium rigore, quas acutas per totum annum nutrire aſſeuerat. Ecce ergò tandem quomodò & in Veſuuio, & alijs montibus igniuomis frigiditatis etiam, & humiditatis effectus cõſpiciuntur, iuxtà diuerſitatem cùm ſitus, tum naturæ partium, quibus cõſtant, & eorum, quæ intrà ſe cludunt, contrarietatem. De qua re agetur quoque in proximo Capitulo.

De eadem Veſuuij natura, adhùc iuxtà qualitates eius, & mox ſecundùm ſtructuræ partium, & hiatuum rationem. Veſuuius & alij igniuomi montes cur figuræ pyramidalis, & quare humano capiti, ac medicæ cucurbitulæ poſſint comparari.

CAP. IV.

SVPRA notatam de montis Veſuuij natura enarrationem adhùc ampliùs corroborare oportet neſcio quibuſdam ſimilitudinibus ab humano corpore depromptis, quarum applicatione res tota clariſſima euadet. Igneam itaq. dicebam eſſe maiori ex parte Veſuuij naturam, licèt, ſecundùm aliquot loca ipſius, frigiditatis & humiditatis effectus conſpiciantur; nam potiores, & frequentio-

tiores, cùm perpetuò, vt Galeni ætate, apparentes, quod ex verbis Methodi superiùs allatis manifestè dignoscitur, sed remissi admodùm, flamma in se ipsam versa, nihilq. molestiæ accolis facescēte; Itaut etiam referat de suo, ac nostro tempore Capacius, montis fundum in intima terræ viscera penetratum nihil caloris, aut fumi emittere; tum aliquibus interuallis intensissimi, vt hodie, igneis incēsis mineris, quales sulphureæ in primis sunt, ac bituminosæ, quibus moles eius quaquauersùm, sed in intimis potissimùm antris, ac specubus, exundās est; & quibus aquarum Thermalium à feruore dictarum tot nunc illis in locis nouæ, & à sæculis non visæ scaturigines acceptæ referēdæ sunt. Inter ætates itaq. iuuenilem scimus calidis flagrare humoribus, tempore præsertim Aestatis, quo iuuenes sæpissimè ab Ardētibus febribus, Dysenterijs, & Cholera corripi solent, quòd in eorum venis corrupta, & accensa bilis exardescat, intestina exedat, & impetuosè suprà simul, & infrà concitetur, quæ bilis tantam habet cum Sulphure analogiam, vt eam dicat Hippocrates lib. 2. & 3. de Morbis, alios flammare humores suaptè natura frigidos, quemadmodum Sulphur illa, quæ ei approximantur; in qua propterea ætate constituti, accedente interim quoque in vini generosi, & adipum natura calidiorum vsu, notabili errore, incendia patiuntur, hoc est morbos acutissimos, & calidissimos, cum vehementi corporis totius perturbatione, concussione, vomitibus, & aluifluoribus humorum, qui colore, & calore ignem repræsentant; Itaut in his è venis riuus ille igneus fluere videatur, qui, auctore Procopio, & hodierna obseruatione, è summitate mōtis Vesuuij decidens ad radices vsque, & vltrà pertingit. Ponamus igitur ob id similitudinem quandam à D. Hieronymo ingeniosè excogitatam, quę (ni fallor) hùc maximè quadrat. *Non etenim* (ait in Epist.) *ignes, non Vulcania Tellus, non Veseuus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Sed nec abesse videtur ab hoc nostro instituto alia compa-

ratio

Vesuuij fundum quando nihil caloris, nihilq. fumi emittebat.

Iuuenum corpora cur, & quando acutis admodum morbis tentantur.

Bilis & Sulphuris analogia ex Hipp.

Similitudo ex D. Hieronymo.

ratio eiuſdem D. Hieronymi, quam ponit ſuper Abacuch ad cap. 3. ita loquens: *Legimus in his, qui de mirabilibus confecerunt volumina, & qui Olympiades Græciæ ad noſtram vſque memoriam perduxerunt, exponentes quid in ſingulis annis noui acciderit in Mundo, quòd inter cætera terræ motu eruperint flumina, quæ antea non fuerant; & rurſum alia abſorpta ſint, & peſſum ierint, quòd ſcilicet omnes terræ, quaſi in humano corpore ſanguinem intrà ſe habeant latentes venas, quæ terræ concuſſione rumpantur, & manent in flumina.* Huius rei veritatem infæliciter experiuntur quicumque in ea ætate conſtituti, quæ eſt à 18. anno vſque ad 35. ex ferueſcente bilioſo ſauguine reſerata, vel diſrupta vena, Hæmoptoici euadunt, ſicùt qui aptyſta ſimul ac ferina Tuſſi diù pectus, & cum pectore pulmonē, qui ad eius motum mouetur, concutiendo, & per modum terræ motus validè conquaſſando, tandem lancinãt venas, eaſq. diſrumpũt; mox enim ab his ſanguis fluuij inſtar cruēti erumpit, cum quo vitam ſæpè priùs fundũt, quàm Phthiſici euadant. Hæc autem ſufficiant de natura Veſuuij ſecundùm eius qualitates, quibus paucula modò ſubnectamus, quæ ad ſtructuram partium, & locorum, quæ in eo cluduntur, & pro quorum diuerſitate varij quoque effectus tam in flagratione, quàm in terræ motione accidunt, ſpectare magis videntur. Strabo itaq., poſtquàm ſcripſit Veſuuij verticem magna ſui parte planum, ſed totum ſterilem eſſe, ſubiungit. *Cauernaſq. oſtendens fiſtularum, & lapidum colore fuliginoſo plenas, vtpotè ab igne exeſorum.* Et poſt eum Procopius. *In ipſo vertice altiſſimum eſt in medio antrum, itaut verè ſit ſimile ad ima montis penetrare. Huius montis* (idem ait) *haud ſecùs atque in Siculis Aetnæ media omnia vacua, obſtructaq. ſunt, & in profundum tendentia pari ab imo ad ſummum dimenſione.* Quam rem pariter confirmat L. Florus lib. 3. cap. 2. vbi Spartaci Gladiatoris hiſtoriam enarrat, dum hic ſcilicèt vnà cum ſuis commilitonibus in Veſuuio à Clodij exercitu obſidione anguſtabatur,

Alia eiuſdem.

Hęmoptoici qui fiant. Aptyſta & ferina Tuſſi detenti cur Hęmoptyſin incurrunt.

Structura partium Veſuuij.

Ex Strabone.

Ex Procopio.

Ex L. Floro in hiſtoria Spartaci.

nec fugæ locum inueniebat,per illa verba: ***Per fauces caui montis, vitigineis delapsi,ad imas eius descendere radices, & exitu inuiso, nihil tale opinantis Clody obsidentium ducis subito impetu castra rapuere,deinde alia castra.*** Figuræ proceræ mons est, quam Medici calidis in primis corporibus assignant; & eorundem calori magnoperè actiuo tanquàm efficienti causæ attribuunt, licèt interdùm ex parte materiei, non admodum operante calore, fieri eam posse non degenetur. Quò forsitan respexit vates ille: ***Nec est in tanto corpore mica salis***. Cuius figuræ, sed valdè celsioris, sunt montes alij quamplures igniuomi, & præ cæteris, qui est in Insula Teneriffa inter Fortunatas, cuius altitudo non breuiori dimensione conspicitur leucarum Portugalensium quindecim, nostrorum verò milliariorum sexaginta, qui, cum perpetuò ardeat, conspicitur nauigantibus adeò procul, vt vsque ad ducenta millia passuum internoscatur, auctore Aloys.Cadam.Nec nō biceps hucusque,antè præsens incendium, quasi duorum capitum,animantium instar illorum, quæ geminato capite monstrosè gignuntur, forsitan etiam(nisi incendiorum occasione id factum potiùs velimus, quod innuere quoque Dio videtur, qui in Tito ait: *Hic olim quidem ex omni parte pariter excelsus erat*) vt tali figura, seù forma insolitam, & monstrosam sui naturam patefaceret,sicut apud Aristotelem in lib.de Physiognom. monstrosum corpus mōstrosam animam repræsentat, quasi corpus insolitum modū ab alijs corporibus habens,signum sit animam in tali domicilio habitantem peruersis obnoxiam esse inclinationibus.Quod tamen axioma non est sempiternæ veritatis. Ideò olim ibi geminus, æqualibus vtrinque proiectis pyramidibus, consurgebat, quæ tempore Dionis,vt ex eo mox retuli, antiquam seruabant celsitudinem, licèt *pars igne consumpta*, vt idem refert, *dum in se coit, concaua facta sit,vt totus mons formam præberet Amphiteatri;*Quarum quidem pyramidum altera,quę ad Neapolim erat,hodierno incendio,ac terræ motu ampliùs non

emi-

Figura montis procera.

Vbi mōs igniuomus altitudinis 60. milliar.

Biceps antè hoc Incendium.

Monstrosum quomodo & cur.

Monstrosum corpus, monstrosa anima; non est sempiternę veritatis.

Pyramidalis.

Amphiteatri formam præsefert.

Altera Pyramis nunc consumpta.

eminet, terræ campestris planitiei æquata, partim videlicèt exusta, & in cineres versa, partim intùs à voragine absorpta, ac deuorata. Quid si ad calidã montis qualitatem comprobandam & hoc adijciam, pyramidalem vtriusque apicis Vesuuij formã igneam quoque redolere naturã? Ità namq. & mons prædictus in Teneriffa Insula nõ modò erectus est, miræq. altitudinis, è cuius summo vertice ignes euomũtur, sed etiam, vt idẽ notat Cadamarus, pyramidali forma protuberans. Quippè ignis cùm ascendit, in pyramidis figuram cacuminatur, fortè quia tenuiores partes celeriùs ascendunt, minùs tenues ab imo fusæ resistunt, mediocres antecedunt has, illas sequunrur. Quòd prætereà mons Vesuuius constet partibus intrinsecùs non continuatis, sed intercisis, locisq. intus plurimis gliscẽtibus, præter ea, quæ oculis patent, probatur à posteriori, vt aiunt, quia scilicèt, tanquam Aetna, aut alius quiuis mons, terræ motibus, mugitibus, varijsq. sonis, velut tonitribus obnoxius est, & acceptæ ab eo voces numerosiore repercussu multiplicantur; vt dici de eo possit, quod de Aetna Lucretius:

Ignis cur in Pyramidis figuram cacuminatur.

Vnde probari etiam possit Vesuuium fistulosum intùs & cauernosum esse.

-------------Primùm totius subcaua montis
Est natura ferè silicum suffulta cauernis
Omnibus est porrò in speluncis ventus, & aer.

Vnde constat montosa loca ideò magis terræ motionibus concuti, contremiscere, & ignescere, quàm plana, & mediterranea, quòd intùs caua sint, fungosa, ac foraminulenta; quippè montes sunt veluti tubera, aut apostemata terræ, interaneis aquis, vaporibus, exhalationibus, & flammis, pro varia soli natura, atque minera, redundantes. Vt idcircò nulli debeat esse dubium, quin vltrà ea, quæ sensus iudicat, pluribus adhuc antris, specubus, canalibus, fistulis, anfractibus, gyrisq. labyrinthæis Vesuuius constet; Vbi præter latices magno cum fragore exilientes, halitus, venti, exhalationesq. includuntur, quæ tria liberam, expeditam, sufficientemq. aperturam sæpè non inuenientia, huc, atque illuc agitata, obnitentem terram concutiunt (velut in

Terræmotus quando fiat imitatione Palpitationis

nobis aliquando flatus, vel ſpiritus interclusus palpitantem motum efficit) ex quorum posteà repercuſſu, & impedito, vt Medici loquuntur, tranſpiratu, ſicut humoribus in venis, ità ijs maior accedens excandeſcentia, in monte ipſo incendia quoque progignit; interdùm verò, per diuerſa, nec amplè patentia ſpiracula exilientia, varia ſonorum, fremituumuè diſcrimina, de quibus infrà, emittunt, perinde atque omnes nos in nobiſmetipſis experimur; in ventris enim regione, cauis tot anfractuoſisq́. locis circumuoluta, & calore in materiam ibi ſtabulantem agēte, quinàm (obſecro) aliquandò non percipit rugitus, borborygmos, obmormuratus, ſtrepentes crepitus, & ructus? In capite, & auribus ſibilos, atque tinnitus? E quibus nemo erit, qui non fateatur, mihiq́. facilè concedat, Veſuuium eſſe cauernoſum, rimiſq́. intus infinitis hiantem, & meatibus dehiſcentem, quemadmodùm & exterius hodie (id quod tamen infrà controuertitur ex relatu non vniformi) in ſuperficie quoque, & ambitu ab impetuoſis flammis, hiatibus aliquot per continui ſolutionem factis, è quibus tanquàm Cocyti caminis eructantur, ſicut fumi, & fauillarum nubes denſæ, & atræ admodum, ignitis quaſi linguis oblongioribus interdùm ſcintillantes, cineres copioſiſſimi ad miram altitudinem, etiam valdè vltrà nubium regionem proiecti, ventorum flatu, vt veriſimile eſt, coadiuuante, vti lapides varij, vſti, ſemiuſti, parui, magni, quoquouerſum protelati, & demùm aquę erumpunt ardentes flammeæ, & igneum quaſi flumen æmulantes, aut potiùs efficientes. Ne taceam, quòd nunc antrum, ſeù vorago ad verticem ſex milliariorum ſpatio, & ampliùs dilatata videtur, formæ, ſeù figuræ elypſis (ouatam dicunt) intrà quam etiam abſorpta eſt bona terræ pars, quæ montis apicem alterum, Neapolim verſus, formabat; nam & pars igne combuſta, & in cinereos globos excreatos conuerſa fuit; Iugi autem collapſi celſitudinem, quæ exterius in incendio ætatis, & imperij Titi Veſpaſiani, immutata permanſit, Dione auctore, maximoperè infe-

& Incēdium ſimilitudine accenſionis humorum in venis.

Soni terræmotuum ex comparatione cum noſtro corpore.

Vorago Veſuuij nunc ad ſex circiter milliaria dilatata cernitur. Figuræ ouatæ.

inferiùs depreſſam, & ſubmiſſam eſſe ex Nolana, & Neapolitana Vrbe hùc fide digni viri, imò teſtes oculati, nuperrimè ſcripſerunt; Quem propterea etiam montem, iuxtà meum ſenſum, & deſtinatum argumentum, comparare haud ineptè poſſum capiti humano, quod in ſublimi locatum, & vniuerſo corpori ſuperpoſitum cùm ſuſcipit, tum attrahit & humores, & vapores, ac ſpiritus, qui niſi dicto citius vel retrudantur, vel diſſipentur, in eo fontem generant deſtillationum, quæ partim, vt docet Hippocrates, per venas in totum corpus, partim per alios ductus, atque canales in particularia membra decliuia, & concaua, pectus, inquam, & ſtomachum deerrant, quaſi aquæ de montium ſalientibus cadentes, nec non, ſi intùs in capitis antris detineantur, nec per ſolitos canaliculos dilabantur, cruciatus in eo magnos, motus vertiginoſos, & epilepticos, tinnitusq. ac ſternutamenta pariunt; Ità namq. Veſuuius etiam præter ea, quæ in ſe generat, ac continet, aliunde ſimiliter recipit, imò tanquàm cauus, & æſtuans, medicæ magnæ inſtar cucurbitulæ, attrahit quæcumque eum ad terræ motus, & conflagrationes diſponere valent, nimirum ab aere, præſertim procelloſo, ventos varios, quemadmodùm in Aeſtate euaporationes calidas eidemmet aeri impertitas à radijs ſolaribus è torrefacto ſolo in ipſum repercuſſis, à mari circumfluo aquas ſalſas, vnctuoſas, & pingues, ignitioniq. ob id multùm habiles, à quibus propterea etiam minus ignis extinguitur, quàm ab alijs aquis, in profundiores ſui latebras, & ſpelũcas è ſubterraneis cuniculis abſorptas, vbi cum cæteris genuinis laticibus, ſulphureis, & præcalidis, quales nuper largo nimis cratere, & ampliori hiatu euomuit, commiſtæ, quantum roboris, & virium ſuppetant ad tot, tantorumq. euentuum generationem, ex infrà notandis facilè vnuſquiſque colliget.

Altera è ſummitatibus quã tum depreſſa, aut collapſa hodie ſit. Mons capiti humano cõparatus.

Deſtillationis terminus ad quẽ ex Hipp.

Idem mons tanquam magna cucurbitula medica trahit ab aere & mari, quæ ipſum ad hęc mala patienda diſponũt.

Aqua maris cur minus ignẽ extinguit alia aqua.

Quot incendia memoratu digniora, & quibus temporibus passus est Vesuuius, obiterq; primò de montium origine, ac vtilitate. Quomodò Terra sphæricæ figuræ censenda, & cur montium & collium inæqualitas in ea sit. Insuper Orosij, Nicephori, & Aur. Victoris verba, quibus antè Titum Vespasianum non arsisse Vesuuium significare videntur, vti intelligenda sint, contrà Maiolum. Cur Plinius Senior incendiorum Vesuuij non meminerit; vbi etiam Taciti locus dilucidatur, & demùm differitur, vtrum in Vesuuio fusilia, ac mineralia combustibilia ab initio fuerint creationis eius, an properata generatione facta, cum enarratione loci Ecclesiastici: Deus qui semper est fecit omnia simul.

CAP. V.

ABSOLVTA Vesuuij natura, quam ei Deus montium, & Orbis totius terrarum Creator, vel à prima sui constitutione, indidit, cuius ratione tot tantisq. euentibus à proprijs conflagrationibus, atque tremoribus idētidem gigni solitis obnoxius est, locus postulat, vt de numero priùs, ac tempore Incendiorum, quæ foràs in tantam, quantam hodie factam videmus, perniciem erupere, loquar; mox etiam de accidentibus, quæ cum illis insurrexerunt, quæq. tam hominibus, quàm cæteris animantibus, nec non agris fertilissimis, Villis, & Oppidis iucundissimis exitio fuere. Neque enim (vt hoc interim à re nostra minimè

nimè exorbitans decidatur) admittenda eſt opinio eorum, qui exiſtimant, Deum terram ab omni parte æqualiter, ac exquiſitè rotundam, ſine montibus, ſine vallibus, creaſſe, qui poſteà, propter varias inundationes aquarum diuerſis extuberauerint temporibus; itaut antè primum Diluuium montes non extiterint; quandoquidem, qui eos norunt non ſolùm ad gratiam aſpectus, & decorem, ac pulchritudinem multum conferre, ſed etiam ad regionum ſalubritatem, ad reprimendum ventorum impetum, ad longè arcendos maris, fluminumq. incurſus, & ad rerum, quæ è terra naſcuntur, fertilitatem, ac copiam; quoniam ferè omnes aquarum riuuli, fontes; amnesq. è montibus oriuntur, neceſſe eſt fateantur, quòd à primis Mundi originibus non ſatis fuiſſet terræ fœcunditati conſultum, ſi tandiù montibus caruiſſet, & perfecta vndequaque donata fuiſſet rotunditate, ad Mathematicam ſubtilitatem exquiſita. Nam, hic ſumitur rotunditas pro ea, quę conuenit corpori depreſſiones & eminentias habenti, quæ tamen præ illius magnitudine, nihil momenti habent, atque adeò non cēſentur eius rotunditatem impedire. Ne taceam, quòd montium, & collium inæqualitatem ab initio affuiſſe oportuit, ad æqualitatem ponderis terræ partibus diſtribuendam, & æqualia æqualibus opponenda, ne alia ex parte grauior facta terra rueret in ſeipſam aliud quæritans centrum, quod eſſet ſui ponderis, licèt non ſuæ magnitudinis, velut de ijs quæ vehuntur in aquis monſtrat Archimedes. Ad quam quidem iuſtam partium orbis terræ diſpenſationem reſpiciens Eſaias cecinit: *Quis appendit in tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes? & colles in ſtatera?* Ob hanc itaq. æqualem diſtributionem partium, & quia in medio eſt collocatus terrę orbis, non commouebitur. Præterquam quòd Plinius lib. 34. cap. 1. Naturalis hiſtor. montes factos eſſe ait à natura, ad compages telluris viſceribus denſandas, & minimè quietas partes duriſſima ſui materia coercendas. Quibus amplam, & inconcuſſam fidem pręſtant Sacræ paginæ; primùm quia, ſi mon-

Vtrum terra ab initio creata ſit vbique locorũ ſphærica, ſine montibus & vallibus.

Montium cō. moditates.

Terræ rotunditas dupliciter accipitur.

Montium & collium inæqualitas cur adeſſe debuit

Eſaiæ locus.

Montes antè Diluuium ex Sacris paginis.

si montes antè Diluuium non aderant, quomodò terrestris Paradysus lunarem globum attingebat, sicut quidam Sacrorum Interpretum euulgauere? Quæ tamen res an vera sit, quomodouè se habeat, paucis explicat D. Thomas. Secundò, quia 7. cap. Genes. narratur, aquas Diluuij quindecim cubitos suprà altiores montes elatas fuisse, sicut cap. 8. Arcam vigesima septima die mensis septimi quieuisse super montes Armeniæ, & prima die mensis decimi apparuisse montis cacumina. Quare vbi, post Creatoris iussum, aquæ in vnum coiere locum, vt terræ pars ad vitã aptaretur animalium, facta sunt loca cauernosa, vt aquæ subintrarent ad irrigandam terram, quarum ingressu montes illicò extuberasse dicuntur, tanquàm eminentiæ quædam, vt Boccacius ait; non ęquè tamen exsurgentes; de quibus loquens D. Damascenus lib. 2. Fid. Orthod. cap. 9. & 10. scribit, montes, qui primò in terra constiterint, fuisse à Deo factos tertia creationis Mundi die, qua Deus ipse aquas vnum in locum secreuit, & terræ cauernis inclusit. Quam sanè rem, præter Ethnicos vates Simonidem, & Pindarum, Dauid ipse diuino afflatus spiritu cecinit. *Ascendunt montes, & descendunt campi in loco, quem fundasti eis*. Cui & alterius Vatis, sed profani, liceat adiungere testimonium, nempè Ouidij, cùm ait:

Ijdẽ tanquam terræ eminentiæ inæquales.

Quando primùm à Deo facti.

Iussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.

De montium origine Cæsaris Scaligeri opinio.

Quamobrem doctè admodùm Cæsar Scaliger Exercit. 43. in Cardanum, *De montium*, inquit, *origine qui quærit, quærat is quoque de maris, cæli, & aliorum. Nam piè delirant profectò quidam, qui ex Diluuio raptam, subductamq. terram, detersosq. montes ab aquis in mare præcipitantibus, prodiderunt*. Et exiguò post modestiùs sentire annotat illos, qui ab astris attractas montium moles extrà terræ planitiem putant, aduersùs quos tamen aliquos non ineptè sic argumentari asseuerat. *Si astrorum opus esset hoc, simul item cum astrorum motu mouerentur montes*. Quod cum falsum

sit,

sit, idcircò ex proprio genio ſcribit, terrarum, mariumq́. ſitum, varietatem, generationem, interitum, ſecundùm Cælorum facies agnoſcenda eſſe, ibiq́. fluuios, aut maria exiſtere, quibus primùm locis factum eſt, vt vis aſtrorum ingrueret, neque attractos montes, vt à magnete ferrum, ſed à Deo factos ijs in partibus, quæ congruerent Cæli diſpoſitionibus. Reliqua apud ipſum vide; Et interea temporis concludatur, non fuiſſe, decurrentibus Diluuij aquis, primò genitos montes, vel ab aſtris extrà terrę planitiem, vt à magnete ferrum, attractos, ſed iam antè à Deo factos conſtitiſſe; Inter quos Veſuuius collocandus, cum dictarum minerarum, & partium varietate, atque ſtructura, ob finem ſoli Deo cognitum, nobis verò tantummodò adumbratum. Exordiens itaq́. à re primo loco propoſita, in ea ſemper fui ſententia, quòd mons iſte incendijs, ac terræmotibus tanquam horrifica febre (magis minus) laborare cœperit vel ab antiquiſſimis ſæculis, quoniam ſcilicèt, vel in prima ſui generatione, vel exiguò poſt, tum fiſtulas, & ſpeluncas interaneas vaporum, & ſpirituum, ſine quibus neutrum accidens incurreret, receptacula, tũ Sulphuris, Bituminis, Nitri Chalcanthi, Talci, Plũbi, Mercurij, Antimonij, Ferriq́. mineras ſortitus abundè nimis fuit, è quibus maximè ſulphurea, bituminoſa, atque nitroſa, aliqua ſuperueniente impulſoria cauſa earum, quæ infrà dicentur, impetuoſæ exhalationes excitæ, ac ignes vehementes editi, tot terribilia, & funeſta mala progignunt. Quare ſi ab initio ſuæ conformationis, & cœpta aliquandò Mundi creatione, aut non ità poſt, tales obtinet fomites, talesq́. focos, ac tantam ad hæc malorum genera incurrenda propẽſionem, vt de eo dici poſſit, quod de corporibus Galenus ait in lib. de Differ. Febr. *Magnam in morborum generatione occaſionem præbere paſſuri corporis habilitatem*, cur amabò ſunt qui cenſent, qui mordicùs tuentur, non antè multa ſæcula eum ardere cœpiſſe? Eſt enim morbus hic in Veſuuio de cenſu illorum, qui connutriti dicuntur, vel ſyntrophi, ſeù à longo tempore infeſtare

Quare mons Veſuuius vel ab antiquiſſimis ſæculis incendijs ac terręmotibus obnoxius eſſe potuerit.

Morbi connutriti & ſyntrophi quinã ſint.

soli-

Periodus mali Vesuuiani.

soliti, licèt periodicè magis, ac interpolatè, & per status veluti circuitus, modò quotidianos, modò tertianarios, modò quartanarios, omissis nunc quintanis, sextanis, &c. si cum febrili comparetur, at si cum alijs, vt Epilepsia, Asthmate, Arthritideq. incipiente, valdè longioribus interuallis. Vnde Aristoteles de Admir. cap. 36. de Aetna (quod similiter de Vesuuio constat esse verum) tradit, ignis vndam in monte Aetna neque mediocrem existere, neque esse continuam. Quippè quia (vt alibi fusius) mineræ non semper suppetunt idoneæ, aut fertiles igni, vt nec efficientes, aut impellentes causæ: Ità enim etiam de Lypara insula dicebat Xenophanes, eius videlicèt ardorem deficere, sed anno septimo redintegrari; Verùm, ne à Vesuuio discedamus, Dio scribit quotannis; Vitruuius aliquibus annis interiectis (qui tamen ambo, vt reor, intelligendi sunt post Titi Vespasiani ætatem & de flagrantijs remissioribus) Sæculis verò antegressis multò tardiùs excandescere, & paroxysmum pati fuisse solitum, ex Diodoro, & Strabone exiguò post indicabo. Quare existimo, non adeò paruipendendam esse Fabij Iordani assertionem, quam cùm aliorum, tum M. Minutij Fælicis testimonio confirmat in Catalogo Auctorum, qui hac de materia scripserunt; Cuius hæc sunt de Vesuuio verba. *Hunc verò montem sæpenumerò ab initio conflagrasse memoriæ proditum est; Siquidem & Abrahami tempore ignes, flammasq. eructasse ex Diodoro Chronologi referũt, & Herculis quoque tempestate ex eodem Diodoro lib. 4. Antiq. De Hercule retulimus; De quibus Vitruuius lib. 2. cap. 6. nunquam tamen vehementius, quàm Tito imperante, &c.* Et quanquam Scriptoris huius auctoritas nõ adeò magni fieri videatur; attamen robur, quod accipit tam à nomenclatura, seù vi nominis, ignem, flammamq. significantis, vt aliqui volunt, quàm à natura rei paulò antè notata depromptum, instar omniũ mihi esse videtur, qui propterea etiam ne hillum curo, quod aliqui eruditissimi Viri, inter quos Maiolus est in suis Dieb. Canic. traditum reliquere, nempè

Lyparam Insulam periodicè flagrare solitam.

Vesuuium etiam ætate Abrahami arsisse, & contremuisse testimonio Iacobi Iordani & Minutij Fęlicis.

Amborum auctoritas vnde corroboretur.

Contra Maiolum.

Ve-

Veſuuium à multis antè ſæculis fumare quidem ſolitum, ſed non ardere, nec ignes tunc iaculari conſueuiſſe, freti Oroſij, & Nicephori verbis, quæ innuere videntur, montem ſolummodò abruptum in illa maxima conflagratione facta ſub Titi imperio. Oroſius enim lib. 7. cap. 9. *Abruptum* (inquit) *tunc Veſuuij montis verticem magna profudiſſe incendia ferũt, torrentibusq. flammarum vicina regionis vrbibus hominibuſq. deleuiſſe.* De qua ſimiliter conflagratione loquens Nicephorus lib. 3. cap. 12. ait: *Sub Veſpaſiano mons Veſuuius ruptus tantum euomuit incendij, vt regionem proximam, Ciuitateſq. vicinas prorsùs ſuſtulerit.* Quem Auctorem putãt etiam videri ſentire primùm tum ignem erupiſſe, quòd ruptum, non patuiſſe, incendij hiatum ſcribat cum Oroſio. Verùm (parcant mihi iſtorum doctiſſimorum Virorum manes) Oroſij, & Nicephori verbum, abruptum, ſiue ruptum, non conuincit, anteà in Veſuuij cacumine nullum patentem fuiſſe hiatum; nam adfuiſſe mox facilè demonſtrabo; ſed ambo Hiſtorici vtuntur communi loquendi modo, cui & hodiernus reſpondet, quo dicimus Veſuuium hiaſſe, & aperturas feciſſe, quæ forſitan etiam pro incognitis tunc habebantur, quoniam per multa retrò ſæcula notabile incendium, quod accolis negotium faceſſiſſet, ruinamuè importaſſet, viſum minimè fuerat. Sed quòd in mõtis huius vertice, atque faſtigio hiatus foret, & apertura, Strabo in primis, qui ętate vixit Auguſti, atque Tiberij, quique Veſuuij ſummitatem conſcendit, & quem veriſimile eſt locum ipſum diligenter vidiſſe, & accuratè perluſtraſſe, quandò idem ſcribit ſe ad Aetnæ montis ſublimitatem non citrà vitæ periculum inſilire voluiſſe, vt ſingula ibi rimaretur, manifeſtè nos edocet verbis à me ſuprà quoque citatis ex libro 5. quæ ſunt: *Veſuuius mons agris circumcultus eſt optimis, excepto vertice, qui magna quidem ſui parte planus, at totus ſterilis eſt, conſpectu verò cinereus, cauernasq. oſtendens fiſtularum, & lapidum colore fuliginoſo plenas, vtpotè ab igni exeſorum; Vti cõiecturam facere queas,*

Opinio quorũdam, quòd Veſuuius antiquitùs fumauerit ſolùm, ſed non abruptus igneos globos eructauerit, præterquam à Titi Veſpaſiani ætate, Auctori non probatur.

Oroſij & Nicephori verba quomodò interprætanda.

Strabo ad Veſuuij vſque cacumen peruenit.

Idem ad Aetnę ſublimitatem etiam cum vitę periculo conſcendere voluit.

hunc locum arsisse quondam, ignisq. habuisse crateras: Dein materia deficiente fuisse restinctum. Quæ verba duo in hoc loco notatu digna aperiunt, magisq́. confirmant, alterum, quòd ad fastigij montis regionem manifesti forent hiatus, licèt non quales post flagrantiam T. Vespasiani imperio factam, quia ex eius vehementia patentiores, sicut in hodierna adhuc valdè ampliores redditi cernuntur; Alterum, quòd, viuente Strabone, Vesuuius minimè ardebat, vt nec nostra hac ætate per multos retrò annos, assertore Capacio, tali videlicèt fraudulenta indulgentia vires interim instaurans, ad bellum posteà, vt hodie, acrius inferendum. Quippè inflammatio antè Strabonem facta adeò tunc erat antiqua, vti iam temporis nulla cõstaret ratio, nec facti quidem, nisi cinerum, saxorum, & aperturæ alicuius inditia. Quod similiter asserendum ex Diodoro Siculo, qui & ipse per ea tempora florens ità lib. 4. de Vesuuio scripsit. *Phlegræus quoque appellatur hic campus à Colle, qui magnam vim ignis quõdam eructauit; Vocatur autem Vesuius; multa veteris inflammationis signa habens.* Inter quæ signa mihi nullum est dubium aliquem adfuisse hiatum, à coætaneo Strabone per verba illa: *Cauernasq. ostendens fistularum, &c.* non obscurè, vt reor, significatum. Vnde colligo montem hunc non fumasse solùm, sed & arsisse, & caminos habuisse, è quibus quondam ignes, ac cineres, lapidesq́. proruperint, idq́. à multis retrò ætatibus. Iuxtà hunc sensum similiter arbitror accipienda esse verba illa Sex. Aurel. Victoris in Tito: *Huius tempore mons Vesuuius in Campania ardere cœpit.* Nam quòd antè Titum arsisset, fidem faciunt Diodorus Siculus & Strabo, antiquæ eius inflammationis signa ambo recolentes, sed quia longissimum affuerat interuallum, & præteritorum incendiorum obliterata memoria erat, idcircò tam Victor, quàm alij suprà nominati Scriptores Vesuuij illud incẽdium tempore Titi editum ità describunt, vt quasi tunc prima flagratio in monte coruscasse dici, ac videri possit. Berosus Chaldæus, cuius historia

Eiusdem ætate Vesuuius minimè ardebat, vt nec etiã hac nostra, antè præsens incendium.

Aurel. Vict. uerba in Tito quomodò intelligenda.

storia

ſtoria vetuſtiſſima fuit, vtpotè quam à Diluuio exorſus eſt, vt Ioſephus 1.lib.contrà Apionem obſeruauit lib.4.Antiq. *Anno*(inquit) *penultimo Arli.VII. Regis Aſſyriorum multis diebus Italia tribus in locis arſit, circà Iſtros, Cumeos, & Veſuuios;* Quãtùm ad Plinij obiectionem,ab iiſdem contrariæ opinionis factam, dixerim, illum nullam facere de Veſuuianis incendijs mentionem,non quòd ei foret occultum, illa quondam ſæuijſſe, ſed quoniam tempore, quo de cæteris igniuomis montibus ſcribebat,& ſua ferè tota ætate, alijſq. retrò actis multis, delituerant, quemadmodùm Diodori,& Strabonis temporibus,quibus vix indicia antiquiſſimæ conflagrationis apparebant; Quinimò ardens deſiderium adeundi locum ardeſcentem, vt nullum vitæ periculum à Plinio Nepote, & ſeruis fidelibus prænunciatum expaueſceret; mihi ſatis indicare videtur,illum propiùs accedere voluiſſe, vt ſuiſmet oculis cuncta, & ſingula introſpiceret,ac dignoſceret,vera nè forent quæcumque alij antè ipſius æuum prodiderant, quæ dein poſteris ad viuum delineata relinqueret.Quoad locum Taciti lib.4.Annal.vbi inſulæ Capreos,quò ſe Tiberius contulerat,ſitum, amœnitatemq.deſcribens ait: *Proſpectabatq.pulcherrimum ſinum antequàm Veſuuius mons ardeſcens faciem loci verteret.* Ex quo videtur conſtare, in monte hoc,antè Tiberium,effatu dignum incendium minimè fuiſſe,quo eius amœna loca deuaſtari potuerint, reſponderim, in magno, aut longo interuallo ab incendiorum præteritorum violẽtia; qua mineræ ignium, ac exhalationum maxima ex parte conſumptæ erant, & velut effætæ iacebant, Veſuuij campos amiſſum vigorem, & deſolatum ſpiritum reſumpſiſſe, tractuq. temporis felicioris depaſtam viriditatem, & depopulatam agrorum fertilitatem monti fuiſſe reſtitutam, non aliter ac febre, ſeù alia moleſta ægritudine aliquandiù vexatis contingere videmus,quorum corporum membra à febrili potiſſimùm incendio extenuata nimis,& viuido colorę defraudata; poſt morbi ſæuitiem retuſam, debellatamq. ex diſie-

Veſuuij Incendium vetuſtiſſimũ ex Beroſo Chaldęo.

Quare Plinius Hiſtorię Nat. Scriptor de Veſuuij incendijs non meminerit.

Taciti locus quomodò accipiendus.

Apta ſimilitudo.

ctis penitùs, & auerruncatis materijs morbificis, pristinum statum nanciscuntur; imò interdùm meliorem, ac salubriorem; Vnde Liuius: *Morbis defuncta corpora salubriora esse cœperunt*. Præsertim si cineres proiecti tandem conducant ad impinguandum solum, quos propterea fertiles à Cassiodoro vocari alibi dixi. Nisi quis, alterius opinionis assertor, censeat, montem Vesuuium non à sui primordijs talem obtinuisse dispositionem, sed temporum cursu eam aquisiuisse, similitudine aquæ maris (cuius vim multum valere tam ad fouendas mineras, quàm ad flammas ignis accendendas infrà demonstrabitur) quam non desunt, qui ab initio suæ creationis salsam minimè fuisse referant, sed temporis progressu talem euasisse, ea ratione quam Arist. ponit in Meteor. Cui contrà ego obtrudam illud Ecclesiastici cap. 18. *Deus, qui semper est, fecit omnia simul*. Nec me mouet, quòd fusilium, & gemmarum in tota Mundi creatione nulla facta sit mentio, sed tantummodò elementarium corporum, & cælestium, & animalium natantium, & volantium, & terrestrium, & plãtarum, quarum semen in semetipsis est super terram, ac postremò hominis: quasi ex creatis ab initio, reliqua essent naturaliter eruptura: Quoniam reuera Deus cuncta simul in illo Mundi primordio fecit, tametsi non omnia eodem modo, cum alia quidem ipsa per sese, alia in suis principijs, vnde postmodùm potuerunt vel naturaliter oriri. Ex quo etiam videtur posse adstrui, mixta combustibilia Vesuuij, vti sulphurea potissimùm, ac bituminosa, non ità ab illa Mundi creatione fuisse producta, sed progrediente tempore; Quandoquidem probabilissimum est, hæc & alia consimilia, si non in prima creatione extiterunt (id quod non ausim affirmare) saltem properata generatione esse facta, concurrentibus alijs causis per accidens productis. Quæ tametsi aliquantò post creationem apparuerint, non propterea negandum, ea simul Deum cum alijs fecisse, vt clara est Ecclesiastici sententia; Extiterunt enim, Dei omnipotentis & creatoris nostri iussu,

Liuij dictum.

Ratio pro cõtraria parte ab Auctore excogitata, & reiecta.

An aqua maris fuerit ab initio salsa.

Enarratio loci Ecclesiastici.

ſu, à principio omnes rerum formæ, at aliæ quidem actu, aliæ potentia, quoniam iam inde omnes, aut erant actu, aut poterant naturaliter exoriri. Verùm his prætermiſſis, quoties arſit Veſuuius, & quibus nam temporibus Summorum Principum, quorum ætate quæcumque accidunt, & fiunt memoratu digna, in Acta, & Annales referuntur, ac intrà Archiuia cluduntur, & conſeruantur? Hoc mihi indagari, venariq. ſtudenti ex varijs Antiquitatum Scriptoribus, en D. Gabriel Naudæus, cuius alibi honorifica facta mētio eſt, legēdam tradidit Epiſtolam erudiriſſimam, quam ſuper hodierno Veſuuij incendio compoſitam nuper Lutetiam miſit ad nobiliſſimos Fratres Puteanos Literatorum fautores, & Mecœnates. In qua eadem ferè notata reperi, quæ & ego ex multis tam antiquis, quàm recentioribus non valdè antè excerpſeram, & quæ nunc ideò libentiùs, & alacriùs hoc in loco pono, tanquàm Viri doctiſſimi, & librorum omnium helluonis induſtria non vulgari ſtabilita. Arduum tamen, & omnino difficilè eſſe arbitramur, cunctas, & ſingulas montis Veſuuij conflagrationes aſſignare, propter altum apud fermè omnes illos Scriptores, qui Diodorum, & Strabonem præceſſerunt, de hoc Veſuuij morbo ſilentium: Nam quoad Beroſum Chaldæum, & antiquiſſimum Hiſtoricum ſuprà citatum, quem tradunt vixiſſe Babyloniæ antè Alexandri Monarchiam, & ex Chaldæis ſuis vetuſtiſſima rerum Mundi monumenta collegiſſe, quiq. ſub Arli. VII. Aſſyriorum Rege eum conflagraſſe refert, non deſunt, qui teſtimonium hoc parui faciant, quippè quòd librum illum Beroſo attributum non genuinum, ſed ſpurium eſſe, atque fictitium graues pridem Auctores monuerint, Gaſpar Varrera libello peculiari, Melchior Canus in loc. commun. Theolog. Couarruuias, & alij. Verumtamen ſeù Beroſus ſit, ſeù quiuis alius illius temporis Hiſtoricus, tale incendium fortè illud fuiſſe poteſt exiſtimari, cuius extabant adhuc veſtigia, & indicia tempore Diodori Siculi & Strabonis, qui ſub Auguſto, ac Tiberio vixiſſe feruntur

Omnes rerū formæ quomodo fuerint ab initio.

Cūcta & ſingula Veſuuij Incendia tradere, ac inuenire cur difficile.

Qui Auctores Beroſi allatum teſtimonium paruipendunt.

quo-

quorum loca iam suprà adduximus. Quod tamen vt non ità facile credam, facit tam magnum, ac tam longum interuallum, quippè contigit anno à creatione Mundi 2197. iuxtà Salianum in Euseb.to.3.& antè Christi aduẽtum 1787. Incendia etenim Vesuuij, quæ post Titum multa extiterunt; valdè minori temporis spatio redijsse obseruata sunt. Primum ergò, cuius extet apud probatos Historicos mentio, hoc sit. Secundum fuit illud, quod Anno Christi 81.9.Kal. Decemb.contigit sub Tito Imperatore, de quo Plinius Iunior in Epistola 16.& 20.lib.6. Xiphilinus ex Dione, Suetonius in Tito, Paulus Orosius lib.7. Cedrenus, Martialis, Silius Italicus,& alij. Tertium contigit Anno Christi 203. Cuius meminere idem Xiphilinus in Seuero, Conradus Lyrostenes de Prodigijs, & alij. Quartum Anno Christi 472. quod describitur à Marcellino Comite in Chronico, Procopio in Hist. Gothorum, & Baronio in Martyrologio Romano sub Leone,& Anthemio (alij sub Leone, & Probiano.) Quintum tempore Theodorici Regis circà annum 500.cuius mentionem faciunt Cassiodorus Epist.50.lib.4. Variar. & Boetius lib. 1. de Consolatione, prosa quarta. Sextum tempore Benedicti II. circà Annum Christi 684. de quo Anastasius Bibliothecarius, Platina in Benedicto II. Sigonius lib.2. de Regno Italiæ, & Baronius in Annal. Septimum Anno 993. sub Ioanne XV. Pont. Max. de quo Baronius ad hunc Annum. Octauum Anno 1307. de quo idem Baronius ex Petro Damiano in Epistolis. Leander Albertus in descriptione Italię,& alij. Nonum Anno 1183. quod per quadraginta dies durauit, vt notat Fulco Beneuentanus in Chronico. Decimum (alij Vndecimum,& rectè, vt puto, habent) se vidisse refert Ambrosius Leo Nolanus in Historia sua Nolana, quam scribebat Anno Domini 1517. vt notauit Vosçius in lib. de Historicis Latinis. Vndecimum illud, quod etiamnum perdurat, licèt mitiori modo, & absque tot horrificis accidentibus, cui Deus totum finem imponat. Hactenus cum Naudæo. At ego aliàs quo-

Primum Incendium. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octauum. Nonum. Decimum. Vndecimum. Adhuc alia.

quoque notabiliter arsisse Vesuuium colligo ex fide dignis Auctoribus, nempè Anno Domini 305. quod magnum incendium, quo tota Europa minutissimo puluere cooperta fuisse dicitur, Sanctus Ianuarius restinxit, & Neapolitanam Vrbem primùm liberauit. Præterea sub Benedicto VIII. Anno Domini 1024. Ad hæc Anno 16. Constantini IV. Imperatoris, quo Anno à Mundi creatione 5883. in vniuersa Italia tonitruis, imbribus, procellis, atque fulminibus homines, & bruta interiere, secutaq́. Sarracenorum eruptio in Africam cum Carthaginis excidio, vt scribit Paulus Diaconus lib. 6. cap. 4. Sed & sub Belisario conflagrasse clarè constat ex Procopio suprà sæpè citato, qui scribit, cum Belisarius Neapolitanos superasset, Vesuuium mugijsse, sed nondum cineres eructasse, quos tamen non multò post efflaturus credebatur. Quod verò Monsterus Geographus prodidit 1539. Vesuuium adeò arsisse, vt è cinerum congerie mons nouus insurrexerit, qui vel hodie Modernus vocatur, nemo non videt, de Puteolano incendio, non Vesuuiano, esse scribendum. Nisi ergò confundantur prædicta incendia, ac eorundem tempora, aliquantò plura vndecim fuerint oportet; Cui rei fidem facit quod alibi ex Dione, & Vitruuio retuli, quorum primus quotannis, secundus verò aliquibus annis interiectis, Vesuuium flagrare solitum fuisse scripsit, ambo de ijs incendijs intelligentes, quæ fuere post illud maximum, & huic nostro quàm simillimum, quod sub Tito emicauit; Nam anteà à sæculis nullum visum, nec auditum, vt patet ex Diodoro, & Strabone locis suprà citatis, & confirmatur ex eo, quòd Plinius Senior de Vesuuij flagrantijs ne verbum quidem. Quippè quæ de Incendio Titi, ac sua ætate facto notauerat, dictaueratq́. præsens, nimisq́. flagrantiæ vicinus, in fumum & ipsa abiere. Quam quidem meam sententiam limitandam esse arbitror iuxtà id, quod à Xiphilino Epitomatore Dionis traditur, nimirùm *non semper eodem modo Vesuuium fumos, flammasq. emittere, sed magis aliquandò,* ali-

S. Ianuarij tẽpore factum & eius precibus extinctum.

Sub Benedicto VIII.

Sub Constantino IV.

Sub Belisario militię Duce.

MõsteriGeographi error.

Mons Modernus Puteolis.

***aliquandò minùs*.** Quod legitur apud Fabium Iordanum factum sub Aragoneis Regibus, sub quibus ait ingentes extulisse flammas, magnamq. cinerum vim efflasse, idem creditur esse cum vndecimo superiùs scripto, & ab Ambrosio Nolano commemorato. Quoniam autem per Vrbem vagatur Incẽdiorum Vesuuij historica notatio, quæ vix à mea differt, ideò hanc libuit apponere, prout ad meas nunc manus peruenit.

Effectuum, siuè Accidentium præsentis Incendij Vesuuiani cum cæteris aliorum tum montium igniuomorum, Aetnæq. in primis, tum vetustiorum incendiorum Parallelus, partim ex varijs antiquis Scriptoribus, partim ex literis, & relationibus Romam Neapoli transmissis elicitus. Symptomatum contemplatio quàm vtilis Medico morborum ideam venãti. Quæ similitudines Medicis imponant; Et Maro à Phauorini notis apud A. Gellium exaratis vindicatur.

CAP. VI.

Quare ex symptomatibus propria morbi natura dignoscitur.

QVIDQVID ab aliquo tanquam à causa deriuat, id etiam illius esse signum docuit Gal. 5. de Loc. aff. 7. & 6. Aphor. 16. quo similiter auctore de Opt. Sect. 8. plerumque symptomata causarum signa dicuntur. Vnde ex symptomatibus propriam, essentialemq. naturam, aut formam morborum non difficulter colligimus. Qui sermo intelligi debet de symptomatibus Pathognomonicis, quæ à morbo non seiunguntur, sed illum perpetuò concomitantur; Quippè cùm adsunt, vnà etiam & affectus adest, cùm

verò

verò cessant, morbus quoque dissoluitur. Quare effectus istiusmodi, siuè accidentia, si intimè penetrentur, nos quasi manuducũt ad quorumcumque morborũ ideam assequendam, ac internoscendam, cùm nobis sint quasi techmeria, & ferè demonstratiua signa eorum, quæ intùs fiunt, & exteriorem sensum effugiũt, de quibus propterea speciatim loquens Gal. in lib. de Cris. scripsit, quòd eorum cõtemplatio vnica via est, qua ad morborum ideam collimandam ducimur, sicut genericè Philosophus in lib. de Anima, magnam dixit partem accidentia conferre ad cognoscendum quod quid est. Iuxtà quem sensum pituitosæ materiæ destillatio, Catarrhum vocãt, vt est cerebri iusto humidioris effectus, ita & signum. Præterea ptyelismus, sitis carentia, eructatio frequens, & acetosa, flatuum suprà infrà eruptio, & serotina ciborum coctio, Bradypepsia vocata, vt effectus, sic signa ponuntur stomachi infirmi, & imbecillis ex discrasia frigida, & humida. Idem ego dixerim de accidentibus, quæ in Vesuuio nunc euenisse dicuntur, quorum exacta dignotio, atque consideratio mirum in modum planabit iter ad intrinsecas illas, subterraneasq. causas, & origines penetrandas, & internoscendas, quæ tantæ in eo ægritudinis fomites alunt, & primordia suppeditant. Verùm hìc non Pathognomonica solùm explicanda sunt accidẽtia, quæ vnà cum flagratione, seù morbo igneo, inchoant, & vnà cum eodem finiuntur, sed alia etiam, præsertim antecedentia mox affuturam tempestatem; è quorum contemplatione maior valdè vtilitas acquiritur, quàm ex alijs, sicut è Prognosticis propriè dictis, ad præcauenda grauiora minitata, impendentiaq. mala, & infortunia. Vt hæc itaq. omnia assequi faciliùs valeam, operæ pretium me facturum duxi, si effectus omnes, singulaq. accidentia, quæ Vesuuius Ardens communia habet cum cæteris flammiuomis montibus, nec non aliàs in se ipso, ob talem casum, perpessus est, in apertum afferam; Quippè hinc curiosis Lectoribus non difficulter apparebit similitudo, quam hoc in loco percurrere in ani-

Cõtemplatio symptomatũ cum Gal. & accidentium cum Arist. ad quid vtilis.

Signa cerebri humidioris.

Signa stomachi frigidi, & humidi, ac ideò imbecillis.

Effectuũ Vesuuianæ conflagrationis consideratio ad quid conferat.

mo est, quæ inter euentus Vesuuianos præsentes, & iam olim toties emicatos, versatur. Hanc autem similitudinem, & comparationem partim ex antiquis Scriptoribus elicere oportet, qui de consimili incendio verba fecerunt, partim ex litteris, & descriptionibus etiam impressis, Romamq; Neapoli missis, vbi testimonia de visu nuncupata, & prorsùs fidelia descripta leguntur. Quæ similitudo cum resultet ex collatione, seù comparatione veterum accidẽtium cum nouis, atque præsentibus, quæ ambo & veridici Historici, & viri fide digni annotarunt, nobis haudquaquam imponet; Differt siquidem talis similitudo ab illis, de quibus in Epid. Hippocrates. *Similitudines vel doctissimis in arte viris sæpissimè imponunt*, & post eum Plato in Sophista, & Arist. 7. Topic. *Rerum similium dissimilitudines, & dissimilium similitudines posse cognoscere, periti solùm Artificis est*. Cuius rei exemplum in Medicina sint soporosi capitis affectus, videlicèt Coma, Caros, Catalepsis, Lethargus, qui ab inuicem difficillimè discernuntur, sicut in pectore Pleuritis, & Peripneumonia, præsertim quando vtraque affectio non ità legitima est, & exquisita; Nam vera Pleuritis scientifica habet signa apud Gal. 12. Methodi. Et denique in ventre Colica diathesis, & Nephritica, in quibus internoscendis, vel Galenus in seipso aliquandiù hallucinatus fuit. Ex quo etiam factum est, vt dolor colicus cum iliaco confunderetur, vt nullibi de illo meminerit Hipp. & scribat Celsus lib. 4. Medicos sui tẽporis vocasse morbum colicum, quem Diocles Carystius vocabat Ileum. Sub Ileo siquidem colicus dolor comprehendebatur tam ab Hipp. quàm alijs. Quò nescio an respexerit Aretæus dicẽs: *Interdum, qui coli morbo vexantur, perire morbo Ileo.* Quæ causa etiam fuit, cur Plinius lib. 26. cap. 1. memoriæ mandauerit, colicum morbum primum omnium expertum fuisse Tiberium Imperat. Ad Vesuuium, cuius in hodierna conflagratione euentus, effectusuè, & accidentia, quæ hactenus fuerunt animaduersa, tantam cum præteritis etiam antiquis-

Similitudo effectuũ huius incendij cum anteactis vnde sumenda.

Quænã similitudines hominibus imponant.

Medicis in morbis Capitis.

Pectoris.

Ventris.

Colici doloris nulla apud Hipp. mẽtio.

Idẽ sub Ileo comprehensus.

Plinius declaratur.

tiquissimis affinitatem, & similitudinem habent, vt eadem, non similia tantùm, vnicuique videri possint, si præterita cum præsentibus ritè conferantur; quæ pariter non peculiaria, aut propria Vesuuij sunt, itaut illi soli competant, sed communia alijs quoque montibus igniuomis, tam in Italia, vt Aetnæ in primis, quàm extrà, vt Heclæ in Islandia, & Aconocaumæ in Aethiopia; Quippè verè scripsit Solin. cap. 40. *Quod in Campania Vesuuius, in Sicilia Aetna, hoc in Lycia mõs Chymæra est; Mons nocturnis æstibus fumum exhalans.* Videamus itaq. in primis quidnam veteres Scriptores de amborum horum Italiæ montium euentibus, sibi inuicem per cuncta, & singula correspondentibus, memoriæ mandauerint, Quæ si attentè, & accuratè Lector consideret, patebunt ei cuncta accidentia simul, & signa tam imminentem cladem præeuntia, è quorum agnitione prægressa accolæ, & propinqui, fuga arrepta, saluti propriæ consulere possunt, quàm concomitantia, & superuenientia, velut quæ grauiora adhuc instent, præsagire nos edocent. En ergò quid de Aetna grandiloquo more suo canit Virgilius 3. Aeneid.

Accidentia Vesuuij similia & communia esse alijs mõtibus igniuomis.

-------sed horrificis iuxtà tonat Aetna ruinis,
Interdumq. atram prorumpit ad Aethera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitq. globos flammarum, & Sydera lambit
Interdum scopulos, auulsaq. viscera montis
Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq. exæstuat imo.

Aetnæ ex Virgilio.

Vbi valdè magis imitari voluisse videtur Virg. Lucretium, quàm Pindarum, pace dictum sit Phauorini apud A. Gell. qui temerè nimis in hæc Virgil. carmina inuehitur, quæ sanè rei veritatem explicant, & narrant, vti Pindarica, imò luculentius, & tamen nunquam hìc à veritate Poeta discedit, si Lucretio, quem æmulandum hac in re suscepit, quemadmodùm & Straboni, præstãda fides est; quippè ambo tradunt cum Virgilio, è faucibus Aetnæ, inter cætera,

Idem à notis Phauorini vindicatus.

euomi ſaxa immenſa, & ardentia, quæ pariter ab ignis impetu, & aquarum inflammatarum flagrore colliquefiunt, vt idem Strabo lib. 6. illis in verbis aſſerit: Τακείσης γὰρ ἐν τοῖς κρατῆρσι τῆς πέτρας, εἶτ' ἀναβληθείσης. Sed nec omittamus Lucretij verſus, vt, quod diximus, magis luceſcat.

Hic vbi percaluit, calefecitq. omnia circum
Saxa furens, quà contingit terramq. & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem
Tollit ſe, ac rectis ità faucibus eijcit altè
Funditq. ardorem longè, longèq. fauillam
Differt, & craſſa voluit caligine fumum
Extruditq. ſimul mirando pondere ſaxa.

Quod ſi nec Lucretius, nec Virgilius dicunt, interdiu fumare Aetnam, noctu verò flammigare, vt Pindarus canit, idcircò culpandi minimè ſunt, nec Virgilius quidquam confundit, vt malè contrà eum ſentit Phauorinus, qui de tanti Vatis eudoxia ne hillum ſanè detrahit. Ad viuum quippè exprimũt tam Lucretiana, quàm Virgiliana carmina quæcumque non ſolùm Aetna, ſed etiam in hodierno incendio, ac terræmotu paſſus Veſuuius eſt, vt ipſiſſima illa ſint, quæ non rarò, ne dicam aſſiduè, Aetna promere conſueuit, quæq́. nunc ab incolis Veſuuij, & à vicinis, ac aliquantiſper diſſitis populis obſeruata, ad Romanos varios per litteras, relationesq́. typis traditas ad hanc vſque diem ſignificata fuerunt. Verùm & Silium Italicum adeamus, qui cauſas breuiter affert, de quibus infrà ſuo loco diffusè agam, & neſcio quæ ponit ſigna arſurum montem præindicantia, quæ licèt ipſe nec de Aetna, nec de Veſuuio ſcribat, vt Capacius autumas ſe videtur, ſed de Foro Vulcani ſuprà Vrbem Puteolorum poſito, hodie dicto *la Solfatara*. aliter etiam ab antiquis *Campo Phlegræo*; in quo fabulati ſunt Herculem viciſſe Gigantes, vt colligitur ex Plinio lib. 3. cap. 5. tametſi ſub Phlegræi campi nomine tota comprehendatur Campaniæ planities (vt ex Diodoro Siculo, & Polybio clarè oſtendit Cluuerius) attamen Plinius Nepos teſtis oculatus,

Foro Vulcani in Campo Phlegræo ex Silio Ital.

tus, & Cassiodorus Vesuuianis incendijs suorum temporum pari modo contigisse narrant, vt nominibus mutatis, tam Aetnę,& Vesuuio,quàm alijs igniuomis montibus planè congruant,iuxtà hæc Silij carmina:

----------------------tum sulphur, & igni
Semper anhelantes, coctoq. bitumine campos
Ostentant. Tellus atro exundante vapore
Suspirans, vstisq. diù calefacta medullis
Aestuat, & stygios exhalat in aera flatus,
Parturit, & tremulis metuendum exsibilat antris;
Interdumq. cauas luctatus rumpere sedes
Antexire foras, sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, lacerataq. viscera terræ
Mandit, & exesos labefactat murmure montes.

Lucretium verò nunc prætermitto,cuius carmina de Aetna inferiùs referam, vbi de causis erit sermo, cui tamen oscitanter attribuuntur à doctissimo alioqu ,ac diligentissimo Capacio nescio quæ alia perpulchra carmina, in quibus eleganter admodùm,ac subtiliter enarrantur causæ incendiorum tam Aetnæ, quàm Vesuuij, quæ infrà vnà cum germano Auctore adducam;Interim verò ad rem nostram, pro qua mirè facit,quod Solinus Polyhistor de Aetna scribit illis in verbis. *In Aetnæ vertice hiatus duo sunt crateres nuncupati per quos eructatus erumpit vapor* (hos duos hiatus crateresuè vidit, & obseruauit P. Bembus, quorum alter aliquantulum inferior erat, & valdè minor, figuræ rotundæ,sed angustus, & putei instar profundioris, saxea circumdatus planitie,alter in paulò altiori situ multò amplior, circuitus medij milliarij, è quo ignis è diuersis fumariolis alternatim prosiliebat, sed qui, post Bembum, Aetnæ loca hæc ascenderunt, vt Fazelus, & alij, crateris istius circuitum ad quatuor circiter milliaria extendi asseuerant) *præmisso priùs fremitu,qui per æstuantes cauernarum latebras lōgo mugitu intrà terræ viscera diù voluitur,nec antè flammarum globos attollit, quàm interni strepitus antecedant.*

Oscitantia Capacij.

Aetnæ iterū ex Solino.

Ex Bembo & Fazelo.

Ità

Hodiernum Vesuuij incendium præcessere interni fragores.

Ità hodie in Vesuuiano monte, prius quàm flammæ è vastis eius fornacibus efflarentur, accolę quidam retulere Excellenti Medicinæ Doctori Ascanio Roccho Oppiduli Sanctæ Anastasiæ Medico, vt ipse in quadam sua Epistola in lucem edita testatur, vel per initia Decembris se audiuisse sonitus & fremitus varios magno cum eorum terrore, qui strepitus, & soni in dies inualescebant, vsque ad flammarum eruptiones, ac internorum humorum sulphureorum turgescentium euomitionem, iuxtà illud Maronis *6.* Aeneid.

Sub pedibus mugire solum, & iuga celsa moueri.

Sicut olim Poteolanum.

Addo, quòd in Puteolano incendio anni 1538. in quo Neapolitana Vrbs, ob viciniam, multa quoque passa fuit incommoda, antequam oriretur, nocte antecedente diem S. Michaeli dicatum, à longo retrò tempore, scilicèt per biennium, cùm terræmotus varij, tum mugitus, ac fremitus subterranei per loca illa facti & exauditi sunt. Sic denique

Et sub Tito editum.

incendium sub T. Vespasiano, vt Plinius Nepos ad initium Epist. 20. recolit, præcesserat per multos dies tremor terræ minus formidolosus, quia Campaniæ solitus, qui tamen prima illa nocte ità inualuit, vt non moueri omnia, sed euerti crederentur. Quibus propterea tremoribus gens illa Vesuuij accola terrefacta, & impendentis ruinæ admonita, statim, relictis domibus, & rebus cunctis, turmatim magno

Neapolitanorum Pietas.

numero partim ad idem Sanctæ Anastasiæ Hospitium, partim Neapolim confugit, in qua Vrbe magnificentissimè, perhumaniter excepta à pio admodùm populo, varijs in domicilijs alitur, & custoditur, hortatu maximè accedente, & opera, imò etiam non ordinaria impensa Em.mi Cardinalis Boncompagni Archiepiscopi, nec non Exc.mi Proregis C. Monterey, qui ambo in his tot aduersis, nec Titi Vespasiani pietati cedunt, quem Suetonius ait in magnis illis sui temporis tam Vesuuij, quàm Vrbis incendijs, imò & pestilentia, quæ ijs successit, non modò Principis solicitudinem, sed & Parentis affectum vnicum præstitisse, &, post Suetonium, Zonaras lib. 2. scribit, misisse in Campaniam

Card. Boncompagni Archiepiscopi, & Proregis C. Monterey Vigilantia, ac Munificentia. Quales in Tito olim.

colo-

colonos, pecunias donasse, multaq. publica ædificia ære proprio extruxisse; nec Theodorici Regis munificentiæ, quam hoc in loco non possum non commendare, ob Epistolam Fausto exaratam, cuius apud Cassiodorum lib. 4. Variar. 50. hoc est exordium. *Campani, Vesuuij montis hostilitate vastati, clemẽtiæ nostræ supplices lacrymas profuderũt, vt agrorum fructibus enudati subleuentur onere tributariæ functionis. Quod fieri debere nostra meritò pietas acquiescit.*

ac Theodorico Rege.

Prætereà S. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 3. cap. 31. tradit, igne Aetnæ sæuiente, vel marinas aquas comburi, vt hæc vnà possit esse causa ex illis, propter quas huiuscemodi aquis circum littora proxima mõtibus igniuomis, deficientibus, mare retrò fugisse videatur, & piscium à subitario feruore, sicut ab intermistis sulphureis torrentibus, mortalitas acciderit; vt in hoc incendio, ac terræ motu euenisse certo certiores sumus, sicut & in vltima Puteolana conflagratione, Simone Portio Medico auctore:

Vndenã mare retrocessisse dicatur.

Vndepiscium mortalitas.

Legimus (inquit D. Augustinus) *apud Ethnicorũ historias, Aetnæis ignibus ab ipso montis vertice vsque ad littus proximum decurrentibus, ità ferbuisse mare, vt rupes exurerentur, & pices nauium soluerentur. Eodem rursùs æstu ignium tanta vi fauillæ oppletam esse Siciliam, vt Catinensis Vrbis tecta obruta, & oppressa diruerent.*

Nonnulla rursùm de Aetna ex D. August.

Quibus subnectamus Iulij Ethnici verba, vnde sua mutuatus esse videtur idem Sanctus, quæ referuntur à Ludouico Viues in Scholio ad eum locum. *Marco Aemilio, Lutio Aurelio Coss. Aetna mons terræ motu ignes super verticem latè diffudit, & ad Insulam Lyparas mare efferbuit, & quibusdam adustis nauibus vapore plerosque in naualeis exanimauit; piscium vim magnam exanimem dispersit, quos Lyparenses auidius epulis appetentes, contaminatione ventris consumpti sunt, itaut noua pestilentia vastarentur Insulæ.*

Ex Iulio Ethnico.

Hæc ille, à quo eadem decerpsit Orosius lib. 5. cap. 10. Vbi quæ de piscibus emortuis, & de pestilentibus morbis ab eorum esu narrantur, Plinij quoque testimonio corroborari possunt, qui loquens de Insu-

De piscibus è mortuis in sicco inuentis, & morbis ab eorũ esu.

Insula quadam in Thusco sinu de repentè exorta, ob magnam flagrantiam, & ventorum turbines, circum eam fluitasse scribit magnam piscium multitudinem, confestimq. expirasse, quibus ex ijs cibus fuisset. Id quod nunc minimè contigit, quando multi è plebe huiusmodi pisces innoxiè comederunt. Seneca insuper lib. 2. cap. 30. memorat, montem Aetnam aliquandò suo multo igni ingentem vim arenæ vrentis effudisse, inuoluisseq. diem puluere, & populos subita nocte terruisse, cum plurima fuissent tonitrua, & fulmina. De quo similiter monte, inter alia, quæ flagrans mirabiliter edit, id affert Lucretius:

De eodem Aetna ex Seneca.

Lucretio.

Extruditq. simul mirando pondere saxa.

Collatio cum Vesuuiani incendij accidentibus.

Hæc igitur omnia, & singula in Vesuuiano incẽdio affuisse, nemo est, qui dubitet, ex tot litteris & relationibus perscriptis. Vnde tota illa Campaniæ regio monti contigua, & Parthenope ipsa, sicut & Nola, indicibili cinerum, & arenarum diuersarum copia vbique locorum obductæ sunt, & oneratæ, quarum molem, & pondus cum nec domorum Villarum adiacentium tecta, nec arbores quantumuis vastæ, ac validæ sustinere valuerint, illa solo æquata sunt, hæ partim ab onere depressæ, partim verò simul ab ignea amborum qualitate exesæ corruerunt; Qua pariter occasione media die, ac lucente Sole, tenebræ de repentè visæ sunt, à fumante vapore crasso, nubibusq. cinereis, radiorum lucis coruscatione interclusa, vt nullus foret, qui, absque luminibus, alterum de facie agnosceret, nisi vocibus tantùm

Plinij nep. testimonium de maris defectu, & pisciũ nece ad littora illa, sicut hodie.

Plinius Nepos Epist. 20. de fuga maris, aut potius defectu ad littora illa, nec non de piscium nece Tacito scribens, itá loquitur: *Præterea mare in se resorberi, & tremore terræ quasi repelli videbamus. Certè processerat littus, multaq. animalia maris in siccis arenis detinebat.* Talia prorsùs hodie visa sunt in toto illo tractu vsque Neapolim, intrà cuius portum triremes, & naues vix tutam habere stationem videbantur. Idem de cineribus censendum, quando ipsemet Plinius subdit ad finem: *Occurrebant trepidantibus*

adhuc

adhuc oculis mutata omnia, altoq. cinere tanquam niue obducta. Saxa autem, etiam immensæ molis, & quamplura, tam ad mare, quàm ad planitiem, Nolani præsertim territorij, Vesuuium protelasse, & è suis voraginibus tanquàm paleas despuisse, tum ferè peninsula in vicino mari, longitudinis fermè vnius milliarij repentè genita, commixtis tamen quoque miræ magnitudinis arboribus, atque cineribus, tum propinqui agri anteà campestres tantùm, & quaquauersum plani, nunc verò ex tot tantorumq. in illos lapidum proiectu, in saxeos veluti montes tuberati, satis superq. demonstrant. Surius vir doctissimus, & pius Commentario Anno Domini 1537. de eodem Aetna, & eius incendio verba faciens, notat & ipse quæ hodie hoc in incendio Vesuuiano acciderunt. *A Mense Aprili* (inquit) *Aetna mons Siciliæ materia plenus sulphurea, quam humida gignunt nutrimenta, ingentem ignis massam euomuit, quæ passim decidens colles, nemora, saxa, rupes, pagosq. duos flammis vastauit, arbores, homines, & pecora magnis affecit cladibus.* Ità in Ischia Insula, olim Aenaria dicta, in qua tot patent aquarum thermalium scaturigines, Cæsare Augusto, Tito, & Antonino Quarto, atque Diocletiano imperantibus; nec non L. Martio, & Sexto Iulio Coss. ingenti aperta voragine natum incendium legitur, vnde tanti quoque eruperunt ignes Anno salutis 1300. vt totam ferè Insulam conflagrauerint. Citatus Surius ibidem loquens de Hecla Islandiæ, quædam admiratu digna affert, ad rem præsentem illustrandam, & ad destinatum argumentum validiùs roborandum, mirè conducentia, quæ ob id silentio nunc inuoluenda non sunt. *In Islandia*, ait, Insula *(quæ in Oceano sita in æstiuo Solstitio noctem nullam brumali, nullam diem habet) mons est Occidentem versus, Hecla dictus, à quo non longè absunt fodinæ Sulphuris, quod inde copiosissimè plenis nauibus euehitur, mons ille cum furit, haud secùs, atque horrenda tonitrua insonat, proijcit ingentia saxa, Sulphur euomit, cineribus egestis terram circumcirca*

Alij effectus in Aetna similes Vesuuianis ex Surio.

In Aenaria, seù Ischia.

In Hecla Islandiç ex eodem Surio.

tàm longè operit, vt ad vigesimum lapidem, vel milliare coli non possit. Sunt ibi multæ voragines, ità cineribus opertæ, vt vix euitari possint ab illis, qui vt eius incendij naturam explorent, propiùs montem accedunt, è quibus plerique viui à voraginibus absorbentur. Emergit illic ignis quidam, qui aquam absumit, stuppam non absumit. Balthassar Diaz ex Malacca 1556. scripsit, quòd in Malucco Insula Orientis plagæ in Regis Ternatis ditione excelsus mons est, frequentibus antris, ex quibus plurimus ignis in longum ductus, ac etiam fumus exhalatur, iactanturq. ab imo tantæ amplitudinis saxa, quanta sunt quibus ad molendum vtimur. Horror autem fragoris æquandus est cuicumque in toto Orbe terrarum; propemodùm enim tonitrua inde exaudiri tradit non minore strepitu, quàm sit bombus ingentium bombardarum, & huius modi ignem atrum esse, sicut & cineres, cum nil splendescat. Tandem quæ Seneca in Quæstionibus naturalibus refert de vi terræ motuum, eorumq. effectibus, an non verè quadrant hodiernis in Vesuuio enatis? scribit enim terræ motus terram ab infimo mouere, magniq. ponderis molem trahere, nunc amnes notos introrsùm cõuertere, nũc exprimere ignotos, & aquarũ calentiũ venas aperire, cũ his, quæ sequũtur; ab accolis ferè omnibus hodie infeliciter expertis. Sed relictis tot alijs flãmiuomis montibus, cum quibus Vesuuius tantoperè conuenit, adhuc propiùs ad eum accedamus, & in eius solùm penetralia penetremus intimiùs; Quippè cum id mente tantùm, non item corpore fiat, nullum nobis inde vitæ imminebit periculum, & ob oculos omnium ponantur quæcunque iam in retrò perpessis conflagrationibus, quibus mons ipse sibi ipsi, & proximis, remotisq. oppidis, agris, nemoribus, & animantibus varijs tot memorandas intulit clades, & nuperrimè in etiamnum vigente ex vastis faucibus vomuit, ac eructauit; Quæ sanè, aut peiora, terribilioraq. antiquis fuisse censeo, aut quæ saltim illis neutiquam cedant, tametsi etiam de eo morbo sermo accipiatur, quo, Tito do-

In alio monte Malucchi Insulæ Oriẽtis plagæ ex Balthassare Diaz.

Similitudo præsentium effectuũ cum aliquot à Seneca relatis.

Præsentis incendij euẽta antiquis minimè cedere, si non superant.

dominante Vespasiano, quem omnium vehementissimum vnanimiter omnes appellant, calamitosè flagrauit; cum quo in primis hic planè cōsentit, præterquàm in vno, quod iam cunctis est manifestum, & in altero, quod primùm summi Dei beneficio, ac Sāctorum Apostolorum Petri, & Pauli intercessione, mox verò etiam naturalibus rationibus infrà adducendis minimè euenturum spero; Illud, quoniam tempore Titi incendij Vesuuiani violentia per terremotus, nubes cinerum densissimas, Solis opacitatem, aliaq. terrifica portenta tam ad Vrbem, quàm ad vicina Vrbi perlata quoque fuit, quorum omnium hodie ne vestigium quidem. Hoc Pestilentia est, quæ post menses aliquot, vtrisque incendijs cùm Vesuuij tum multorum mirabilium Vrbis ædificiorum, præsertim verò Templorum, funestissima successit; De qua re agam pro viribus infrà.

Discrimen inter hoc, & alterum Titi Imperio factum, quod ad Romam spectat.

De eodem Parallelo ex Dione, ac Xiphilino eius Epitomatore, Seneca, Tacito, & alijs; deque Neapolitanorum Religione, ac Pietate, iustoq. timore, necnon præseruatione ab vlteriori strage, à Deo, precibus. S. Ianuarij, impetrata. Gigantum fabula tam de Vesuuio, quàm de Aetna, alijsq. Auernis locis quomodò intelligenda.

CAP. VII.

QVAECVMQVE euenere accidentia anteactis temporibus, occasione Vesuuiani incendij, paulò ante dicebam tantam inter sese habere conuenientiam, & similitudinem, præsertim si quæ hodie cernuntur, conferantur cum illis, quæ Anno Christi 81. Imperij verò T. Ve-

spasiani, apud Zonaram, & Baronium primo apud Cedrenum, tertio, flagrante monte contigisse narrantur, vt sibi inuicem æquè per cuncta propemodùm respondeant, videlicèt anni tempore autumnali, nec non portentosis, ac perniciosis euentis, & multis, diuersisq. infortunijs partim significatis, partim exiguò post vberiùs annotandis. Verumtamen vnum reperio adesse discrimen effatu dignum (quippè alterius præsagium soli Deo competit) quòd Romana Vrbs nostra hac tempestate non modò nullum senserit incommodum, sed nullum penitùs signum viderit, vel audierit, tanquam si incendium hoc subortum non esset, cum tamen ex altera parte in lógè magis semotas regiones, si non damna notatu digna, saltem sui notas terrificas mons ardens, mugiens, ac tremens propagauerit; Id quod non simpliciter ventis attribuēdum, quippe flatus etiam ab Oriente æquinoctiali, & ab Oriente brumali, nimirùm Apeliotes, & Vulturnus, siue Subsolanus, & Eurus, non Africus solus, Austrum inter, & Zephyrum flare solitus, diù validi per illos dies spirauere, quibus mediātibus cinerum, arenarumq. globi ad Romanum clima, & Cælum deuehi facilè potuissent, quemadmodùm euenisse scimus T. Vespasiani tempore, quo pariter inclyta hæc Vrbs, eiusq. regio terræ motibus varijs, & adhuc fortè vehementioribus, quàm hodie Neapolitana, concussa fuit. Pro cuius quidem rei maiori corroboratione silentio inuoluere non debeo quod nautæ quidam è Sardinia ad hæc littora nauigando traiecti retulere multis, nimirùm se, dum parùm ab Insula distarent subtilissimo puluere cinereo obductos fuisse, nescientes discernere è qua Cæli plaga caderet. Videamus ergò, quæ Dio Cassius in primis data opera cum Xiphilino Epitomatore de Vesuuiano incendio scribit, quod, regnante Tito, & Plinio vtroque viuente, ac prospectante, factum fuit. Postquàm itaq. Dio notauit multa sub eodem Tito accidisse horribilia (Suetonius in eius vita tristia, & fortuita vocat) mox adijcit, cœpisse circà eam regionem videri, ceù

Differentia notatu digna quòd in illo incendio Vesuuij Romana Vrbs & regio multa passa fuit incommoda, in hodierno, ne vnum signum quidē visum, auditumue fuit.

Quare ventis hoc attribuē dum non est.

De Vesuuij incēdio tempore Titi ac vtriusque Plinij, ex Dione.

vastas hominum imagines, nempè Gigantes, versariq. eas in aere, ac interdiu, noctuq. circà illas cauitates vagari, posteà secutam magnam siccitatem, repenteq. graues adeò terræmotus, vt tota illa planities squallida iaceret, montiumq. culmina subsiderent. Ad hæc sonitus subterraneos, tanquàm tonitrua, ac super terra mugitibus similes extitisse; Mare simul fremere, Cælum resonare, ingentemq. ac repentinum fragorem, quasi montes simul corruerent, exauditum. Tum exilijsse in primis immensos lapides, quos magna vis ignis est consequuta, fumiq. adeò tenebrosi, vt omnem aerem obscurarent, Solemq. (quasi Eclipsis foret) occultarent, noctemq. ex die, & diem ex nocte flammis coruscantibus redderent. Quibus prodigijs perterritos homines, alios antiquam Gigantum inter se ortam seditionem dixisse, quorum velut clangor tubarum in aere audiretur; alios Mundum in Chaos redigi, aut igne consumi putasse, & cum peiora vsque futura euenta suspicarentur, exanimes alios ex ædibus in vias, alios de vijs in ædes confugisse, nec mari, nec terra, ità erant cuncta atro cinerum turbine occupata, se tutum quempiam arbitratum esse. Quam rem (addit) multa damna, vt cuique sors tulit, importasse, non solùm hominibus, & agris, ac pecoribus, sed etiam piscibus, volucribusq. & hos omnes peremisse, duasq. insuper Vrbes Herculaneum, & Pōpeios, huius populo sedēte in theatro, penitùs obruisse, ac denique tantam fuisse vim cinerum, vt inde in Africam vsque, & Syriam, Aegyptumq. peruenerit, introieritq. Romam, eiusq. aerem oppleuerit, Solemq. obscurauerit. Quæ omnia, & singula quoties vel apud Dionem, vel apud alios legerint Neapolitani nostri æui (nam hodierni incendij ad Romanos, ne signum quidem, non modò damnum diuina gratia perlatum esse scimus) refricetur vlcus in eis necesse est, quamuis foret callo iam obductum. Si etenim Romæ olim sub Tito ex conflagratione Vesuuij procul ab ea dissiti horrifica tot signa, & portentosi euentus superuenere, cuiusmodi sunt, quæ à Dione com-

Neapolitanorum iustus timor in hac Vesuuiana conflagratione vnde ortus.

commemorantur, quæq. inuictos Romanorum illorum animos tantoperè concusserunt, hinc omnes eliciant, quanto animi terrore iusta de causa perculsi hodie fuerint Neapolitani omnes, quorum famosissima Ciuitas sex tantùm circumcircà milliariorum interuallo à furente monstro distãs est; crebris terræ motibus conquassati, cineribus, fauillis, & atris fumi nubibus penè obruti, ac præfocati, diurno Solis, nocturno Lunæ lumine orbati. Puto enim & nunc euenisse, quod Plinius Nepos expertus fuit, quippè nox, vt ex Epist. 20. constat, non qualis illunis, aut nubila, sed qualis in locis clausis, lumine extincto; hinc inde tonitribus, fulgetris, ac veluti bombardarum fragoribus assiduis, & mœstis Canum, quasi lugubri voce querelam attollentium eiulatibus, vigiles, ac insomnes redditi, hac illac excurrentes; locorum subinde facta mutatione, dolori intimo aliquod perquirentes leuamen, aliquodq. ità auxilium sperantes; comparatione eorum, qui vel Colicis, vel Nephriticis doloribus acerrimis cruciati, loco stare nesciẽtes, è lecto exiliunt, & è cubiculo, ac domo exeuntes, rhedis, curriculisq. introclusi, per diuersa, & inuia Vrbis loca vehi, iactariq. mandant, timentes hi ex tam vehementi dolorum acerbitate interitum, illi verò ex tot portentosis euentibus vltimum, ac finale Mundi exitium, tanquam præsens, & ineuitabile. O quàm rectè Plinius Iunior in Epist. 20. nuper adducta, licèt ab initio scribat, *quanquam animus meminisse horret*, cum Tacito tamen loquens, ait: *Audires vlulatus fœminarum, infantium quiritatus, clamores virorum, alij parentes, alij liberos, alij coniuges vocibus requirebant; vocibus noscitabant, hi suũ casum, illi suorum miserebãtur. Multi ad Deos manus tollere, plures nusquam iam Deos vllos, æternamq. illam, & nouissimam noctem Mundo interpretabantur.* Qui timor pariter generosos illos Ethnicos Romanos eiusdem Vesuuij incendij occasione, (tametsi multum à monte remotos) valdè anxios, & solicitos tenebat, quorum alij proptereà, vt iam diximus ex Dione, antiquam Gigantum seditio-

Comparãtur ijs, qui interaneis crucia ti doloribus loco stare nesciunt.

Romani antiqui eodem perculsi timore.

ditionem ſuſcitatam, ſuper quos Veſuuium ardere fama erat, alij in antiquum Chaos cuncta reuerti, terramq. in Cælum conſcendere, & Solem in terram cadere; alij verò demùm igne Orbem terræ conſumendum opinabantur. Inter eos enim fuere etiam, qui Mundo ſupremum exitum ab igne inſtare credebant, quemadmodùm & nos ex fide credimus. Quò forſitan ſpectãt verba illa Plinij lib. 2. c. 106. de Aetnæ igne, vt etiam cenſet Dalecampius: *Nec in illo tantum natura ſæuit exuſtionem terris denuncians*. Et quæ de Stoicorum mẽte recolit Seneca lib. 3. Quæſt. Nat. *Ignis exitus mundi eſt, humor primordium*. Legebant ſiquidem & Græci & Romani tam Chaldæorum & Aegyptiorum, quàm Hebræorum monumenta, quorum placita, & monita ſuis quoque libris non raró inſerebant. Cum quibus poſtremo loco recenſitis Neapolitani ipſi meritò nunc conuenerunt, vtpotè qui ex fide, & Sacris paginis optimè norunt, igne tandem Mundum comburendum, taliaq. horrifica, & portentoſa euenta tunc fore expectanda, præter bella, fames, peſtilentias, Vrbiumq. voragines ab eorum tractu paucis retrò annis non vſque adeò longè factas, quæ omnia cum mortale genus noſtra hac tempeſtate experiatur, vel de propinquo audiat, & agnoſcat, conſiderent omnes temerè ne, aut nimis pauidè, vt neſcio qui illis obijciũt, de extremo ipſorum, totiuſq. Orbis excidio, in tot anguſtijs, atque portentis, veriti ſint; An potiùs ex Fide, ac Euangelio creditam, affuturam mox communem omnibus cladem, ex quo tot horrifica ſigna micauere, piè, ac rationabiliter perſuaſam ſibi fecerint. Quod autem de Gigantum pugna Dio narrat, alij de Aetna ſimiliter referunt, intrà ſcilicèt amborum montium, imò & aliorum Auernorum locorum ſpecus, & viſcera illos fulmine ictos à Ioue protruſos fuiſſe, quod contrà eum bellum mouere ſint auſi, qui aliquandò ſeditionem renouaturi in eodem monte, & alijs, ac regione finitima, & proximis Ciuitatibus interdiu, noctuq. vagari ſoleant, mugitibus varijs, ceù tubarum clangori-

Exitum mundi per ignem vel Ethnici cognouere.

Neapolitani à nota liberati.

Gigãtum Fabula tam de Veſuuio, quã de Aetna, & Foro Vulcani.

gori-

goribus omnes terrefacientes. Quò respiciens Silius Italicus lib. 12. Fori Vulcani, quod est suprà Puteolos, hodie dictum *la Solfatara*, loca eleganter, curateq. describens, pòst aliquot alia carmina superiùs relata, hæc etiam adhibet.

Ex Silio Italico.

Tradunt Herculea prostratos mole Gigantes
Tellurem iniectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiesq. minantur
Rumpere compagem impositam, expallescere Cælum.

Philostrato.

Cum qua fabula concordat quod Philostratus in Heroicis refert, Neapolitanos mira Alcyonæi Gigantis ossa prædicare consueuisse, quòd in ea regione multi Gigantes icti fuerint, & Besbius mons super ipsos ardeat. Quod tanquàm fabulosum minimè admittitur; attamen fabulæ puto & ipse locum esse datum ex turbinibus ignium inde quasi Inferni faucibus, & ostijs eructatis, sicut ex intimis strepitibus, atque fragoribus, qui antè, & post incendij eruptionem cum telluris concussione audiuntur; Ex quo factum est etiam, vt sublimis illa montis pars, è qua tonitrua cum fulgetris, & flammis tāto cum strepitu & incolarum pauore erumpunt, Dæmonum appelletur (vernacula lingua *monte d'Ieuoli.*) Quibus ex Dione, & alijs relatis connectendum, quod de ingenti clade, quam eadem Campaniæ loca sexdecim annis antè, vt ponit Cluuerius, viginti, vt alij, accepisse testis est Seneca in Quæst. Nat. lib. 6. cap. 2. quam ipse (ni fallor) censeo illammet esse, quam Laconicè, more suo, annotat Tacitus, & soli ventorum turbini attribuit, nulla facta de terræmotu mentione lib. 6. Annal. ità loquens: *Tot facinoribus fœdum annum etiam Dij tempestatibus, & morbis insigniuere; Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit, pertulitq. violentiam ad vicina Vrbi.* Ait itaq. Seneca: *Pompeios celebrem Campaniæ Vrbem desedisse terræmotu, vexatis, quæcumque adiacebant, regionibus, audiuimus, & quidem diebus hybernis, quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Februarij s fuit motus hic Regulo, & Virginio*

Non admittitur, & vnde ei datus fuit locus.

Quæ Vesuuij pars Dæmonum mōs dicatur ab inquilinis.

Ingens Campaniæ deuastatio ex Seneca.

Eadem, cum Pestilentia Vrbis, ex Tacito.

Verba Senecæ de Terræmotu montis Vesuuij.

ginio Coſs. qui Campaniam nunquam ſecuram huius mali, indemnem tamen, & toties defunctam metu magna ſtrage vaſtauit; nam & Herculanenſis oppidi pars ruit, dubièq. ſtant etiam quæ relicta ſunt, & Nucerinorum Colonia, vt ſine clade, ità non ſine querela eſt. Neapolis quoque priuatim multa, publicè nihil amiſit, leuiter ingenti malo perſtricta. Villæ verò præruptæ paſſim ſine iniuria tremuere; adijciunt his ſexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuiſas ſtatuas, motæ poſt hoc mentis aliquos, atque impotes ſui erraſſe, atque dehinc plures Campaniæ renunciauere, indequè migrarunt, negantes ſe ipſos vnquam ipſam regionem acceſſuros. Quæcunque autem ex Seneca allata mox fuerunt, non deſunt viri doctiſſimi, qui putant fuiſſe veluti prodroma ſigna, quæ horrendum Veſuuij incendium ſub Tito affuturum præcederent, vt ſi tunc montis eruptio facta non ſit, via tamen fuerit proſtrata, vt alio poſtea ſpirituum niſu Crater aperiretur; Exiſtimant enim hiatum in monte nullum extitiſſe, ante incendium imperij eiuſdem Titi. Quod verò terræ motus per aliquod retrò tempus regionem quampiam infeſtantes indicare valeant, ac ſoleant ignis, & incendij eruptionem, facilè & ego conceſſerim, doctus tum hodierna obſeruatione; quippè relatum mihi eſt, aliquot antè annos crepitus, & neſcio quos motus in Veſuuio fuiſſe perſentitos, quod nunc etiam monumentis traditum legi apud eruditos viros, tum exemplo antiquiori Ferrarienſis infortunij Patrum noſtrorum memoria: Anno etenim Domini 1570. Nouembr. 17. terræ motus ingens, ac ſæpè ſæpius repetitus Ferrariam inſignem noſtræ Italiæ Vrbem quaſſare, & diruere cepit, perſeuerans ingenti cum ædificiorum demolitione per integrum fermè annum, cui poſtmodum ſuperuenit ſulphurei fontis ardentis, ac peſſimi odoris cum magna piſcium Padi fluminis ſtrage, eruptio, cui etiam peſtilentia Venetorum ſucceſſit, verùm, ne à Veſuuio diſcedamus, Plinius Epiſt. 20. *Præceſſerat,* inquit, *permultos dies tremor terræ minùs formidoloſus*

De eodem Neapoli facto vti hodierno.

Prædictus Terræ motus Veſuuij abſque incendio fuit,

Terræ motus præcedere ſolere ignis eruptiones, & incendia.

Ferrariæ per annum perſeuerans incendium ſub ſecutum prę indicabat.

Eidem Venetorum Peſtilentia ſucceſſit.

sus, quia Campaniæ solitus, illa verò nocte ità inualuit, vt non moueri omnia, sed euerti crederentur. Quem locum supra etiam citaui. Quantum autem spectat ad ea, quæ exiguò ante ex Senecæ auctoritate retuli, his quæ occasione motionis terræ Vesuuij hodiè euenerunt mirum in modũ congruunt, maximè verò vbi ait: *Neapolim priuatim multa, publicè nihil amisisse:* quippè qui & nunc priuatim intra Vrbem præter cinerum, arenarumq. pluuias, domorum vacillationes, & nescio quos non contemnendos tremores, ingentemq. sanè animi timorem, nihil detrimenti tàm in priuatis, quàm in publicis rebus, & ædificijs passi sunt: At in locis exterioribus, seu in monte positis, seu eidem proximis, priuatim multi, multa in agris, pecoribus, oppidis, quorum Domini sunt, damna perpessi fuerunt, verùm terræ motus tunc solùm factus, non flagratio montis, vt hodie. Quos proinde credere fas est, Deum Trinum ab vlteriùs sæuiente malo, & iamiam instanti exitio præseruasse, quia illicò, Niniuitarum imitatione, ad supplicationes, ieiunia, flagellationes, reatuum confessiones, & Sanctissimæ Eucharistiæ frequentius iteratam refectionem, necnon ad B. Virginis, ac S. Ianuarij patrocinium, quod olim non secus, ac hodie mirabiliter experti sunt, posthabitis cunctis alijs, ex intimo, & contrito corde confugerunt. Statim enim, ac sanguis ille miraculosus, qui miraculum vel oculis circumstantium subita sui tum colliquatione, tùm concretione præbet, vasculum liquatus intra vitreum vasculum à pientissimo Pastore in tot aduersis furenti, terribiliq. monti sub signo S. Crucis expositus, & obiectus fuit, coram toto populo lachrymante, & flebiles voces delictorum veniam implorantes ad Christi Seruatoris nostri aures in Cælum vsque proiectante, cuncta in melius verti, & mutari visa sunt, vt saltem in Vrbem delicijs alioqui magnis, & mundi illecebris affluentem, sed piam valdè, & Catholicæ fidei addictissimam, funestior strages impendens debacchata non sit. Quod cæleste auxilium aliàs quoque experta Ci-

Tremor terræ Vesuuij per plures dies ante incendium sub Tito.

Neapolitani cur hodie ab vlteriori sæuitie incendij Vesuuiani præseruati fuerunt.

Miraculum sanguinis S. Ianuarij.

Neapolitana Ciuitas delicijs quidem affluit, ac mũdi illecebris, sed pia admodum est, Catholicaq.

uitas

uitas illa fuit. Cui proximum Vesuuij incendium maximũ, quod omnem Europæ faciem minuto contexit puluere, adeò vt Constantinopolitani, ad quos magno omnium timore cinis perlatus est, huius rei memoriam septimo Idus Nouembris celebrarent, & Leo tunc ibi imperans exterritus Vrbe seccesserit, & ad S. Mamantum concesserit, S. Ianuarius extinxit, vti constat ex Sigonio, qui ex Marcellini Chronicis hæc recolit lib. xiiij. Imp. Occid. Ideò in Actis tanti Patroni, quæ apud Neapolitanos custodiuntur, post alia multa verba, denique hæc habentur. *Ità B. Ianuario Martyre intercedente Vesuuij montis ignita interruptio extincta est.* Plura qui cupit, Baronium adeat, dum interim ego hùc afferre constitui similitudinem extinctionis ignis in Aetna pari miraculo à Deo concessæ; vt quemadmodum suprà ostensum à me fuit, in quot, & quibus Aetna, Vesuuiusq́. sibi ipsis conueniant, dum scilicet ambo talia edunt portentosa accidentia, ità clarum fiat omnibus, quomodo Sanctorum Dei, qui in illis mirabilis est, inuocato ex corde adiutorio, finis sæpè huiusmodi exitijs imponatur. Quippè traditum legi apud Baccium lib. 4. de Therm. aliosq́. etiam, anno Domini 254. secundo anno post S. Agathæ martyrium, profluuio ignis ab Aetna iam ad fines Cataniæ impetente, diuina reuelatione factum esse, vt sumerent Catanienses à sepulchro D. Agathæ velum, & solemniter contrà incendij tempestatem irent, taliq́. vexillo tunc, & subinde prolato, Ciuitatem à tanto periculo, cui adeò fuit semper obnoxia, pluries fuisse assertam. Quibus adijciamus vtramque Vrbem, Neapolitanam videlicet, & Cataniensem, huiusmodi miraculis, & è Cælo diffusis gratijs magis indigere, quò tantis periculis crebrò ambæ subiacent. Legitur enim, quòd ad Neapolim spectat, sub Calyxto III. tam magnum motũ editũ esse Nonis Decembris, vt multa Templa, pluresq́. Aedes, magno cũ hominum, pecorumq́. interitu corruerint, non solùm Neapoli, verùm etiam Capuæ, Caietæ, Auersæ, cæterisq́. veteris

Eadem quando, alterius maximi Incendij occasione, intercessione S. Ianuarij liberata, ut hodie fuerit, ex Sigonio, & Actis apud illã custoditis.

Ignis uomitio in Ætna miraculosè extincta.

S. Agathę precibus.

Et eiusdem Velo solemniter cõtra furentem montem prolato à Cataniensibus.

Terrę motũ ingentẽ quando aliàs passa fuit Neapolis cum cęteris Cãpanię Vrbibus, ex Pla

tina, Palmerio, Antonino, & Collenutio.

Campaniæ Vrbibus, in Apulia quoque, ac Pelignis, quarum ruinas idem Auctor, qui scribit, Platina conspexisse magna cum admiratione fatetur in eodem Calyxto III. quæ pariter habentur apud Palmerium, & Antoninum tit. 22. cap. 14. §. 3. Quo tempore Collenutius triginta hominum millia attrita fuisse commemorat. Catania autem in Sicilia terremotu interdum oppressa viginti hominum millia amisisse memoratur.

De eadem re, ex Plinij iunioris, & Cassiodori Epistolis, aliorumq; Scriptorum testimonio, vbi euenta ab ijs enarrata expenduntur, & cum hodiernis comparantur. Signa præindicantia montem breui arsurum, sicut corpus nostrum ægrotaturum. Et cur Romana Vrbs, ac regio præsentis incendij, & motus Vesuuiani damna illa non sensit, quæ in alio sub Tito Vespasiano, physicis primùm, & deindè pijs causis adductis.

CAP. VIII.



EIDEM insistens Paralello, aut collationi effectuum, quos olim, & nunc Vesuuij edidit conflagratio, præter suprà notatos ex Dione, & alijs, qui pariter apud Zonaram in Tito, Procopium rer. Goth. 2. & 3. & Orosium lib. 7. descripti habentur, quorundam adhuc supersunt grauissimorum Scriptorum de illis testimonia, præcipuè verò Plinij Iunioris, alterius Plinij, quem Seniorem vocant, Naturalis Historiæ Auctoris elegantissimi ex matre Nepotis, qui licet non ità proximè Vesuuio ardenti accesserit, vt Auunculus Astamati obnoxius, cuius propterea

Cur Plinius Senior facilè obijt ad Vesuuij oras.

pterea ſpiritalia organa, iam ante anguſta, facillimè à fumante montis vapore craſſo inſpirato occludi potuerũt, & ipſe inde præfocari, cum hodiè etiam quamplures, vt Neapoli ſcribitur, in crebris illis, ac denſis cinerum nubibus tanta aliquando anhelandi difficultate correpti fuerint, vt ex intus cohibito ſpiritu, præpeditaq́. reſpiratione repentè mori vererentur, imò nonnulli etiam è montis accolis ita obijſſe dicuntur, à craſſiori caligine ſpiritu obſtructo, clauſiſq́. meatibus reſpirationi deſtinatis, attamen cuncta, & ſingula proſpectauit, & ad Tacitum Hiſtoricum accuratè perſcripſit, quæ vnà cum Auunculi caſu inf ęlici poſteris per ſua monumenta traderet. Huius itaq́. verba in primis afferam ex Epiſtola xvj. lib. vj. quæ ità leguntur: *Erat Auunculus Plinius Miſeni, claſſemq. imperio præſens regebat, Kalendis Nouembris, hora ferè ſeptima. Mater mea indicat ei apparere nubem inuſitatam, & magnitudine, & ſpecie. Surgit ille, &, vt è Sole ſolebat frigida guſtata; iacens enim ſtudebat, popoſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maximè miraculum illud conſpici poterat. Nubes incertum procul intuentibus ex quo monte (Veſuuiũ fuiſſe poſteà cognitum eſt) oriebatur, cuius ſimilitudinem, & formam non alia magis arbor, quàm Pinus expreſſerit. Nam longiſſimo veluti trunco efflata in altum quibuſdam ramis diffundebatur: Credo quia recenti ſpiritu euecta, dein ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa in latitudinem vaneſcebat, candida interdum, interdum ſordida, & maculoſa, prout terram, cineremue ſuſtulerat. Magnum id, propiuſq. noſcendum, at eruditiſſimo viro viſum eſt, quadriremem aſcendit, omnes illius mali motus, omnes figuras, vt deprenderat oculis, dictauit, enotauitq. Iam nauibus Cinis inciderat, quò propiùs accederet, calidior, & denſior, iam pumicei etiam, nigrique, & ambuſti, & fracti igne lapides, iam vadum ſubitum, ruinaq. montis litora obſtantia. Interim apud Pompeianum Senior Plinius conſederat è Veſuuio monte pluribus locis latiſſimè*

Spirandi difficultas in Neapolitanis & alijs vicinis vnde, & quando ſuborta.

flammæ, atque incendia relucebant, quorum fulgor, & claritas tenebras noctis excipiebat. Area, ex qua di¢ta adibatur, ita iam cinere, mixtisq. pumicibus oppleta surrexerat, vt si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque, Pomponiano, cæterisq. qui peruigilarant redit. In commune consultant. An intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. Crebris, vastisq. tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc, nuuc illuc abire, aut referri videbantur; sub dio rursus, quamquam leuium, exesorumq. pumicum casus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit, ceruicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum aduersus decidentia fuit; iam dies alibi illic nox omnibus noctibus nigrior, densiorque, quam tamen faces multæ, variaq. lumina soluebant. Deindè flammæ, flammarumq. prænuncius odor Sulphuris alios in fugam vertunt, excitant illum, innixus seriùs duobus adsurrexit, & statim concidit, vt ego coniecto, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoq. stomacho, qui illi natura inualidus, & angustus, & frequenter inestuans erat. Hæc ex Epistola Plinij nepotis excerpta à me sunt, prout ad illud horrendum incendium magis, magisq. patefaciendum conducere existimaui, à quo sanè hodiernum vix differt, & post cuius ingentem eruptionem perpetuò mons, diuersimodè tamen, & interdum magis, interdum verò minùs arsisse dicitur, crebra, aut identidem facta incendia passus, quæ plures Auctores annotarunt, vt Plutarchus in lib. de Pythiæ oraculis, & de Sera Numinis vindicta. Procopius rer. Goth. lib. 2. & Cassiodorus lib. Var. 4. Epist. 50. Cuius celebratissimi Senatoris locũ integrũ hùc afferre nõ grauabor, quoniam alterum incendium sui temporis, ac Theodorici Regis elegantissimè describit, in quo pariter notat ea, quæ hodie perpessus Vesuuius est, cum Campania ferè tota. Paulò post itaque exordij verba superiùs relata, in hunc modum

Vesuuij Incendia varia post factum tempore Titi.
Apud Plutarchum.
Procopium.
Cassiodorũ.

dum

dum loquitur. *Laborat enim hoc vno malo terris deflorata Prouincia, quæ ne perfecta beatitudine frueretur, huius timoris frequenter acerbitate concutitur, sed non in totum durus est euentus ille terribilis. præmittit signa grauia, vt tolerabilius sustineantur aduersa; tantis enim molibus natura rixante montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam spiritus grandisono fremitu vicina terrificet. Fuscantur enim aëra loci illius exhalatione teterrima, & per totam penè Italiam cognoscitur, quando illa indignatio commouetur. Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis trans marinas quoque prouincias puluereis guttis compluit, & quid Campania pati possit agnoscitur, quando malum eius in orbis alia parte sentitur; Videas illic quasi quosdam fluuios ire puluereos, & arenam sterilem impetu feruente velut liquida fluenta decurrere: Stupeas subitò, vsque ad arborum cacumina dorsa intumuisse camporum, & luctuoso subito calore vastata, quæ lætissima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, sed fertiles arenas, quæ licèt diuturna fuerint adustione siccatæ in varios fœtus suscepta germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulò ante vastauerunt. Quæ est ista singularis exceptio? Vnum montem sic infremere, vt tot mundi partes probetur aëris permutatione terrere, & sic suam substantiam vbique dispergere, vt non videatur damna sentire. Quis credat tam ingentes glebas vsque in plana deductas de tam profundis hiatibus ebullisse, & spiritu quodam efflante montis ore consputas quasi leues paleas fuisse proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia penè mundo toto datum est posse cognoscere. Quomodo ergò non credamus incolis, quod testimonio potest vniuersitatis agnosci?* Hactenus Cassiodorus. Ad cuius testimonium obmutescat prorsus Bodinus, talia, vt fabulosa, subsanans, cuius delicatum stomachum nauseam parere meritò obtrudit Baronius, velut

Bodini peruicacia taxatur.

velut quæ hodie in Vesuuio fiunt, & obseruantur accidentia tantam peruicaciam penitus refellunt. Siquidem, quod Plinius ait, nubem illam ab initio conflagrationis inusitatam fuisse & magnitudine, & specie, necnon eius formam Pini formam præ se tulisse, id vel à primis diebus Neapoli, Nola, & Vico passim ab omnibus etiam idiotis, & illiteratis, qui solo ducuntur sensu,& quos nec Plinium, nec aliũ Auctorem legisse clarè constat, ad varios Romanos scriptum fuit, postea verò litteris,ac relationibus impressis cõfirmatum similiter fuit, cuius prætereà formæ rationem afferre studet Plinius, quam probabiliorem adhuc iudicarem, si & à loci, hiatusuè, vnde nubes emittebatur, figura venatus eam fuisset. Quam pariter notat haud vniformem præbuisse colorem, sed modò candidam, modò atram inspicientibus apparuisse, quod discrimen & hodie fuit animaduersum, cuius tamen rei causa non simpliciter diuersitati mixtionis cineris, aut terræ assignanda est, qnod talis miscella eam minus diaphanam redderet, eidemq. maiorem imprimeret opacitatem,prout aliquandò in aqua limpidissima fit, quæ statim, à turbato eius fundo lutoso, confusa vndique, crassa, & atra euadit, sed etiam, aut radijs solaribus, aut fauillis, magis,minusuè densum,& fixum fumantis nubis corium penetrando rarefacientibus, ibidemque nunc pressis, & nunc rutilantibus. Cinerum autem efferuescentia quanta etiam hodie fuerit, experti sunt tot homines intrà eos tumulati, quorum cadauerum carnes consumptæ, & vstulatæ, sicut ossa exesa quoque inuenta sunt, præter segetes, arboresq. substratas, ac domiciliorum tecta; quæ cuncta non solùm pondere depressa, sed ignea etiam qualitate combusta cernuntur; cui tamen exitio fluenta quoque ardentium aquarum, & ignitorum lapidum velut torrentes magnam vim simul addidere. Quod subnectit è pluribus Vesuuij locis flammas, & incendia reluxisse,confirmatur quoque hodierna obseruatione; nam Archidiaconus, & Vicarius Episcopalis Ecclesiæ Vici

Nubes primum à mõte emissa Pini formam præseferebat, vt tempore Plinij.

Ratio talis formæ à Plin. allata.

Eiusdem nubis color varius unde fieret.

Cinerum efferuescentia.

Flumina aquarum ardentium.

Vnde reiecta.

Epiſtolam miſit, quæ apud me eſt, ad D. Ferdinandum Beger, qua ſcribit,ſe, & alios ex Vrbe illa, quæ non longo interſtitio contrà montem poſita eſt, clariſſimè obſeruaſſe è pluribus Veſuuij hiatibus, atque caminis flammeos globos fuiſſe eructatos,vt nō ſola in apice antiqua vorago eos euomuiſſe dicēda ſit,(ſunt enim qui ſcriptis mandarūt cuncta è ſuperiori cratere vomitata fuiſſe, nec alias in monte factas aperturas; contra tamen creditum à multis, ex eo, quòd bituminoſa materia lenta, & viſcida quibuſdam in locis, in quæ ex ſuperno hiatu fuit proiecta, adhæreſcens identidem accēdebatur, vt ex illis quaſi nouis faucibus flāmæ erumpere viderentur) Aiunt etenim huiuſmodi hiatus nunc minimè cerni. Quinimò citatus à me alibi Medicus Oppidi Sanctæ Anaſtaſiæ, quod in Monte perſtat, præq. alijs tanti mali vicini damna, & infortunia minus ſenſit; id quod ipſe meritò Sanctæ Mariæ,quæ dicitur *dell' Arco*,miraculoſæ Imagini attribuit, ad cuius templum ibi ædificatum accolæ montis in his aduerſis cofertim magno numero aduolarunt, ac mirabiliter ſeruari viſi ſunt, quoſdam oppidanos iuuenes audacis animi, præcipuè verò quendam,extra nomen dictum, *Schiauetto*, proximè admodum planitiei cacuminis, vbi vorago, accedere voluiſſe curioſitatis ergo, eumq. ad Oppidum reuerſum,inter cætera,quę narrabat, id conſtanter affirmaſſe, quòd ex quatuor, aut quinque locis ad illam planitiem propè faſtigij,quod nunc exuſtum, conſumptumuè eſt, aſcenſum ſitis, tanquam è fornacibus vaſtis, atque bombardarum faucibus conglomerati fumi, & ignes cum terrifico bombo erumpebant, quæ poſtmodum loca tanto niſu dilatata in unam dehiſcere aperturam viſa ſunt. Quæ tantò magis veriſimilia mihi videntur, quantò non ſolùm à viris fide dignis, ac eruditis, & præſentibus ſcribitur,multis in locis ad ima latera montis varias effectas eſſe aperturas, quæ adhuc patent, è quibus flammæ, & cineres,vti è ſuperno cratere,erumpebant, ſed etiam idem prorsùs inuenio traditum ab antiquioribus

An hodie noui facti ſint in mōtis ambitu hiatus.

bus Historicis. Nam vt taceam quòd Tostatus afferens rationem cur à Boetio 1.Consol. Vesuuius dicatur mons vagus, scribit, quia non ab ijsdem semper locis flammas eructat, at nunc ex his, nunc ex illis) Piphius apud Schott. in Itin. Ital. lib.3.pag.611. *Certum est*, inquit, *non solùm per craterem, sed prout casus aliquando postulat, alibi quoque, vel per ima montis latera, sibi viam incendium aperire*. Et ibidem non valdè post: *Meminit tamen Piphius se in cacumine circum craterem plura vidisse spiracula calorem continuam exhalantia, vulpium foris haud absimilia, in quibus cum insereret manus, facilè calores emergentes sentiebat, tenues tamen, ac sine fumo, vel vapore.* Quinimò, si hoc idem fuit proprijs oculis à Plinio nepote obseruatum in Titi incendio, cur non iterum hodierno fieri potuit, quod illi neutiquam cedit? Scribit enim Epist. citata. *Interim è Vesuuio monte pluribus locis latissimæ flammæ, altaq. incendia relucebant.* Quoad copiam, & altitudinem cinerum, neque hodierna conflagratio antiquæ illi, cuius meminit Plinius, cedit. Nam vel in remotissimas regiones, dico vltrà Apuliæ extremas oras, & vltrà mare Adriaticum ad Dalmatas vsque copiosissimos; necnon & in Siciliam fuisse delatos, iam per literas certiores facti sumus; Sed ne à locis montis discedamus, refert idem Medicus, cui tanquam testi oculato ampla fides habenda est, fenestras quorundam altorum, nobiliumq. ædificiorum, nunc pro ostijs ad ingressum patere; adeò in sublime è solo cinerum, pumiceorumq. lapidum moles extuberata est. Dubium de mora intra domos, aut vagatione in aperto, quòd tecta nutarent, domiciliorumq. parietes ex crebris, violentisq. terræmotibus conquassarentur, & iamiam collapsuri iudicarentur, solicitos quoque tenuit, & anxios cùm alios, tùm præsertim Neapolitanos, quorum bona pars in apertis, latisq. plateis, vel intrà Rhedas, & Lecticas, vel etiam Statiunculas parùm è terra elatas ex leuissimis lignorum axis compactas morabatur, quod & olim

Cinerum copia, altitudo, & propagatio.

Quamobrem Neapolitani hoc tempore incendij, ac terræmotum plateas, & loca etiam extrà Vrbem inhabitarent.

terræ-

terræmotum occaſione factum conſtat ad Reatinam Vrbem, iuſſu Bonifacij Octaui de nobiliſſima Caetanorum familia, qui in horto diu, noctuq. degens, etiam ſæuiente hyeme, ità ab illo periculo fuit præſeruatus, vnde idem Plinius Epiſt. 20. *Egreſſi*, ait, *tecta conſiſtimus, multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula, quæ produci iuſſeramus, quanquam in planiſſimo campo in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem veſtigio quieſcebant*. De mutatione diei in ſubitas noctis tenebras, non eſt cur loquar, tanquam de re hodie populis illis manifeſtiſſima, imò & exteris, ac longè remotis, qui tam repentini caſus originem neſcientes, extremum, ac finale Iudicium impendere extimeſcebant. Eadem verò penè habet Caſſiodori Epiſtola, in qua propterea tam bellè enarrata accidentia, ſuperuacaneum eſt longiori ſermone conferre cum præſentibus, ne eadem ſæpius inculcentur, ſed quædam non ità ſicco pede, & oſcitanter ſunt pertranſeunda. Vnum, quod ad ſigna pertinet præindicantia malum ante fores eſſe, Veſuiumq. iamiam arſurum, illis in verbis. *Præmittit ſigna grauia, vt tolerabilius ſuſtineantur aduerſa* (*Præuiſa enim iacula*, inquit Sanctus Gregorius, *minus feriunt*) de quorum ſignorum cenſu eſſe ſubdit montis hiatus obmurmuratū, & excitatum quendam ſpiritum grandiſono fremitu vicina terrefacientem. Ita ſiquidem & in hodierno incendio ſupradixi, aliquot ante diebus, quàm deſæuire inciperet, ſonitus varios, & mugitus internos ab inquilinis fuiſſe auditos, quemadmodum in Aetna, alijſq. igniuomis montibus euenire certò ſcimus, ad ſimilitudinem noſtri corporis, cuius grauiores ægritudines non rarò præcedunt neſcio quæ ſymptomata, & perturbationes quædam morboſam tempeſtatem non procul abeſſe atteſtantes, de quibus inter alios quaſi expertiſſimus Medicus ſermonem facit Plutarchus in lib. de ſan. tuen. iuxtà quem ſenſum Galenus de ipſo iam ægro, & floccos, ac feſtucas colligente, indeq. men-

Bonif. VIII. quomodo à vi terræmotum in Reatino agro præſeruatus. Idem è nobiliſſima Caetanorum familia oriundus.

Eadem cautio à plinio iuniori vſurpata.

Mutatio diei in noctem.

Signa præindicantia mōtis flagrātiam ex Caſſiod.

Humani corporis ægritudines apud Plutarchum. Ex Galeno antequam Phreneticus euaderet.

mentis quandam inchoantem amotionem, quæ ad phreneticum delirium eum ductura erat, præcognoscente; coram adstantibus clamauit: *Cauete ne me Phrenitis corripiat, quia, postquàm facta est, curationem non admittit.* Alterum, quod de arenis annotat, nempè ad agrorum fertilitatem eas conducere, vtpotè quæ, licet dum primùm cadunt, & per campos disperguntur, sua siccitate, & feruiditate magnum damnum inferant, vnde in multis Apuliæ locis, in quorum campos largè nunc perlatæ fuere, varijs brutis animantibus, ob combusta, & fędata pascua, exitium attulerunt, mox tamen in varios fœtus suscepta germina producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulò ante vastauerunt, & ego alibi scripsi obseruatione apud Nolanos facta, semina, videlicet in terram proiecta cineribus, & arenis istiusmodi commixtam, intrà pauciores valdè dies, quàm consuetum sit, germina nunc pepe-risse. Quæ tamen fertilitas paruipenditur ab inquilinis, quia plerumq. serò nimis venit, totq. facta nunc damna vix compensat, qui idcircò præsentanea mala magnifaciunt, futura verò bona tanquam nimis remota, nec ad eorum vulnera sananda quidquam hodiè iuuantia, parui curant. Postremum, quod scribit, Vesuuium suam substantiam vbique quidem dispergere, sed ità, vt non videatur damna sentire, referendum ad ipsiusmet montis diminutionem, Id quod etiam de Aetna scribitur, alijsq. igniuomis montibus: Vnde S. Augustinus lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 4. admiratur, quomodo huiusmodi montes tanta diuturnitate temporis, ac vetustate vsque in suam ætatem flammis æstuantes integri perseuerauerint, hinc deducens, non omne, quod ardet, absumi. Quid si diceretur hoc in vtroque monte euenire, ob causam quam de Aetna solo è Seneca quilibet colligere potest? Ait si quidem Epist. 79. de Aetna: *Non ipse ex se est, sed in aliqua inferna valle conceptus exæstuat, & alibi pascitur, in ipso monte non alimentum habet, sed viam.* At ego infrà malum hoc in Ve-

Cinerum, & arenarũ proiectarum fertilitas.

Damnum.

Vesuuius licet suam substantiam vbique dispergat, attamen diminutionẽ pati non videtur.

Quidnam sẽtiat hac in re D. August.

ſuuio idiopathicum, non ſympathicum eſſe demonſtrabo. Hodiè tamen Veſuuius magnam videtur paſſus eſſe diminutionem, quando altera è pyramidibus, celſitudinis duorum circiter milliariorum, depreſſa eſt, partim in cineres ab igne conuerſa, partim intrà vaſtum craterem abſorpta, & partim denique terræmotuũ concuſſu ſolo æquata, prę ter amplam telluris molem in planitie cacuminis, ad voraginem quæ ad plura milliaria dilatata apparet, pari infortunio deuaſtatam. Ex quibus, velut è ſuperiùs alijs in Capitulis annotatis, facilè eſt dignoſcere, quanta affinitas ſit, & analogia inter hodiernum Veſuuij incendium, & alia anteactis temporibus facta, præſertim Tito regnante Veſpaſiano, qua furente conflagratione Romani etiam illi Ethnici eadem, & forſitan deteriora experti fuere, quæ hodiè Neapolitani, itaut, perinde ac hi nunc, tot portentoſis euentis conterriti, de totius mundi extrema pernicie magnoperè vererentur. Ne taceam quòd, tam commiſerandis aduerſis è Veſuuio eiſdem communicatis, non longè poſt, Romæ peſtilentia ſuperuenit, quanta non temerè alias, vt Suetonius in Tito ſcribit. Vnde non extrà rem dari mihi locus videtur Quæſito perpulchro, & perquàm digno, cui mentes omnium intentiſſima cura inhæreant, videlicet: Cur Romana Vrbs, & regio, quæ illo in incendio Veſuuiano tantoperè hodierno ſimili, tot, tantaq. incommoda paſſa fuit, nunc, viceuerſa, immunis, & libera ab omni infortunio perſtiterit, vt nullum penitus tremorum, & incendij ſignum ſenſerit, nedum detrimentum, præter nuntium literis hùc perlatum, quod omnes ſanè multùm contriſtauit. Cui quidem rei eò maior accedit admiratio, quò præſentis flagrationis impetus cum tremore terræ diuturnior fuit, quàm tempore Titi editus, qui, vt colligitur ex Epiſt. 20. Plinij Iunior. poſt primam eruptionem miteſcere viſus eſt, ſerenitate aliqua in aere facta. Inquit enim, *Tandem illa caligo tenuata quaſi in fumum nebulamuè deceſſit. Mox dies verè, Sol etiam effulſit, luridus*

Diminutio Veſuuij quomodo hodie facta.

Cur Romana Vrbs, & regio in hodierno Incendio Veſuuiano nulla penitus ſenſit incommoda ex illis quæ tempore T. Veſpaſiani paſſa fuit.

tamen

tamen, qualis esse, cum deficit, solet; secus ac hodie contigerit, cùm pluribus diebus, & incendium, ac terræmotus desæuerint, & copiosissimi cineres defluxerint. *Physicè:* Cineres excreati hodiè è Vesuuij antris versus plagam Orientalem, ac Meridionalem rapi, tendereq. magis visi sunt, quàm versus Occidentalem, & Septentrionalem; vnde legitur, eos valdè citiùs in remotissimas regiones aduolasse Orientalis tractus, quàm ad cælum Neapolitanæ Vrbis vsque adeò vicinæ. An quia ignis è suprema in primis voragine eiaculatus intra montis specus illos conceptus fuit, qui ad Orientem magis vergunt, atque Meridiem, quàm ad alias dictas Mundi plagas? Ita namque fieri potuisse videtur, vt combustæ materiæ non recta, sed ad latera impulsæ, & ad partem voraginis Occidenti expositam, ab hac versus Orientem in exitu reflexæ aduolarint, similitudine pilæ, quæ in eum, cuius manu ad murum impingitur, recidit. An potius causa ventorum flatui assignanda, vt communior est opinio? Quippe non Campania tota solùm, vt Ferdinandus Imperatus lib. 9. Hist. nat. cap. 4. ait, ventis Borealibus, & Africis quam maximè obnoxia est, sed etiam Romana ista regio; vnde à cinerum pluuijs libera forte nunc fuit, quòd in altum ab impetu exhalationum, ac flammarum cineres iactati, mox talium ventorum spiramine in oppositas, & longè semotas partes perlati fuerunt. Sed neque responso huic mens mea acquiescit, tum quia certò scio per initia incendij Vesuuiani alios quoque ventos è plagis Orientali, ac Meridionali reflasse, vt alibi scripsi, quorum vi ad Romanum pariter clima cinerei illi globi, ac fumorum turbines transuehi potuissent, tum quòd dato hanc causam habere locum in præseruatione à cineribus, & fumis, nescio intelligere, quomodo naturaliter hæc regio terræ tremoribus concussa non sit, quemadmodum Titi tempestate, nisi quis etiam contendat, Boream, & Africum vicissim validè spirando, & cum montis specuum, quos subeunt, exhalationibus colluctando, eas

longè

longè ab hoc tractu mandasse, & à subterraneis cuniculis continuatis, quorum causa vtraque hæc regio sibi inuicem respondet, atque consentit, auertisse. *Piè;* An potiùs hìc τὸ θεῖον. *quid diuinum* Hippocrati in Progn. de quorundam morborum occulta nostris sensibus origine decantatum, locum habet? Si non eodem sensu accipiatur, quo Senex accipit sapientissimus, at è diametro contrario, idest, non de malorum immissione, sed de ab illis præseruatione, ità credendum esse nemo, puto, erit in Orthodoxæ, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fide, Religioneq. diuina educatus, ac benè stabilitus, qui non promptè fateatur; nec non simul testetur, quod ex varijs etiam summorum Scriptorum monumentis abundè patet, Vrbem hanc Sanctam, Sacerdotalem, & Regiam, nouam Hierusalem, nouamq. Sion, Beatorum in primis Apostolorum Petri, & Pauli patrocinio protectam, & pretioso amborum cruore aspersam, ac purpuratam à multo retrò tempore nec terræmotibus, nec pestilentijs, nec alijs infortunijs obnoxiam fuisse; Perrarò etenim ædificijs suis à terræ concussu deformata Roma fuit, quippè licèt Plinius lib. 2. cap. 84. scribat hanc Vrbem nunquam tremuisse, quin aliquid futuri portenderet, attamen concussam eius ædificiorum pulchritudinem rarissimè est memoriæ proditũ; Tremuisse siquidem ad dies 38. patet ex Liuij Dec. 4. lib. 1. atque aliàs sæpè Dec. 1. lib. 3. & Dec. 4. lib. 10. Verùm hæc antè Christi Domini nostri Aduentum, Passionem, & Resurrectionem, & ante Apostolorum dictorum martyrium, deinceps enim, postquàm Fidei, & Sanctitatis caput facta Roma est, & Ecclesiarum Principes in ea sedem habere cęperunt, vbi antea superstitionis solium residebat, Gentilesq. Principes morabantur, valdè rarius talia pati obseruata est, idq. aut infidelitate Deum prouocante, aut ad nostra facinora castiganda; Galieno etenim Imperatore vehementer concussa est, vt Sanctus Antoninus tradit tit. 6. cap. 21. §. 2. Prætereà circiter annum 336. triduò con-

Quid diuinũ in morbis apud Hipp.

Quando Roma antiquitus tremuit.

Eadem quo tempore magnopere cõcussa est, & cur.

concussa maximam fecit rerum iacturam, vt recolit Theophanes Isauricus apud Anastasium Bibliothecarium: Quot orbis tamen, obsecro, præcipuas Vrbes terræmotu constat auulsas, ac dissipatas, Hierusalem, Alexandriam, Antiochiam, Constantinopolim, imò circa ipsam Romam quot Regiones concussæ, deformatæq. varijs temporibus fuere, vna Roma diuino exempta priuilegio? quippè Creator omnium Dominus Iesus vnà cum Patre & Sancto Spiritu, qui per os eius loquebantur, aduersus eam inferos præualere nunquam posse promisit; vnde perturbationibus quidem varijs, ac tempestatibus subindè concussa, & iactata fuit Apostolica hæc Romana sedes, at non diruta, non obruta, vt potè, summi Dei prouidentia, aduersis rerum immersabilis vndis; Iuxtà quod extat Innocentij Quarti ad Federicum Imperatorem Distichon illud;

Innocentij Quarti distichon de Romanæ Sedis stabilitate.

Niteris incassum nauem submergere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa Ratis.

Ità etiam anno Christi 993. vt Glaber Rodulphus est auctor, cum admirandæ flammarum eruptiones è monte Vesuuio contigissent, crebraq. per diuersas Prouincias Ciuitatum incendia prodigiosa orta essent, Romana quoque conflagrante Vrbe, Basilica Vaticana incendi cępta, diuinitùs est liberata. Verùm cur tam longè petitis ad veritatem hanc astruendam insisto? En nostra hac tempestate Italia penè omnis, bello, fame, peste, voraginibus, incendijs huc vsque depopulata, & exhausta, antiqua illa telluris amœnitate, Vrbiumq. multarum splendidissima facie deflorata, orbataq. iacet, cùm nulla in ea sit Prouincia, quæ huius modi infortunia alternatim perpessa non sit. Vnica Roma hactenus intacta, libera, & immunis cum Ecclesiastica sua ditione fermè tota perseuerat. Quod diuinæ sanè prouidentiæ, qua sua hæc sancta loca specialiter respicit, atque tuetur, acceptum penitùs referendum censeo. Nec obijciant mihi quidam hac in re nimis pauidi, in angusto spem nostram esse, dum quotidiè noua pullulant mala,

Basilica Vaticana quando ab incendio mirabiliter liberata.

Status hodiernus Italiæ miserrimus.

Sola Romana Vrbs, & Regio immunis ab omni infortunio.

mala, hinc inde Vrbem sauctam circumnullantia, timentes admodum, ne tarditas supplicij grauitate postea compensetur; Nam responderim cum Celsó, *nullam aliam spem in magnis malis esse, quàm si quis, morbi impetum trahendo, effugiat*. Cuius dicti veritas quotidiè in acutorum, malignorumq. morborum vagatione manifestatur, quorum tardato impetu, ac remissa sæuitie, coercitaque malitia, ægri sensim periculo eximuntur, acutie ipsa in longitudinem mutata, vt conuenientibus interim adiuti medicaminibus tandem conualescant, è proximæ Libitinæ faucibus erepti; Sic enim & nos tot signis horribilibus, & necem minitantibus, diuinæ iræ quotidiè in omnes, ob ea, quæ patrantur, facinora, excandescentis, à vecordia expergefacti, & à vitijs abstinentes, imò bonis operibus assiduè inhærentes, non possumus non sperare, Deum Omnipotentem, in quo benignitas simul, & longanimitas refulgent, quique hucusque in tot mundi angustijs, atque pressuris Vrbem sanctam suam immunem à peste, fame, bello, terræmotibus, & incendijs præseruauit, nobis tota mente contritis, veniamq. suppliciter petentibus, Diuinæ suæ gratiæ, & præsentaneorum auxiliorum solita liberalitate prestò affuturum, intercedentibus maximè iam dictis Apostolis, quorum ideò Reliquias ardentiùs nunc, & frequentiùs, quàm antea, colamus, ac veneremur, gratiasq. exultantes agamus in Sacrosancto, & magnificentissimo Vaticani Templo, Petro Theologorum Maximo (sic enim eum vocat S. Dionysius Areopagita) & Principi Apostolorum consecrato; Vbi sub amplo, & excelso, acuminatoq. ac prorsus, intus, foris, vel in ipsa videndi assiduitate, admirabili Pinnaculo, Altare eminens perstat ad verum hodie in terris sacrificium Deo Opt. Max. offerendum erectum, subter quod est ipsius Apostolorum Principis corpus, quod tanquam suum fundamentum dignè Ecclesia colit, suprà quod Ecclesiastici ædificij (vt ait S. August. serm. 15. de Sanctis) altitudo consurgit. In cuius propte-

Celsi locus enarratus.

Sanctus Petrus Theologorum maximus à D. Dionys. Areopag. nuncupatus.

Altare, sub quo perstat Principis Apostolorum corpus, quatuor magnificentissimis aurato ex ære columnis circundatū.

reà loci, ac veluti Romani solij, Apostolicię. ædificij maiorem venerationem, ac maiestatem, & ad Sacrosanctæ huius Religionis memoriam æternitati magis consignandam, nunc ibidem Sanctissimi Domini Nostri VRBANI VIII. pia generositate

Bis geminæ assurgunt media testudine Templi
Intortæ, immanes, aurato ex ære columnæ,
Has circum grauidis Laurus diffusa racemis
Vrbanas depascit Apes, capita alta coruscant,
Queis super Aligeri, protensis vela lacertis
Expandunt cineri, cui nulla æquanda potestas.

vt eleganter, ac piè cecinit vir Doctissimus, & in Curia celeberrimus Iuris Consultus Melchior Lotterius de Re Beneficiaria lib. 1. quæst. 46.

De Parallelo Vesuuiani mali cum Cholera morbo acutissimo, ac periculosissimo, in quo varij humores ardentes, atque sulphurei penitùs, vomitu simul, ac deiectione, sicut in illo cineres, arenæ, saxa multiplicia, laticum ignitorum torrentes cum quorundam suppressione, funestissimè eijciuntur, nec non cum Febri ardente, ac mali moris. Cinerum varij generis contemplatio in copia, diffusione, sublimitate ascensus, varietate coloris, corpulentiæ, ponderis, odorisq́; sicut de eorum vtilitate, & damnis, ac denique de lingua terræ, & quasi Peninsula repentè facta ad Turrim quæ vocatur della Nunziata, *similitudine quadam montis Moderni in Puteolano tractu, & de interceptione rami fluuij ad molendina iuuanda corriuati, comparatione quorūdam nostri corporis morborū.*

CAP.

CAP. IX.

ANTEQVAM finem faciam omnibus Vesuuianis accidentibus quorumcunque temporum, & hodiernis inprimis, quibus mediantibus præsens Vesuuij conflagratio miram habet cum quibusdam nostri corporis morbis analogiam, aut affinitatem, & prius quàm ad definitionem, huiusq. per differentias, causas, & signa omnia examen, stylum conuertam, decreui, hoc in Capitulo breuiter, summatimq. colligere in vnum quæ sparsim hactenus annotaui ad Vesuuiani mali Ideam ictu oculi internoscendam, quod quidem non faciliùs, non meliùs assequi me posse confido, quàm ex collatione facta accidentium morbi Vesuuij cum his, quæ cholericam Medicis vocatam passionem constituunt. Si vllus itaque in re medica morbus est, cui Vesuuianus haud ineptè possit comparari, is planè est, quem Græci Choleram dicunt, siue ab humore cholerico, aut bilioso, siue ab intestinis, quæ choladas nuncupabant veteres, vt Alexander censet Trallianus. Morbus profectò, vt notissimus, ità acutissimus, & periculosissimus, cuius inseparabile symptoma ponitur assidua simul deiectio, & vomitio tam ciborum, ac potuum, quàm variorum humorum corruptorum, aut simpliciter acrium, atque mordacium, & biliosorum in primis, qui in venarum cauernulis, antiperistasi quadam, aut præpedita transpiratione putrescentes, indeq. ignea vi maiori adhuc, quàm naturaliter indita illis sit, acquisita, magno deinceps cum impetu ex internis loculis ad communes vias ampliores erumpunt, & ab his in supernum, ac infernum ventrem protrusi, duplicem sibi vacuationem, nimirum ex ore, & aluo, vrgendo moliri non prius desinunt, quàm per vtrumque hiatum abundè exierint, ac eorum fontes, & mineræ siccatæ, consumptæq. fuerint; Loquor enim de Cholera

Vesuuianum malum Choleræ comparatum.

Cholera vnde dicta.

Eiusdem essentia, & causæ.

Cholera duplex.

propriè dicta, seu humida, non de altera, quam siccam Hipp. vocat, in qua irritamenta quidem sunt ad ambas partes, sed non vacuationes, vt hæc ad illam se habeat tanquam nausea ad vomitum: præsertim, si vnà quoque ardens, & mali moris febris copuletur. Sed quomodò maligna simul, & ardens, quippè hæc in Vesuuio manifestissimè apparet, non item alia, quæ exteriùs, imò & subindè interiùs in calore, & flagrantia, vbi suam obtinet sedem, mitis admodum, & placida apparet; cum sit febris apud Hippocratem foris ad contactum lenis, intùs autem versi pellis: qualis morbus eidem Hipp. aphor. 16. sect. 6. lib. 6. Epid. παλίμβολος est. Vbi Galen. in comm. eum morbum intelligit, qui speciem leuationis facit, sed tamen intùs malignus est. at, qua hodie Vesuuius vritur nulla patentior, aut manifestior cum suis accidentibus, vt ob id maligna haud quaquam dici posse videatur, quoniam eius accidentia febris essentiæ correspondent. Attamen per Galenum maligna quoque potest appellari, cui sapientissimo medico febres etiam, quæ cum magnis, & euidentibus symptomatis cor, cerebrum, stomachum, cæteraq. viscera ex intima phlogosi, phlegmoneue diuexant, prauæ, deleteriæ, & mali prorsus moris nuncupantur, cùm alibi, tum 2. Prorrhet. com. 21. Aptiùs nihilominus ardens dicitur, à profunda viscerum inflammatione suborta, & biliosorum humorum, qui Sulphuri non incongruè æquiparantur, corruptela, & incensione. Cum hoc itaque morbo humani corporis, quàm conueniat hodie malum Vesuuiani montis paucis accipe. Iam constat omnibus, Vesuuium tàm vomitu per superiorem voraginem, & ostium patentissimum, quàm deiectione per alui inferioris cauernas, & fistulas varias nunc quoque reseratas, vno, eodemq. tempore igneos globos, nubes cinerum, arenarumq. densissimas, saxa varij generis, & aquas ardentes nouas, instar torrentium ignitorum, cum Incolarum, & contiguorum agrorum indicibili terrore, detrimento, ac desolatione, nescio

Febris ardentis, & malignæ discrimen.

Morbus παλίμβολος qualis nam Hipp. & Gal. sit.

Maligna febris quænam etiam Gal. dicatur.

Congruentia mali Vesuuiani cum Cholera;

quibus

quibus etiam è vetustis aliquandiù suppressis, impetuosè proiectasse, similitudine eorum, qui prædicto morbo cruciantur, in quo totum pariter corpus vehementissimè turbatum videas, & in quo eodem simul tempore torrentis in morem concitato motu supernè per os, infernè per aluũ humorum profluuium, & multi generis recrementa vitiata, corruptaq. & biliosa maximè, idest sulphurea, seù tam primis, quàm secundis qualitatibus Sulphur ipsum æmulantia, protruduntur; ructibus, & crepitibus hinc inde magnisonis, boantis montis mugitibus quàm similibus, emissis ab vtriusque ventriculi orificijs, tanquàm à meatibus, & crateribus Vesuuianis apertis, & dilatatis; aquosi insuper humoris, quem vrinam dicimus, canali obstructo, exituq. cessante, vt in eodem morbo annotauit Hippocrates. Quamobrem nonnulla occurrunt hoc in loco consideranda, ad singula iam dicta ex ardenti enata Vesuuio pertinentia. In primis verò sese offerunt cineres, arenæq. multiplicis generis, diuersæq. formæ, substantiæ, ponderis, coloris, atque odoris. Accepi etenim ego, si de proximioribus sermo sit, à varijs Nolanis, Neapolitanisque, & nuperrimè ab Excellentissima Domina Ducissa olim Sermonetæ, nunc Grauinæ, Sancti Marci, &c. D. Felice Maria Vrsina, non magis natalium splendore, quàm vitæ integritate, vrbanitate, ac pietate dignissima quæ hìc, & ab alijs passim memoretur, cuius valetudinem, dum Romæ erat, regere solebam; De quorum quidem cinerum diuersitate, ac effectibus priusquàm agere incipiam, vnum est breuiter annotandum, quod ad eorum spectat suprà nubes ascensionem, & in longinquas, ac trans marinas regiones expansionem, quam aliqui sensui reluctantes vix credibilem putant, cum tamen clarè constet, eosdem cineres, tam hodie, quàm anteactis sæculis varijs, ad Cælum vsque, videlicet suprà nubium regionem, & suprà cuiusuis oculi acutissimè cernentis prospectum, eiaculatos fuisse. Vnde nuper mihi Neapoli scriptum fuit, hanc cinerum sublimitatem

Excellentiss. Ducissæ olim Sermonetæ, nunc Grauinæ, &c. laus.

Multiplicitas cinerum Vesuuij.

Eorundem sublimis ascẽsio triginta milliaria ex mathematica demonstratione.

tatem à quibusdam Mathematicis inibi degentibus, accuratè geometricis instrumentis obseruatam, qui testantur ad triginta milliaria sursum in aëra cinereos globos aduolasse: Iuxta quod narrat de Vesuuio Procopius lib. 2. Vbi sonitum mugienti similem edidit, non longè post cineris vim ingentem emittere, & si quem fortè iter illac habentem cinis desputus deprehenderit, nullam huic futuram vitæ spem reliquam. Quod infortunium hodie quoque plurimi miserè experti sunt, quorum cadauera altis sepulta cineribus inuenta fuere. Quo loci idem Historicus subnectit, si validior ingruerit ventus, sublimem adeò cinerem agi, vt spectari amplius non queat, eòq. deferri, quò procliuior ventus abstulerit, & in longinquam plerumque regionem iaculari; adijciens, Byzantium, & sequenti anno Tripolim Lybiæ cinerem fuisse delatum; Ita etiam hodiè è varijs, longeq. semotis Prouincijs, ac Regionibus litteræ mittuntur cum introclusis papyri contorti inuolucris cineribus ipsis, atque pulueribus, quorum glomerationes extremam Apuliam supergressæ, & sinu traiecto Adriatico (interim tamen illac nauigantibus molestæ, ac terrificæ) ad Dalmatas vsque, & vltrà peruolarunt; quemadmodum ex hoc altero mari nostro Tyrrheno in Siciliæ partes varias delati quoque fuerunt, & forsitan vsque Byzantium, cui rei tempus veritatem faciet; Quandoquidem si conflagratio præsens similis prorsus est factæ olim sub Tito, & iam huius occasione constat ex litteris multiplicibus cineres, & arenas dictas longè, lateq. diffusas, & ad tam sublimem aeris regionem peruenisse, cur amabo credi non potest, illas etiam nunc in Africam, Syriam, Aegyptumq. fuisse perlatas, vti Vespasiani tempore? De qua re verba faciens Hieronymus Borgius, sic eam elegantissimis his versibus enarrat apud Capacium,

Eorundem diffusio, & sublimitas ex Procopio.

Vsque quò hodiè peruenerint.

Hieronymi Borgij carmina ad cineres Vesuuianos.

----------------*sensit procul Africa tellus*
Tunc ex puluereis geminata incendia nimbis,
Sensit, & Aegyptus, Memphisq. & Nilus atrocem
Tem-

Tempestatem illam Campano è littore missam;
Nec caruisse ferunt Asiam, Syriamq. tremenda
Peste, nec extantes Neptuni è fluctibus arces,
Cyprumq. Cretamq. & Cycladas ordine nullo
Per Pontum sparsas, nec doctam Palladis Vrbem,
Tantum inexhausis erupit faucibus ardor,
Ac vapor, Oromodon vomeret cum feruidus iram
Terrigena horribilis Vesuuina mole sepultus.

Nonnullæ autem ex dictis litteris cum cineribus Romam ad multos transmissæ fuerunt, inter quos libens volensq. connumero superiùs nominatum D.Ferdinandum Beger, cùm alijs de causis, tum præcipuè ob munus, quod in Curia, & vocata Dataria honorificè exercet (cuius officij gratia variæ hinc inde à proximis, & lõginquis Epistolæ ad eũ exarantur) virũ satis conspicuum, de cuius probitate, nobilitateq. plura dicere supersedeo, ne id philautiæ attribuatur, propter affinitatem; cum sit vnici filij mei Ioannis Baptistæ Socer. In quibus quidem cineribus primum, quod oculis conspiciendum offertur, color est varius, ac multiformis, quippè alius apparet re vera dictus cinereus, aut subalbidus, alius subniger, alius subruffus, & alius plumbeus, prout nimirum à diuersa genitus est materia, & pro maiori, minoriuè exustione; cum cinis nihil sit aliud, nisi puluis, in quem exusta resoluitur materia, ideoq. pro huius varia natura, veluti pro ardentiori, aut leuiori combustione, ità diuersos induit colores. De quibus sanè dicendum quod de terra Arist.2.Meteor. *Terra dum vritur, magis, & minus omnis generis formas, & colorum, & saporum sumit.* Ad quorum tamen cinerum multiformem conspectum formandum, rationi consonum fit, exteriora quoque nonnulla concurrere, potissimum verò aërem diuersimodè alteratum, & aquę, terræq. immixtionem, nec non longiorem, aut breuiorem in eisdemmet moram factam; quæ similiter ad immutandam eorum substantiam magnoperè faciunt, nam & iuxtà hanc non contemnenda illis diuersi-

D. Ferdinandus Beger.

Cinerum color variusvnde.

Substantia.

tas

Substantia multiplex. tas inest; Quippè nonnulli pollinis instar subtilissimi sunt, æquè per omnia tenuitate continuata, quidam verò granosi existunt, sed granulis minutissimis, quæ vix differunt ab eo puluere, qui in Lacu ad Braccianum Oppidum splendidissimæ familiæ Vrsinæ subditum, tam abundè colligitur, ad atramentum, quo scribimus, exiccandum, mediæ in summa crassitudinis, aut corpulentiæ inter hunc Braccianensem, & pyrium Sclopettorum puluerem, qui ambo etiam valdè magis nigri sunt; In quo prætereà granoso cinere paruulæ quædam laminæ adsunt tenuissimæ, ac pellucidæ veluti crystallinæ, aureo tamen quasi colore diluto suffusæ, & vnà illi talco similes, cuius copiosa perstat in Bononiensium montibus minera, non cerulei coloris, cuiusmodi è Germanorum fodinis ad nos effertur. In pondere similiter discrimen est, quòd alij alijs ponderosiores sentiantur, etiam si tenuitate substantiæ minimè sint discrepantes; Vnde nuper missi cineres à prædicta Excellentissima Ducissa vt colore, ità etiam pondere Plumbum æmulari, & arguere visi sunt; Quidam denique ex illis nullum efflant prorsus odorem, vel in remissiorem ignem proiecti, quidam tetrum, & iniucundum, qualis percipitur in eodem pyrio puluere, vel si solis contrectentur digitis. Chymici nonnulli, vt audio, in Beneuentana Vrbe, aquas illas è montis hiatibus eructatas, & cineribus attritas, maleq. olentes distillauere, qui in Alambicis Ferri, & Plumbi notas, aut mineras reliquisse testantur. Imò sunt etiam qui scriptis mandarunt, mineras se intra montem obseruasse Antimonij, atque decurrentis Mercurij venas. Hoc insuper in loco neque illud subticendum est, quod qui cineres Neapoli hùc missi fuere, tenuioris sunt omnes substantiæ, quasi in pollinem, vt dicebam, æqualiter redacti, at qui è longinquioribus locis, maiori ex parte granosi, & grauiores sunt, de quibus refertur, cum super nescio quæ Oppida, sexaginta milliar. spatio à Vesuuio distantia, ceciderint, multa depressisse, ac diruisse ædificia. Quorum sanè cine-

Puluis lacus ad Braccianũ Oppidum.

Cui nam Talco similes.

Pondus varium.

Odor.

Aquæ mõtis Vesuuij distillatæ quamnã præseferant mineram.

cinerum tantam conſtat hodie Veſuuium efflaſſe copiam, vt ſi in vnum cogerentur aceruum, montem nouum, & modernum Puteolano, & Veſuuiano ipſo quadruplò maiorem conſtituerent. Damnoſi hi profectò fuerunt, & ſunt hominibus, pecoribus, volucribus, piſcibus, ædificijs, arboribus, ſegetibus, vinetiſq. in primis, non ſolùm quòd ingenti copia, & graui pondere multos è circumeuntibus hominibus, multaq. bruta oppreſſerint, ac præfocauerint, integras quoque villas penitùs obruendo (vnde deſtinati à Prorege Excellentiſſimo ad loca illa expianda à tam magna horum cinerum congerie, & ad excauanda cadauera, ne ibi corrupta fœdum in aera halitum expirent, nuperrimè ſubter eos caſam inuenerunt, intuſq. mulierem cum puero, qui ambo viuebant, luminibus intus accenſis, rebuſq. ad victum neceſſarijs non deficientibus, quæ mulier, vt per litteras admoniti fuimus, conſtanter omnibus aſſerebat, ſeruatam ſe, & puerum à Beatiſſima Virgine Maria; quæ inde ob id egredi recuſauit,) ſed etiam quia, cum vrentes, & ferè igniti ſuper ipſius montis loca, & vicinos ei agros decidant, ſegetum, arbuſtorũ, imò vaſtarũ quoque arborum cortices, truncos, & radices, ſingulorum reſoluto, ac diſſipato vigore, eneruant, atque proſternunt. Vnde anni huius fructus fermè omnes, & prouentus fertiliſſimæ alioquin Campaniæ peſſum ijſſe dicuntur. Neque id repugnat Caſſiodoro, & alijs aſſerentibus arenas, aut cineres tam à Veſuuio, quàm ab Aetna apud Strabonem, roratos fertilia circum loca, vti ſtercorata, efficere; vt non modò in Veſuuio ad eius, & proximorum agrorum ſolum impinguandum, fertilitatemq. inducendam conducant, ſed & Cataniæ in Sicilia, vbi inquit idem Strabo, ea parte, qua cineres Aetna mittit, vini feracia loca fęlicius illud producere; vt ſuprà annotaui, vberiuſq. infrà in Aetiologia oſtendam. ſaxa, glebas, lapideſq. varios cùm ingentis corpulentiæ, aut molis, tum mediocris, & paruæ, ſed ignem ſpirantes, quaſi paleas ab immenſæ vaſtitatis ſtomacho

Cinerum, & arenarum damna.

Caſus notabilis.

Cineres, & arenæ quando fertiles in Veſuuio, & alibi, ex Caſſiodoro.

In Aetna, & Cataniæ ex Strabone.

Saxorum varij generis protelatio.

N con-

consputas, hùc illùc Vesuuius primis diebus tanquã cholericæ suæ passionis argumenta protelauit, à quibus vnà cum pluribus aquarum flammatarum fluminibus, (quæ vel nũc à mense post inchoatum incendium, modò ab vno, modò ab alio cuiuslibet lateris hiatu, sicut per initia è superioribus planitiei crateribus, præcedente murmure, & fragore ingenti ad Neapolitanorum aures vsque delato, identidem euomuntur) quoquouersum præcipiti cursu deuolutis, syluæ arboribus, & præsertim pinis, castaneis, ilicibusq. mirè vastis, atque proceris densissimæ discerptæ, penitusq. auerruncatæ, sicut Oppidorum subiacentium muri à fundamentis diruti, partimq. ad sui radicem, terræq. planitiem, partim ad mare proiecti (omnibus insimul coeuntibus, ac inter sese cum cineribus, & aquis etiam maritimis permixtis) monticulum quasi peninsulam (non enim continenti vlla ex parte annexa est tuberantia) nautæ terræ linguam vocant, spatio longitudinis vnius ferè milliarij compegerunt propè Turrim, quam dicunt *della Nuntiata*. Nonnulli nuperrimè in suis scriptis publicè diuulgatis annotarunt, duas esse terræ linguas, duasuè peninsulas, spatij tantùm medij milliarij, quibus tanquam præsentibus ego absens fidem adhibendam penitùs censeo. Ab initio siquidem tanti præsertim motus, non vbique singula cuilibet manifesta esse possunt. Quod ideò scribo, quoniam in quibusdam relationibus, aut epistolis per initia exaratis, ac editis de vnica tãtùm peninsula ad commemoratum littus mentio fit. Sic olim 1538. ad Vrbem Puteolanam cõsimili morbo vexatam, in sublime elatus extemplò ortus dicitur, more parotidum, aut aliorum abscessuum, repentè ex humorum decubitu in ægris apparentium, mons non valde ante significatus, cinereus, nouus, aut modernus dictus, cunctisq. notissimus, quem tamen aliqui ex imis terræ penetralibus subitò excitũ fuisse putant, postquàm per biennium ferè antè, omnis regionis illius tractus crebris terræmotibus concussus fuisset. Quorum opinioni fauere quo-

Aquarũ ignitarum profluuia.

Terrę lingua, & quasi peninsula vbinam hodiè in mari facta.

Mons modernus quando Puteolis repentè natus.

quo

quo pacto videtur Seneca lib. 6. Quæst. Natur. vbi ità scribit. *Therem, & Thian nostræ ætatis Insulam hanc spectantibus nobis in Aegæo mari enatam quis dubitat, quin in lucem spiritus vexerit?* quippè nascuntur, & alio modo terræ, ac repentè in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura, quæque hauserit hiatu, alio loco reddente, vt Plinius loquitur, & videre est apud Strabonem sub finem lib. 1. Aquæ inde quoque, hoc est, è Vesuuio monte multiplices, tanquam torrentes immensi à verticis voragine primùm, & mox etiam inferiùs ex alijs montis (ità namque à multis scribitur) factis aperturis præcipites ciectæ meritò igneis æquiparantur fluminibus, quòd vnà cum illis ignis quoque emicet, fauillis inibi eius, & flammis vndequaque coruscantibus; qui ignis ab eiusmodi aquis tantum abfuit vt extingueretur, quòd ibidem suæ naturæ genuino pabulo fotus, & à bituminosa in primis materia suppeditato ingeminatus, ferociùs excandesceret, obuia quæque sparsim, funditusq́. deuastans. Vnde vel hodiè terra montis talibus alluta aquis tactu feruida persentitur, quarum substantia crassissima, & densissima est, tantaq́. atritate inuoluta, vt non alium præseferant colorem, nisi atrum, caliginosum, piceum, & omninò obscurum, ex confusis nimirum mineris varijs, & exustis tum lapidibus, tum varij generis arboribus, intra specus, & cauernas intimas turbatas, & concussas, vnde excutiuntur, conglomeratæ; E quibus tandem exhalans vapor, vt colore, ita & odore æmulatur eum, qui à picea, sulphureaq́. ac bituminosa teda effumare solet, sicut illum putorem, qui Puteolis maximè, ab antris eius, & cuniculis sulphureis, bituminosisq́. efflatur, grauis admodum, atque molestus, à quo Puteolis nomen inditum fuisse Strabo affirmat lib. 5. In Vesuuio ipso ramus fluuij ad Scalfati Oppidum oberrantis, quo Incolæ subiecti maximè ad Turrim, quæ dicitur *della Nuntiata*, ad varios vsus, præsertim verò ad molendina vtebantur, interceptus nunc est, non

Insula in Aegæo mari subitò nata Senecæ testimonio.

Ignei fluuij è monte eructati.

Ignis ibidem cur inualescebat, nec ab aquis extinguebatur.

Aquarum è monte eiectarum substantia, & conditio.

Putor.


Puteolis vnde nomen inditum.

Interceptio rami fluuij ad Scalfati Oppidum oberrantis, ad subiecta molendi-

naiuuanda, corriuati, vnde nata.

quòd vi terræmotuũ, alueo mutato, aliò cursum, iterq. direxerit, nec quòd intus à voragine fuerit absorptus, vt nec ab igne, ac flammis consumptus, sed eius canali Cælo antea patente, à superlapsa cinerum, arborum, & lapidum mole, atq. congerie repleto; cuius obstructionis causa fit, vt ramus idem in contiguos, & adiacentes campos exundando circumerret. Cui tamen hodie solitum iter inquilini in commune beneficium omni possibili industria planare obnituntur. Hìc manifestè accidit quod nonnunquam in nostro corpore, quando vreteribus obstructis, aut renum concauo oppleto à calculis, ab arenisuè, aquosus humor restagnat in venosum genus, in thoracem, in caput, ità vt aliquando ex vtraque oculorum orbita, vt ego in Illustrissima Romana obseruaui, excernatur, velut cùm, ileo tumefacto, ac solito intestinorum ductu intercepto, motuq. peristatico naturali præpedito Voluulus oritur, & per os ipsa reiectantur excrementa, & denique cùm venæ maiores ad iecur attinentes, vel copiosioribus affatim confluentibus, vel crassis tantùm, ac lentis humoribus sensim infarciuntur, vt impedita anadosi, aut alui fluor, ex retroacta materia, aut membrorum Atrophia, ex denegato alimento, enascatur. Et quoniam aquarum ipsarum Vesuuij magna etiam nunc turbatio, cõfusioq. perseuerat, omnis rei veritas ad illas pertinens in dies magis, & horas elucescet, quæ nunc, sub caliginoso illo fumo totum montem, totumq. illud solum, & Cęlum obtenebrante introclusa, ad Romanam lucem nondum peruenit.


Comparatione quorundam morborum nostri corporis.



De-

Definitio, Descriptiouè Terræmotus, & Incendij montis Vesuuij, comparatione Tonitrui, Fulgetri, ac Fulminis è nubibus eruptorum. Cardani duplex error ex Scaligero. De lapide Cuneo, vbi lapidum generationem intra nubes concedere Aristotelem indicatur. De ventorum vi in præsenti casu. Ignem in cunctis mistis esse.

CAP. X.



POST allatam historiam euentuum, & accidentium, si non omnium, saltem potiorum, celebriorumque, vt destinatæ methodo insistam, à definitione, seu potius descriptione terræmotus, & incendij Vesuuij exordiendum mihi esse duxi; quarũ sermo clarus, & dilucidus, super re tenebris tantoperè inuoluta, tantò magis euadet, quantò ei lumen aliquod à fulgetris, fulminibus, atque tonitruis Cæli mutuabitur. Quamobrem dico, quòd præsens terræ motus, vt mihi ex Aristotelicis principijs videtur, meliùs, faciliùs, breuiusq́. definiri, describiuè minimè potest, quàm si, comparatione facta cum aereo tonitru, statuatur, quemadmodum hoc, per Aristotelem 2. Meteor. cap. vlt. nihil est aliud, quàm ingens sonitus è nubibus editus, sic terræ motum, sonum esse ingentem è cauernis terræ tàm Vesuuij, quàm aliorum locorum cum terræ ipsius agitatione emissum; Id quod plerumque, & maiori ex parte, non semper, verum est, cùm aliquando terræ tremor absquè vllo penitus sono sentiatur; qua de re infrà in causis, vbi Anaximenis opinio examinabitur. Qui ambo propterea soni eundem habent generationis modum,

Tonitru quid sit.

Terræmotus quid sit.

modum, sibique inuicem ferè per omnia (loci tantùm excepto discrimine) correspondent. Nam Aristoteles ipse eundem generationis modum ponit in tonitruo, quem etiam terræmotui assignat. Quippè cùm sicca, & calida expiratio, exhalatioue in nubem magnam, & lateribus crassam, ac densam includitur, fit, vt per nubis cauitatem hùc illùc diffugiat, & tàm motu, quàm antiperistasi magis incalescat, ac rarefiat, proindeq. ampliorem locum poscat; Tùm verò, dum nubes magis, magisq. in vnum præ frigore colliguntur, spiritus, concitato impetu, libertatem fugiendi quæritans, verberatu magno in nubis densæ corpus impingens, illud discindit, ac ità vehemens inde sonitus ad nostras peruenit aures, quem tonitruum vocamus; Modo scilicet ab eo non discrepante, qui ab eodem Philosopho, sicut & à Lucretio 6. de nat. traditur, cùm ligna multum siccæ exhalationis in meatibus continentia comburi incipiunt. Delphica præsertim Laurus, & Iuniperus, quippè tunc crepitum edunt, exhalatione in apertum prodeunte, lignorumq. compagem disrumpente. Quam rem, ni fallor, magis adhuc explicat exemplũ de Castanea, quæ intra ignem, aut ignitos cineres integra, vel sine corticis morsu, incisioneuè clusa, mox ab ipsius nucleo euocato à calore spiritu, cui exitus ab ambiente crasso corio intercluditur, violenter cũ sonitu, ac cinerum in circumstantes effusione, disrumpitur. Siquidem & in nubibus multo spiritu fecundis, facta earum disgregatione, vehemens ille sonitus existit. De Lauro idem habet Scalig. Exerc. 180. in Card. sicut de Castanea, dicens, quòd ignem Laurus facilè concipit, quia multũ continet aeris, quod & ligni spongiosa cõstitutio declarat, vt propterea etiam crepitet, vt Castanea quoque, ob intùs ignitũ aerem, paruo tumescit momento, atque circunstantem cognatum suum resilitione frangit, ac impulsione. In Iunipero autem arguit Cardanum, qui putat, illum propter vehementem crepitare siccitatem, quòd quæ siccissima sunt, non crepant; quia nulla vi opus est ad par-

Amborum analogia vnde.

Exempla quibus tonitruũ ac terræ motuum strepitus dilucidantur.

Ex lignis, & præsertim Delphica Lauro.

Ex Castanea absque morsu, vel incisione, intrà cineres sepulta ignitos.

Scaligeri opinio contra Card. in exemplo Iuniperi.

partium disiunctionem, propter spatiorum laxitatem. De terræ motu autem ibidem agens ex proprio genio Aristoteles, scribit, & statuit, commotionem terræ fieri ab halitu, seu spiritu terræ visceribus incluso, forasq. exilire nitente; quandoquidem cum is viam, qua prodeat, non inuenit, retroagitur, & in se reuoluitur, frustraq. apertura quæsita, cunctas dimouet angustias, & dum effringere claustra contendit, motum facit, atque tumultum. Insuper etiam conflagratio Vesuuiana, in qua tot ignei globi visi sunt, & saxorum ignitorum tot vomitiones, non meliùs demonstrari sanè potest, quàm per explicatam fulminis naturam, eiusq. generationis modum. Tradit enim idem Aristoteles 3. Meteor. 1. fulmen esse exhalationem ignitam è nube magno impetu vibratam; vnde censeo ità esse dicendum de Vesuuij incendio, hoc (inquam) aliud non esse, nisi ignem in exhalationibus cauernarum montis, vbi variæ perstant Sulphuris, Bituminis, aliorumq. mineralium materiæ, superaccensum. Neque enim audiendi sunt, qui fulmen non ignem, sed lapidem igni delatum esse autumant, quippè quia non esset tàm subtile, vt nec tàm promptè posset corpora traijcere, quod tamen subindè facit, cùm forma lapidis in tanta tenuitate consistere, seruariq. minimè queat; licet concedatur, quemadmodum intra terram aliquandò exhalationes in metalla addensantur, vt volunt Albert. M. lib. 3. tract. 3. cap. 23. & Georg. Agricola lib. 4. de Subterran. sic easdem posse intra nubem densam concrescere in lapideam substantiam, quæ postmodum vnà cum fulmine tanquam bombardæ pila trudatur. Vnde fulmina illa, quæ terebrant magis, atque diffindunt, quàm penetrent, sæpè numero lapidem vehunt, quem Cuneum appellant. Nec obijciat aliquis, negare Aristotelem lapidum generationem in aere, propterea quia 1. Meteor. scribit, eodem die, quo apparuit Cometa in Aegospotamis (quam dicunt esse Thraciæ Ciuitatem) in vespere, in meridie lapidem cecidisse magnum ex aere, sed in eum è ter-

Modus generationis terræ motus.

Fulmen quid sit.

Vesuuiana conflagratio quid sit.

Fulmen igné esse, & non lapidem.

Exhalationes in metalla addensari intra terram, in lapidem intra nubes.

Lapis Cuneus dictus.

ra ab

ra ab excessu spiritus eleuatum, quoniam ex eius principijs elicitur, vt in nostro corpore, ità in aere, & in nubibus gigni lapides posse, sed ibi inuehitur Arist.cōtrà Anaxagoram, minimè admittens, tantæ magnitudinis lapidem, instar inquam vnius plaustri, vt de eo scribit Plinius, in aere densari. Cum quo cælestis fulminis genere quantùm hodie conueniant Vesuuiana fulmina, testes sint tot detrimenta montis accolis, villis, oppidis, pecoribus, segetibus, vinetis, oliuetis, castanetis, & syluis ingentium arborum opacis, ab immensæ, & pusillæ quoque molis lapidibus ignitis, pumiceisq. quoquouersum à terræ varijs hiatibus, sed è superiori potissimùm voragine eructatis, ac desputis, miserè admodum illata. Incenditur autem in nubium regione talis exhalatio, quæ admodum sicca esse debet, sæpeq. ad situm illum vnà cum è terra elatis vaporibus, quibus nubes concrescunt, ascendit, effertur q. perindè, ac terrena, vel per motum, vel per antiperistasin; quæ accensa, per rarefactionem dilatatur, magnoq. conatu exitum è nube frigida, densa, ac diu reluctante perquirit, donec eam deniq. diffindat, quæ dum finditur, eiusq. soluitur continuitas, horrendum tonitru edit, quòd si nubem per inferiorem partem, quam tunc inuenit, subtiliorem, perfringit, eadem vi, qua illam frangit, ad terras fertur, nec in aere mox diffluit, & resoluitur, vt pleræque ignitæ exhalationes; tùm quia velocissimè vibratur, tùm quia constat partibus benè coagmentatis, & inter se cohęrentibus, vt accidit Vesuuianis fulminibus ab inclusis intra montis specus, & latebras exhalationibus, seu spiritibus, & ijsdem modis incensis, proindeq. rarefactis, cùm amplior locus diu quæsitus à terræ soliditate non concedatur, eam concutiunt, ac perfringunt, qua parte vel dehiscentem, vel minus duram, & densam, minusuè renitentem inueniunt, præsertim ad apicem, vbi rarior est montis textura ex frequentatis incendijs, & adhuc magis ex ibi patente hiatu, qui hodiè valdè amplior, & vastior apparet, quàm

Exhalatio sicca quomodo in aere, & in terra accendatur.

Quando tonitru efficit.

Quando fulmen simile Vesuuianis.

quàm vſquam aliàs fuerit obſeruatum: Quinque enim (ſi non plurium) milliariorum loci ſpatium occupare ſcribitur, figuræ (vt vocant) ouatæ. E quibus terræ montis partibus tanquam caminis, & cauernis patentibus ignitæ exhalationes cum ſaxis, & cineribus copioſiſſimis maximo cum impetu erumpentes, in Cælum vſque conſcendere velle viſæ ſunt, interdum tamen, vt aereum fulmen languidiore ictu vibratum non pertingit ad terras, ſed in aere extinguitur, ac euaneſcit; ità terrenum hoc fulmen conſimili cauſa non adeò ſublime petere viſum eſt nonnũquam, præſertim duabus lapſis hebdomadis ab inchoata eruptione, iam impetu exhalato, iam mitigata ſæuitie, & flammis in ſeſe recidentibus, in primamq. originem, ſeu cauernas aliquas tunc exhauſtas, nec per id temporis fomitem ex ſolitis mineris ſuppeditantes, reuolutis, quaſi pabulum, ſuppetiaſq. inde rurſum petituris. Quamobrem ex dictis colligere fas eſt, Veſuuianum terræmotum eſſe quoddam terræ illius tonitru, ſeu fragorem quendam cum tremore, inibi, abſque nube propriè dicta, impetuosè editum, erumpente plerumque fulmine, ad quod ità ſe tonitru habet, vt bombardarum ſonitus, qualis in hoc Veſuuij caſu auditur, & euenit. Nam ſiue pila intrà bombardam adſit, ſiue non adſit, perpetuò fragor cum adiacentis, aut ſupereminentis loci concuſſu editur, ſi quid aliud, vicem pilæ gerens, bombarda retineat. Vnde præſens montis tonitru cũ fulmine magis congruit, quàm cum fulgetra, ſeu fulgure; Quippè quia fulmen eſt ignis, ſeu exhalatio ignita è nube vibrata, fulgur ignis nubibus incluſus. Differunt autem ab inuicem tonitru, & fulmen, quòd illud ſonitus ſit, genitus modo paulò ante expoſito, hoc autem ſubſtantia ignea, vel ignita exhalatio, quo nomine magis accedit ad Veſuuij flagrantiam; ſicut ad terræ motum, quando alia adhibetur conditio, è nube magno impetu, & crepitu excuſſa. Conuenit ad hæc fulmen cum tonitruo hoc, & incendio terreno in multis alijs, præſertim in temporibus anni, ac regionibus,

Quando fulmina Veſuuij miteſcere cęperunt.

Terræmotus Veſuuij quid.

Cur magis conueniat cũ fulmine, quã cum fulgure.

Differentia tonitrus, & fulminis.

nibus, in quibus fieri magis solent', vt infrà indicabo. Nec non in eo, quòd (vt mox dicebam) fulmen sæpè numero ex concretis intra nubes exhalationibus lapidem genitum iam significatum secum vehat, vt pyrius puluis intra bombardas accensus, & explosus ferreum globum; Qua in re Vesuuiana coruscatio, subindè nunc micare solita, fulmini aereo quantumuis terebranti, ac discindenti neutiquam cedit, in qua tot varij generis lapides igniti, & cineres ardentes proiecti, Sulphuris odorem, qualem Cuneus ex aere cum fulmine vibratus exhalat, grauiter redolentes, damna infinita, & adhuc maiora factis à Cuneo inferentes. Insuper, vt venti vnà cum exhalationibus intra densissima nubium coria vi cohibiti, & huc, illucq. agitati, via, qua exeant, intercepta, velocissimo motu suo magnoperè faciunt tùm ad tonitrui, tùm fulminis generationem, ità ijdem intra terræ meatus, tanquàm carcerem inclusi, & liberum non inuenientes exitum, non modò gignunt in terra tonitru, eam quassando, & verberando, sed & fulmen ipsum, & exhalationes terræ commouendo, & aeris flabello ventilati more mineras sulphureas, ac bituminosas igniũ subterraneorum parentes, atque nutrices inflammando, qui ignes plerumq. ibi latitant, nec emicant, vt nec carbones sub cinerum aceruo sepulti, nisi dimoueantur, & flabelli opera, qua ventus in proximo aere concitatur, excandescant. Ignis enim in rebus omnibus absconditus esse dicitur, &, vt aiunt Plinius, ac Isidorus, in lapidibus, in ferro latitans, vt nullo pacto accipienda sit Cardani opinio, qua ignem tollit à mistis, & negat ex chalybe chalybi alliso ignem excuti, & ex duobus lapidibus simul concussis vllum ignem exilire, aduersus quem pugnat cùm sensus, tum Plinius lib. 36. per illa verba: *Lapides, quos viuos appellamus, clauo, aut altero lapide percussi scintillas edunt. Iccircò Lapones matrimonij fœdera igni, ac silice auspicantur. Quia ignem auctorem vitæ rentur: Silicem verò eius æternum thesaurum, vbi nunquam marcescat.* Imò & Aristot.

Vesuuiana coruscatio aereæ minimè cedens.

Venti quomodo intra nubes ad tonitruorum, & fulminũ, sub terra ad terremotuum, & incendij generationẽ concurrant.

Ignis in cunctis rebus absconditus contra Cardanum.

Testimonio Plinij, Isidori, Aristotelis, Lucretij, & aliorum.

ſtot. ipſe 2. Meteor. vbi in terra vim ignis ineſſe teſtatur, ſicut & Lucretius lib. 6. dum reddit rationem, cur fons frigidus, & in quo faces immerſæ, velut in cæteris, extinguũtur, attamen ſi ſtupam, ſi ſtipulam, & lignũ aridum ei quis admouerit, ſingula hæc incendat, qualis fons eſt in Epiro, cuius admirabilis euentus meminit Mela lib. 2. Plinius lib. 2. cap. 10. & Antigonus hiſtor. admirab. collect. Ità enim canit:

Fontis in Epiro mirabilis prorſus euentus.

Nimirum quia ſunt in aqua permulta vaporis
Semina, deterraq. neceſſe eſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem
Et ſimul exſpirare foras, exireq. in auras
Non tam viua tamen, calidus queat vt fieri fons.

Quem propterea ignem mineris illis ſulphureis, ac bituminoſis incluſum ventus exſufflans, ſubinde mouet, & non raro inflammat ampliùs, facitq. latiùs, profundiuſq. iactari, & penetrare, vt ex modica ſæpè, & iamiam extinguenda ſcintilla, ſi conueniens, idoneaq. ignitioni materia non deſit, ingens, indeſinenſq. flamma accendatur. Vnde non abs re ventus ſuprà terram exhalatio eſſe fertur, infrà terram terræmotus, in nubibus tonitru. Quò reſpiciens Salluſtius argutè dixit, *locorum faciem cum ventis ſimul mutari*. Quippè eorum tanta vis eſt, vt non ſolùm ſaxa, & arbores euellant, ſed Cælum, terramq. conturbent, & maria commoueant, quæ procellæ in modum agitata fluctus in montium, ac terræ hiatus, & ſpecus impingunt, & vnà flatus, è quorum cum terra colliſu, terræ motus, cum mineris verò igneis confricatu, ignis ipſe eliditur, atque inde incendium. Verùm etenim puto, quod nonnulli (inter quos fuit Aſclepiodorus, referente Seneca lib. 2. Quæſt. Natur. cap. 30.) arbitrati ſunt, etiam abſque nube, ſolo quorundam corporum concurſu, edi poſſe tonitrua, qualia nunc audita fuere, & etiamnum per interualla quædam audiuntur, dum Veſuuius, & Aetna quoque non infrequenter, ingentem vſtulatæ arenæ copiam, lapideſq.

Dictum de vento.

Alterũ apud Salluſtium.

Tonitrua abſque nubibus cur aliquando fiũt.

desq́. ignitos non dissimilis prorsus naturæ ab ijs, quos aliquando aerea fulmina vnà secum in terram vehũt, protrudit, ac vibrat. Quippè verisimile fit, in vtrolibet tractu, adeò ferueſcente aere, nullas tunc fuisse nubes, sed duntaxat obluctante, & magno se impetu effundente è terræ cauernis spiritu, & sulphurea simul incensa materia, aerem propinquum crepuisse. Non negauerim tamen, interdum eodem momento posse tonitrua Cæli, fulgura, fulminaq. fieri, & magnam imbrium copiam in altis nubibus collectam inde cadere, quo in terra tam montis Vesuuij, quàm alterius loci eademmet persentimus; vt non ità pridem ad initium mensis huius, (qui Februarius est) Neapoli eodem tempore, quo à renouato terræ motu subterraneo non leuiter concutiebatur, tonitrua quoque magna, & terrifica de Cælo audiebantur, & vnà etiam grando non solitæ crassitudinis, à qua multorum ædificiorum vitreæ fenestræ confractæ sunt, impetuosè iaculabatur. Ideò nec fidem derogaui quibusdam litteris Nola exaratis, quibus circa Vesuuiani incendij primordia in Nolano territorio tot, ac tanta tonitrua, fulgura, & fulmina cum maxima imbriũ copia extitisse, atque micasse nuntiabatur, quot, & quanta retrò nunquam visa fuere, hominum illorum memoria; vt viceuersa probare minimè potui quorundam ex illis opinionem, quòd iam dicta, & præcipuè exundantes aquæ, ac diluuij instar per tàm latos campos excurrentes, imò & lacus nouos, & immensos efficiẽtes, de Cælo ceciderint, non autem è crateribus, seu voraginibus montis emerserint; Si quidem non ità post euentus obseruatus rei veritatem comprobauit, videlicèt ab intimis Vesuuij cauernis, per varios terræ hiatus, à violentis terræ motibus, & ignis impetuosis exhalationibus adapertos. (Quod tamen alij negant, à suprema tantùm voragine cuncta reiecta fuisse affirmantes) potissimum verò summi verticis, aquarum ardentium nigrarum, quibus nunc etiam visu perspectis à multis, qui voraginis antro propiùs accesserunt, abundè nimis

Grando insolitæ crassitudinis cum tonitruis cæli, ac terræ motu Neapoli ad initiũ Februarij.

Nolę tempestas magna terrena magis quàm cælestis.

mis

mis ſcatet, profluuium erupiſſe, illi ſimile, de quo Lucretius lib.6. vbi nigrum nimbum exprimit ſimilitudine fluminis picei è Cælo demiſſi, quem locum inferiùs adducam. Id ipſum corroboratur ex eo, quòd Nolæ territorium inundationibus ſolet eſſe obnoxium, tam antè, quàm poſt factam Veſuuij commotionem, vt colligitur ex Ambr. Leone de Nola lib.1.ad finem cap.7. & alijs etiam. Iam itaque conſtat, & manifeſtum eſt, quid terræ motus ſit, quid conflagratio Veſuuij, ex analogia allata, quam ambo hæc in monte edita habent cum tonitruis, atque fulminibus in aere factis; quorum omnium, & ſingulorum conſenſus, ac inter ſe affinitas adhùc magis clara cunctis euadet ex infrà dicendis in differentiarum, & cauſarum congruentia, quam ad initium ſtatim ſubſequentis Capituli enarrare aggrediar.

Differentiæ Terræmotuum ex diuerſis eorum generibus, vbi Ariſtotelis ſimilitudines de Tremore, & de Pulſu arteriarum in Animalibus declarantur, eiuſdemq; doctrina tam in hoc, quàm in eo, quòd duas ſolùm motus ſpecies faciat, defenditur. Præterea quid pulſus ſit, & quinam ſint pulſus Tremulus, & Palpitans, cum quibus Terræmotus conuenit, oſtenditur: Vbi an Hipp. in cognitione, aut potius explicatione pulſuum mancus fuerit, quique poſt eum talem materiam abundè excoluerint, & quid ſit Palpitatio propriè dicta, facilè demonſtratur.

CAP.

CAP. XI.

CVM exiguò ante scripserim, quidnam sint, & quomodò possint, si non adeò exactè, & per omnes definitionis leges, definiri, saltem non ità rudi, & obscuro modo circumscribi duo Vesuuij mala, terræmotus, & conflagratio, à quibus acerrimè simul sæuientibus, præteritis diebus, tantoperè diuexatus mons ille fuit, & hodiè adhuc per interualla infestatur, exemplo videlicèt, ac similitudine tonitrui, fulgetri, ac fulminis, quippè omnium eadem est materia, eademuè essentia, hoc est, sicca exhalatio, vt scribit Arist. 2. Meteor. ex qua nimirum super terram fit ventus, in terra autem, seu sub terra, terræmotus; in nubibus verò vel imber, vel tonitru, vel procella, vel fulmen, in præsentiarum, vt vndequaque res clarior euadat, ad omnium differentias patefaciendas stylus vertendus est; quæ quidem à multis solent conditionibus hauriri, seu substantialiter, seu non substantialiter singulis inhæreant. Quas equidem promam à varijs eorum speciebus, effectis, causis, alijsq. rebus; Quibus tandem signa cuncta adijciam, vt vniuersa hæc nostra Exercitatio pro viribus concinnata, in lucem absoluta, &, quoad scopum destinatum, perfecta prodeat. Incipiam autem ab illis terræmotuum differentijs, quæ à diuersis eorundem generibus enascuntur, in quibus discrimen maximè facit varia spiritus positio, situsuè, & eius copia, vel paucitas. Aristoteles 2. Meteor. duas assignat species, scribens, alium esse motum tërræ non dissimilem tremori, vti quum spiritus præ copia terram longè, lateq. peruadit, & eam non in imum, sed ad latera ciet, & nunc ad hanc, nunc ad illam partem, vibrante motu, agitat; alium autem esse instar pulsus in animantibus, quo nimirum, vt arteriæ in his modò sese efferunt, diastolen dicimus, modò concidunt, systole vocatur,

Eadem est materia venti, terræmotus, imbris, tonitrus, procellæ, & fulminis.

Differentiæ terræmotuũ à varijs eorum generibus.

Ex Aristotele.

catur, ità in hac altera terræ motus ſpecie è profundo terram concuti, & ſurſum, deorſumq́. iactari, ſpiritu rectà aſcendere conante. Vbi aduertendum eſt, Ariſtotelem in priori ſimilitudine, niſi intelligat cõcuſſionem illam membrorum ab initio febriũ maximè bilioſarum fieri ſolitam, à Gal. ſub rigore comprehenſam, & de qua nos in Tituli explicatione, abuti nomine tremoris, cum non propriè eum accipiat, prout accipere ſolent Medici, apud quos Tremor ſimpliciter dictus, auctore Galeno 2. de Sympt. cauſ. cap. 2. & lib. de Trem. 5. eſt motus deprauatus ſurſum deorſum, compoſitus ex motu voluntario, facultate animali partem ſurſum attollente, atque ex motu inuoluntario, eadem parte, propter grauitatem, deorſum tracta. Vnde etiam conſtare videtur, Palpitationem cordis minùs appoſitè à quibuſdam vocari, cordis Tremorem, quippè Tremor, vt idem Gal. docet, fieri non poteſt, abſque hominis volũtate, atque opera muſculorum, quos nemo ignorat motus voluntarij inſtrumenta eſſe, cor autem muſculus non eſt, nec ex voluntate noſtra mouetur; vt concludendum ſit, cor tremore propriè dicto laborare minimè poſſe. Ideò huiuſmodi deprauatus motus in eo factus rectiùs Palpitatio appellatur, quàm Tremor, etiamſi non me lateat, ad talem cordis motum non quadrare quæcumque in vera Palpitatione neceſſariò concurrunt; Sed ſatis eſſe debet Galeni auctoritas loco iam citato de Sympt. cauſ. Vbi inter cæteras partes Palpitationi obnoxias, ventriculum, veſicam, vterum, iecur, lienem, &c. arterias quoque, & cor ipſum enumerat. Verùm, ni fallor, Ariſt. tremorem hoc in loco accipit pro horrore, & rigore, quibus per febriles acceſſiones animantium corpora concuti ſolent, ac contremiſcere, licèt ambo hi motus fiant præter naturæ inſtitutum, noſtramq́. voluntatem, ex cauſis ſuprà aſſignatis in 1. cap. & Tremor legitimè ſumptus nullopacto gignatur, niſi animali concurrente facultate, quo nomine ab horrore, & rigore etiam differens eſt; In ſecunda ſimilitudine, vt meliùs intelligatur

Nomen tremoris apud Ariſt.

Apud Medicos.

Palpitatio cordis num rectè dicta Tremor.

Pulsus nomẽ triplex apud antiquiores Medicos.

vnà cum Aristotelis mente, breuiter videndum est, de quonam arteriarum motu verba faciat, quidque pulsus sit, & quomodo fiat. Pulsus ergo nomen antiquis tripliciter accipi consuetum fuisse inuenio; primò, pro cordis Palpitatione; secundò, pro vehementi solùm arteriarum motu, oculis conspicuo; tertiò, pro eo cordis, & arteriarum motu, qui à primordijs nostræ generationis incipiens, ad vitæ vsque finem indesinenter persistit. Quarum significationũ diuinus senex Hippocr. nullam ignorauit, sed primam, cuius inuentionem Aegimio Galenus attribuit, atque secundam ab alijs se ipso vetustioribus accepit, proprijsq́. indidit monumentis, velut de hoc vehementi, & sensui visus manifesto motu, ac pulsu facit 2. Epid. sect. 5. ad finem: *Cui vena, quæ in cubito est, pulsauerit, furiosus ille, & iracundus euadit; cui sensim mota fuerit, lentus.* Venæ etenim

In quorum Pulsuum cognitione, aut potius explanatione, mancus fuisse videtur Hippocrates.

nomine arteriam, veterum more, intelligit; tertiæ verò ipsemet auctor fuisse perhibetur, quam tamen non excoluit, aut perfecit, imò nominis ferè tantùm inuentor fuisse videtur, non differentiarum, dignotionis, causarum, atque præsagij; Quam partem ab ipsomet Hippocrate tantummodò præindicatã, vt cùm in Coacis vocat Lethargicorũ pulsum tardũ, & mollem, & in Epid. febrientium pulsus creberrimos, & maximos, valdè posteriores eo Praxagoras

Praxagoras, Herophilus, & demùm Galenus omnem de Pulsibus disciplinam perfecerunt.

primùm, mox Herophilus excoluerũt, ac tandem Galenus profundo studio pertractauit, & perfectissimam reliquit. Super qua re legatur idem Galenus in lib. illo, cuius titulus est, *Quòd animi mores sequuntur temp. corp.* cap. 8. & lib. 6. de Plac. Hipp. & Plat. c. 1. nec non 1. de Diff. puls. 3. de Cris. & de Præcogn. ad Posthum. 12. Cùm autem Aristoteles similem facit terræ motum motui arteriarum in animalibus, quæ modò attolluntur, modò concidunt, dubio procul de pulsu intelligit tertia significatione accepto, prout nimirum cordis, & arteriarum motus est, à generationis primordijs ad extremum vsque vitæ perseuerans. Cuius naturam, vel essentiam Galenus ipse cùm alibi, tum præ-

præsertim 4. de Diff. pulſ. explicat, itaut de eiuſdem ſententia pulſus ſic definiri poſſit; *Pulſus eſt dilatatio, & constrictio cordis, & arteriarum, à facultate pulſifica, ob calidi innati tutelam, & ſpirituum animalium regenerationem.* In qua definitione, loco generis, ſunt dilatatio, & constrictio; Cor, & arteriæ ſunt ſubiectum; facultas pulſifica eſt cauſa efficiens; cætera finis loco ſubnectuntur. Quorum omnium, & ſingulorum examen tanquam à re noſtra longè nimis ſemotum prætermittitur, & ad alia magis neceſſaria ſtylus reuocatur. De pulſu ergò naturali (tametſi in hoc quoque cor, dum dilatatur, & conſtringitur, locum mutare aliquibus videtur) qui mirè ordinatus eſt, ac pondus habet, vt Auicenna loquitur, ſeu rythmum, & harmoniam in omnibus ſeruat, haud loqui Philoſophum facilè vnuſquiſque concedet, ſed de præternaturali, aut qualis in membris phlegmone obſeſſis, & ad ſuppurationẽ tendentibus euidenter cum triſti ſenſu apparet, aut de febrili in primis, in quo præter magnitudinem, ex adaucto vſu, celeritas etiam, frequentia, & inæqualitas ſiſtematica nuncupata, propria febriũ putridarum, reperitur. In eo ſiquidem ſyſtole velocior eſt, vſque ad certum tempus, ad fuliginoſæ materiæ expulſionem, poſtea velocior diaſtole, ad copioſioris aeris attractionem, pro cordis æſtuantis refrigeratione, vt, quemadmodum alteram terræ motus ſpeciem tremori illi comparat, qui ſimilis admodum eſt horrori, aut potiùs rigori febricitantium corporum, ità alteram dicat conuenire cum eorundem pulſu valdopere concitato, pro rei uoxiæ excluſione, & proficuæ intùs vocatione, qui ambo motus velociùs, ac vehementiùs in febre correptis eduntur, quàm in corpore ſano, in quo nulla perturbatio, nullaq. neceſſitas & immutandi ſyſtolen, atque diaſtolen, cuius propterea arteriarum motui minus reſpondet terræ motio violenta, ſurſum deorſum impetuosè facta. Ad hanc Ariſtot. ac Theophraſti ſententiam accedere videtur Pauſanias, vbi Helicis ſubuerſionem deſcri-

Pulſus definitio ex Galeno.

De quo Pulſu intelligat Ariſtoteles.

Pulſus põdus habens, & rythmum.

Siſtematica inæqualitas propria febrium putridarum.

Comparatio terræ motus cum pulsu, ac vitali spiritu facta etiam à Pausania.

bit. nam & ipse à vitali spiritu comparationem desumit, quippè sicut vitalis spiritus febrilis caloris vehementia è corporis intimis penetralibus, seu profundis cordis sinubus quandoque erumpens, cùm alibi, tum maximè in arterijs, quæ carpi vtriusque perreptant regionem, motus impetuosiores ciet, ità propemodum terræ cauernis inclusus spiritus, dum sibi eruptionem molitur, ædificiorum fundamenta magno impetu subruit. Quid si diceremus, rem hanc totam melius explanari per pulsum illum vocatum tremulum, vti per alium palpitantem dictum? Qui licèt diuersas constituant differentias, in eo tamen ambo mirè conueniunt, quòd ad terræ motuum genera ab Aristotele proposita enarranda magnopere conducant. Nam, vt à tremulo incipiam, ità vocatur, propterea quia illi tremori est similis, qui, vt non multò ante significaui, symptoma est facultatis animalis, quippè quia, sicuti in illo, dum pars voluntariè mouetur, sursum, ac deorsum vicissim agitatur; sic etiam in tremore, dum cor facit distentionem, in eo ipso distentionis motu, sursum, ac deorsum moueri videtur, motu tamen valdè paruo, qui cum similiter in arterijs percipiatur, tam ratione motus, quàm ratione causarum à quibus generatur, verè tremulus pulsus appellari potest. Et ratione quidem motus, quia, vt mox dicebatur, in ipsa distentione cor sursum, deorsumq. moueri videtur: ratione causarum, quòd motus hic tremulus nunquam fiat, quin cor facultati mouenti redditum sit grauius. Vnde quemadmodum Tremor fit in voluntaria functione ex facultate debili, & grauitate membri, sic tremor functionis pulsificæ à facultate debili, & grauitate cordis. Sed quænam sunt causæ, quæ vel facultatem solummodò destruũt, vel vnà etiam grauius cor efficiunt? Facultas tantùm destruitur à magnis cordis discrasijs, & vlceribus quibusdam, efficiunt verò cor ipsum grauius abscessus, calli, calculi, scirrhi, caro adnata, cæteraq. huius census: Quæ omnia pulsum verè tremulum constituunt, in quo ait Auicenna

Pulsus tremulus quinam sit, & quomodo fiat.

Cor quæ debilitent, & grauius reddant.

videri

videri facultatem tentare noxij alicuius expulsionem, cum tamen id minimè possit explere. Differt autem pulsus hic à palpitante, quòd palpitans tremorem ostendat in pluribus ictibus, cum tremulus in vnico tantùm ictu, & sub vnico etiam digito, eundem patefaciat tremorem. Palpitans verò pulsus oritur ex Palpitatione, vel cordis, & arteriarum, vel arteriarum tantùm; idque dupliciter, aut ex flatu, vaporeuè partem eleuante, ac deprimente, aut ex causa expultricem vim proritante. Priore modo si fiat, aut flatus eleuat membranam pericardij, vel cordis, & sic arteriarum pulsus nihil à naturali statu mutatur; aut eleuat cordis ventriculos, arteriarumuè tunicas, & hoc modo maior, celerior, atque inæqualis euadit; & maior quidem, qua flatus ille, aut vapor plus distendit cor, ac tunicas quàm expediat, celerior, quoniam facultati naturaliter distendenti accedit etiam flatus impellens; inæqualis demùm, quia flatus iste naturæ leges non seruat, nec tunc solùm facit eleuationem, cùm facultas distendit, aut depressionem, cùm contrahit, sed potiùs è contra, tunc plerumque eleuat, cùm fit contractio, aut deprimit, cùm fit distentio; vnde maxima sequitur in pulsibus inæqualitas crebritatis, intermissionis, interruptionis, aliauè consimilis, vt doctè admodum, ac eleganter disputat Hercules Saxonia lib. 3. de Pulsibus. De quo nunc præterea pulsu pluribus agere prætermitto, nè longius à re destinata sermo abscedat, dummodò illud non taceam ad rem nostram valdè pertinens, quòd in hoc ex irritamento expultricis facto, aliquando cordis motus vsque adeò vehemens obseruatus est, vt etiam costas loco mouisse, ac confregisse testis sit Fernelius. Quo fit, vt ad cordis proportionem, arteriæ quoque omnes mirandum in modum distendantur, vt talis motus non sit illa propriè dicta Palpitatio, quæ nihil est aliud, quàm eleuatio, ac depressio, sed motus quidam sursum, atque deorsum, in quo pars tota priorem mutat locum, dum sursum tendit, rursusq. descendit, aliter ac eue-

Differentia pulsus tremuli, & palpitantis.

Pulsus palpitantis generatio, atque essentia.

In quonam palpitante pulsu aliqnãdo fractæ sũt costæ.

Palpitatio propriè dicta quid sit.

nit in eleuatione, ac depressione, vbi pars, priore loco non mutato, maius tantùm vel minus spatium occupat. Quare cum cor tàm violento agitetur motu, vt vel costas ipsas effringat, profectò priorem locum mutat, non autem eleuatur solùm, atque deprimitur. Cum quo potissimùm pulsu quantum quadrent aliqui terræmotus tam Vesuuij, quàm alterius cuiuslibet loci, facilè omnes intelligunt ex eo, quòd Aristot. motum pulsationi assimilatum maiorem difficilioremq. esse scribit altero, qui tremori comparatur; in hoc siquidem non apparent lapides, vt in alio pulsante motu, cuius quidem diuersitatis ratio hæc assignatur, quòd pulsatio sit motus vehementior, quàm tremor, ideoq. in illo terram magis concuti, & sic descisos lapides ab intimiori terra ad exteriorem superficiem eijci, non item in tremore, cum leuior motus existat. Hipp. tamen in Coac. prænot. dicit in senibus quandoque ità fieri tremores, vt depellant lapides à renibus. Vnde verisimile fit, in hoc Vesuuij motu illud idem euenisse, quod refert Plinius Epist. 16. de altero montis huius motu facto tempore Titi: *Crebris, vastisq. tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur*. Et hæc quantum ad duo iam dicta terræ motus discrimina, quæ excogitata ab Aristotele fuerunt. Posteriores enim Philosophi adhuc plures, quàm ille, obseruarunt terræ motuum differentias, è quibus est Theophrastus in lib. de motu terræ, & Georgius Agricola, qui quatuor species proponit, tremorem, cùm videlicèt terra vibratur, quem sæpè hodie experta fuit Neapolitana Ciuitas; Concussionem, cùm in sublime, & in deuexum commeat; arietationem, dum contrarijs quatitur ictibus; inclinationem, quando tanquam fluctus volutatur, seu nauigij in morem nutat; & denique Albertus Magnus lib. 3. tract. 2. cap. 18. valdè plures recenset terræ motuum species, ab effectis eliciens; quippè tradit quendam esse motum agitantem, nempè cùm ad dexteram, & sinistram terra

Aristotelis sensus magis explicatur.

Senes in tremoribus calculos è renibus excernere.

Plures terræ motuum species ex Theophrasto, Agricola, & Alberto.


dimo-

dimouetur, alium ſubuertentem, cum terræ partes imæ in altum vehuntur, & è contra; alium ſcindentem, cùm terra aliquo in loco fatiſcit, & hiatu reſeratur; alium perforantem, qui nimirum in terra multa facit exigua foramina, alium tremulum, quo terra è ſitu egreſſa naturali, in eundem mox remeat; alium ruinoſum, cum celſior terræ moles è ſua propellitur ſede; alium vehementem, cùm pars ſublimior ab inferiori vehitur, & tandem alium eleuantem ſimul, ac deprimentem, qui fit cùm terræ ſuperficies modò aſſurgit in ſublime, modò ſubſidet. In quibus omnibus terræ motuum differentijs aſſignandis exactiſſimus ſanè fuit Albertus, ſed quædam ex illis, propter ſimilitudinem, ab inuicem diſtingui vix poſſe videntur. Ad id verò, quòd primo aſpectu mancus fuiſſe videri cuipiam poſſit Ariſtot. quia plures ab alijs Philoſophis traduntur terræmotuum ſpecies, & ab eo duæ tantùm proponuntur, reſpondent nonnulli, eum principaliſſimas aſſignaſſe ſpecies, ſub nomine tremoris, & pulſus comprehenſas, quia motus animalis, aut ſecundùm ſui longitudinem fit, & latitudinem, aut ſecundùm profunditatem, ſi ſecundùm longitudinem, eſt Tremor, ſi ſecundùm profunditatem, dicitur pulſatio. Ad Poſſidonium, qui & ipſe terræmotũ bipartitò diſtribuit, nimirum in concuſſionem, & inclinationem, dicere poſſumus, quòd ab Ariſtotele nõ diſcrepet, ſed vnam, & eandem ambo faciant diuiſionem, quoniam priorem ſpeciem pulſus nomine, poſteriorem ſub tremore comprehendiſſe Ariſtoteles videtur, ne ſileam, quòd inclinatio naturam ſapit vtriuſque, vt inquit Buccaferreus, qui pariter, quòd ad alias ſpecies terræ motuum à nominatis Philoſophis inuectas, reſpondet, illas eſſe potius paſſiones, quàm differentias terræ motus. lib. Meteor. 2. Lect. 52.

Ariſtoteles defenditur.

Idem cum Poſſidonio conuenit.

Pro eodem quid reſpondeat Buccaferreus.



Aliæ

Aliæ Terræmotuum differentiæ, sicut Tonitruum ex diuersitate sonorum, quos ambo edunt, comparatione vocum humanarum varij generis, nec non aliæ à duratione, iuxtà varios morborum motus, ac demùm à tempore, loco, magnitudine, & dilatatione desumuntur. Quibus accedunt & alia fulminum discrimina ad Vesuuiana fulmina magis internoscenda.

CAP. XII.

DIFFERENTIIS Terræmotuum à varijs eorum generibus, speciebusuè deromptis, succedunt modò aliæ in Tonitribus admodum conspicuæ, vti quæ potissimum sumuntur à diuersitate concretionis nubiũ, aut ex densitate, raritate, vel multitudine exhalationum, à quibus varij, disparesq́. soni emittuntur, iuxtà Aristotelis sententiam lib. 2. Meteor. cap. 8. quam sequuntur D.Damascenus in suis Physicis cap. 17. & Albert. lib. 3. tract. 3. Quæ nihilominus differentiæ non æquè, aut eodem modo à Philosophis traduntur. Sunt enim inter eos, qui tonitruorum sonos tripartitò diuidunt hac ratione; nimirum: Aut exhalatio nubis corpus effringit, aut non: si effringit, & vno ictu, fit crepitus similis ei, quem edit membrana, dum spiritu intenta rumpitur; si varijs ictibus, alia tunc oritur species multiplici crepitu resonans: Si non effringit, sed intrinsecùs obluctatur, & in latus declinat, nascitur tumultuosus quidam, & obscurior sonus. Seneca autem loco iam adducto aliam excogitauit distributionem;

Differentiæ tonitruum à sonis secundùm aliquos Philosophos.

Secundùm Senecam.

quip-

quippè ſcribit,quoddam tonitrui genus eſſe, cuius graue exiſtit murmur, quale terræmotum anteire ſolet, clauſo quidem vento, ſed fremente; ſiquidem cum ſpiritus intrà ſe clauſere nubes, in concauis partibus harum volutatus aer ſimilem facit mugitibus ſonum,raucum, æqualem, & continuum, cuiuſmodi tonitrua venturi prænuncia imbris cenſentur. Aliud genus acre eſt, quod crepitum potius quis dixerit, quàm ſonum, qualis eſt, quem audimus, dum ſuper caput alicuius veſicam dirumpimus. Talia autem eduntur tonitrua, quando conglobata diſſoluitur nubes, & ſpiritum, quo diſtenta erat, emittit, & hoc propriè fragor dicitur ſubitus, & vehemens. Hæc de tonitruo; quæ ad terræmotuum quoque diſcrimina internoſcenda quantum faciant, nunc oſtendamus, iuxtà ſcilicèt ſonorum diuerſitatem. Cum itaque ſonus ex corporum colliſione reſultet, terræ motus autem oriatur ex vehementi ſpirituum, aut ventorum intus cohibitorum repercuſſu,& cum terra colluctatione, rationi conſonum eſt, vt ipſum ſonus aliquis ſemper inſequatur, aut cum eo fiat, quamuis ſonus ipſe ob ſui tenuitatem, agilitatemq́. ad aures citiùs pertingat, quo tamen celeriùs adhùc ad oculos peruenit fulguris, & fulminis ſplendor, ex nubium, & exhalationum inter ſeſe conflictatione excuſſus, ob excellentiorem viſus, quàm auditus facultatem. Nam & ob id aſpectus auditum anteuertit, vt in remigatione patet, in qua dum remi aquam feriunt, & ex ea tolluntur, poſterior remigatio cernitur, antequàm prioris ſonus ad auditum perueniat; videlicet cum imaginum viſibilium traiectio momentanea ſit, propoſita re ſpectabili, non eget oculus mora temporis ad eam conſpiciendam, ſed ſpecies audibiles non niſi tempore ad aures perferuntur, proindeq́. neceſſariò aliqua mora interijci debet, antequam ſonus percipiatur. Philoſophi tamen ſermo alicui ſubiacet limitationi, quatenus ſonus non ſemper, & perpetuò vnà fit cum terræ motu, ſed hunc ſæpè antecedit intra cauernas, & ſpecus obmur-

Quæ tonitrua imbrem futurum prenunciant.

Differentiæ terræ motuũ ab ijſdem ſonis.

Aſpectus cur auditum anteuertit.

Terræ motus aliquando ſine ſono.

obmurmurans, qui tunc signum potiùs est prodromum, quàm symptoma pathognomonicum; Vnde à Plinio Seniore ponitur pro nota terræ motus iam iam affuturi, & à Cassiodoro in Epistola iam citata de Vesuuiano incendio, annotatur pro signo contremituri, ac exarsuri montis Vesuuij, vt infrà ostendetur; quo solo hodie signo perseuerante, multi ex Vesuuij Inquilinis commonefacti, Neapolim versùs arrepta fuga, à præsentaneo vitæ periculo euaserunt. Quinimò aduertit Aristoteles, aliquandò, citrà terræ motum, aliquem de huiuscemodi natura sonum audiri, vt cùm spiritus confertim inculcatus terram eo impetu ferit, vt sonum, non motum edere valeat. Præire autem interdum aliquanto tempore sonus assolet, diuina primùm, vt credere par est, prouidentia, ne miseri mortales ità repentè, peccatorum nexibus obstricti, corruant, sed naturali quoque causa, quando spirituosa substantia per terræ concaua ferri, moueriq. incipit, at nondum vim tantam, tantumuè impetum adepta est, quantus ad eam impellendam, forasq. iaculandam satis sit. Varius autem, & multiplex est terræ motuum sonus, quoniam, sicuti spiritus, cùm verberatur, varij generis sonitus edit, sic & cùm ipse terram verberat, quemadmodum in terræ motu accidit, de quorum quidem sonorum diuersitate, cùm Plin. lib. 2. cap. 80. tum Albertus præadducto loco verba faciunt, sed reuera Aristoteles illius tantummodò expresse meminit, qui Boum mugitum æmulatur, & qualis forsitan sæpiùs editur, iuxtà etiam illud Maronis 6. Aeneid.

Sub pedibus mugire solum.

Quæ sonorum in terræ motionibus diuersitas accommodata sanè similitudine cum humanæ vocis discriminibus affabrè delineatur, & exprimitur. Nam vocum differentiæ in nobis emergunt ex varia laryngis, & musculorum eius, sicut asperæ arteriæ, & ramorum ipsius, pulmonisq. compositione, & morbis, nec non ex aeris, qui efflatur, magnitudine, aut paruitate. Vnde maribus, quum primùm pube-

Sonus præcedens terræ motum.

Quando id fiat.

Et qua ex causa.

Varietas sonorum apud varios.

Boum veluti mugitus apud Aristot.

Et apud Virgilium frequentior sonus in terræ mot.

Sonorum terræmotuũ diuersitas ex varijs humanarũ vocum differentijs demonstratur.

pubeſcere incipiunt, ſemenq. emittunt, tunc grauior, aſperiorq. vox redditur, quod τραγαν appellat Hippocrates, nos *hircire*; Ante verò, vti mulieribus, quæ viragines non ſint, & Eunuchis, tenues, & graciles fiunt voces, velut dyſpnoticis, & aſthmaticis variantur, quæ in iuuenibus, & viris illis, qui natura calidi ſunt, & largo, ſanoq. pectore donati, non graciles, non tenues, aut ſæpè vix ſenſibiles efflantur, ſed magnæ admodum, atque ſonoræ emittuntur, propter ſcilicet caloris, & ſpiritus exuperantiam, vnaq. organorum pneumaticorum, ſpirationiuè famulantium amplitudinem, qua cæteri nominati partim natura, partim ex euentu, occaſione morbi, penitùs carent. Ita ergò in terræ motibus ſonorum diſcrimen naſcitur ex varia ſpecuum, & cauernarum, per quas, velut per trachæam, eduntur, forma, & ex qualitate materiæ motui excipiendo deſtinatæ, ſicut ex aeris, hoc eſt exhalationum copia, vel exiguitate; quippè ex amplis cauernis, & meatibus latè patentibus magni redduntur ſoni, è preſſis verò, & anguſtis exiles, tenues, ac vix perceptibiles, ex recuruis, ac labyrinthæo flexu obuolutis terribiles, & varij, ex læuibus clari, & perſpicui, ſicut in humidis ſonus raucum quiddam ſonat, ſimile voci, quæ à nimis vuida trachæa editur à tuſſiculoſis, & rauca, bronchoſaq. vox dicitur; in duris contrà, ac denſis fremit, clangori ſimilis buccinarum, & voci illi, quam febricitantes periculoſè habentes, nimia inſtrumentorum dictorum duritie, ac ſiccitate, emittunt, quæ clangoſa vocatur, ſicut tandem, copioſo, & amplo ſpiritu colluctante, vaſtus ſonus, pauco, & tenui, exilis prodit. Aptè quin etiam talia ſonorum diſcrimina quidam aperiunt, comparatione facta cum muſicis inſtrumentis, quò ſpectant duo illi Catulliani verſus in Carmine de nuptijs Pelei, & Thet.

Vnde in homine vocum varietas naſcatur.

Sonorum diuerſitas in terræ motibus.

Vox bronchoſa.

Clangoſa.

Similitudo etiam ducitur ab inſtrumentis muſicis, apud Catullum, atque Lucretium.

Multaq. rauciſonos efflabant cornua bombos
Barbaraq. horribili ſtridebant cornua cantu.

Qua etiam in re legatur Lucretius 4. de Nat.

Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum,& item læuor læuore creatur,&c.

Huiusmodi sonorum discrimina fuisse in hoc Vesuuiano motu colligo ex multis relationibus impressis, & ex nonnullis, qui tunc temporis Neapoli morabantur,qui narrant maiorem tam vniuersalis terroris in cunctis occasionem dedisse tot varios sonos,mugitus,bombos,ac fremitus, qui à strepente monte ad singulorum aures pertingebant,sicut mœstos canum eiulatus, de quibus infrà; quos tamen sonitus ab inuicem discernere,arduum valde erat,à mentibus præsertim ità conterritis, & præsentaneo vitæ periculo, quod ante oculos assiduè obuersabatur, intentis, imò nec ab alijs animosioribus tales differentiæ distingui accuratè potuerunt, propter similitudinem, quæ facilè admodum omnibus imponit. Differentia insuper illa contemnenda non est, quæ à duratione terræmotuum sumitur, de qua veteres, qui de Vesuuiano cùm motu, tum incendio verba fecerunt, nullam habent mentionem. Quæ sanè res difficulter definiri potest, licet terræmotui, etiam per Aristot. communiter pro termino præfigatur Quadragesima dies acutorum morborum vltima, & chronicorum prima. Quidam etenim terræ motus breuiùs, quidam longiùs terminantur; alij continuato motu, alij interciso, ac per spatia quædam recurrentes, morborum nostri corporis similitudine, quorum alij chronici sunt, ac tardi motus, alij acuti, & per breues, alij perpetuò affligentes, alij intercalares, & quidam errones, ac vagi, quidam homotoni, ac fixi, vt vberius in causis ostendam. Aliæ quoque sumuntur terræ motuum differentiæ à temporibus, & locis, in quibus frequentiùs excitari solent, de quibus nunc longiùs agere supersedeo, quoniam in Aetiologia, ad confirmandam Aristotelis sententiam, iuxtà iacta ab eo fundamenta, quòd ab halitibus, atque spiritibus introclusis, exitumq. non inuenientibus terræmotus fiant,quę ambæ causæ in quibusdam magis tùm anni temporibus, tùm regionibus suscitari, ac

Terræmotuũ differentiæ à duratione.

Comparatione morborũ nostri corporis.

Differentiæ à temporibus,& locis.

præ-

præualere obſeruantur, abundè loquar. Demùm nec illa paruipendenda eſt differentia, quæ à magnitudine, & amplius in ſpatium facta terræ motus extenſione depromitur, cum ordinariè non adeò magnus terrarum tractus, nec integra regio concuti ſimul, & quaſſari ſoleat; De qua quidem differentia, quia eſt cauſa alterius magnæ differentiæ, ideſt diſſenſionis, quæ tolli penitus debet, in proximo agam Capitulo. Sed antequàm huic finem imponam, quoniam ſuprà conflagrationem Veſuuij fulmini comparaui, inter quæ ambo manifeſta eſt affinitas, ſummaq. congruentia, & quia etiam à tali comparatione, eiuſdem Veſuuianæ flagrationis naturæ lux non parua mutuabitur; idcircò non abs re fore duco, ſi & hoc in loco potiores, magiſq. conſpicuæ fulminum differentiæ adſcribantur. Traduntur itaq. præ alijs à Seneca 2. quæſt. Natur. cap.4. & à Plinio lib.2. cap.43. & 50. fulminum ipſorum diſcrimina; ſed Seneca ipſe tria tantùm genera ponit, quod terebrat, quod diſcutit, & quod vrit; Quòd terebrat, nimium eſt ſubtile, & flammeum, quod diſſipat, valdè eſt conglobatum; Quod vrit, magis igneum eſt, quàm flammeum. Quæ duæ poſtremæ ſpecies in igne Veſuuiano clarè nimis animaduerſæ, misereq. perſentitæ fuerunt, dum alternatim ignei globi denſiſſimi confertim erumpebant; interdum verò ignis non adeò conglomeratus, ſed igneam magis, flammeamq. referens ſubſtantiam rariorem, coruſcabat. Vnde propterea conquaſſatio, & diſſipatio Oppidorum, Villarum, & Hoſpitiorum in monte conſiſtentium, velut molium terræ, magnorumq. ſaxorum intrà voraginem, extrà ſyluarum magnarum, & ædificiorum multorum, ignea vi in obuia quæque deſæuiente, dedolatio, in vicinum mare protelatio, atque etiam combuſtio: Ex qua tam immenſa cinerum congeries orta eſt, vt non ſolùm Campaniam, ſed alias etiam Prouincias ab eo tractu altè nimis, lateq. repleuerit. Cuius tamen cineris cumulatio magna ex parte ſenſim, ac tempore collecta creditur, licèt nunc præſentis incendij

A magnitudine, ac dilatatione.

Varię fulminum differentię.

Quæ cum igne Veſuuiano conueniunt.

Cinerũ tanta copia nunc erupta, tempore cumulata.

occasione erupta primùm fit. Neque enim verisimile est statim ab initio conflagrationis tantam cineris molem, tantamq. copiam ex varijs intra montis hiatus combustis materijs gigni tunc potuisse, vel si mons totus exustus in puluerem resolutus fuisset, sed potius credibile est, hoc in casu illud euenisse, quod de morborum generatione in lib. de Vict.rat.affirmat Hippocrates. *Morbi paulatim collecti aceruatim apparent*. Quamobrem, vt fulmen è nubibus expressum ab eo percussis, ità hæc Vesuuiana flagratio ab ea inflammatis magnas ignium notas impressit. Vtrobique enim verum esse obseruo, quod de fulminibus tantùm aeris scripsit Lucretius lib. 6. demonstrans fulmen natura esse ignea, ex eo, quòd loca fulmine tacta odorem Sulphuris mittant, & quod atra sint, quasi calore exusta.

Morborum generationis similitudine.

Fulmina Vesuuij, sicut aeris, vnde ignea natura constare elicitur.

Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
Signa, notæq. graueis halantes sulphuris auras;
Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris.
Præterea per se accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.

Aliam proponit Plinius cit. loc. fulminum duplicem distributionem, sed illam, qua eadem diuidit in bruta, & vana, quòd nulla eueniant naturæ ratione, sicut & quæ fatidica vocat, omninò relinquo, quòd superstitionem quandam potiùs oleant, quam Philosophiam, è cuius arcanis fulminum omnium discrimina, & causæ depromuntur: Qui sanè Auctor in altera distributione Physicis principijs adhæret magis, cùm tradit, quòd inter fulmina alia sicca sunt, alia humida, hoc est minus sicca, & alia clara, subdens; quæ sicca, non adurere, sed dissipare, quæ humida non vrere, sed infuscare, vel atrore inficere; clara mirificæ esse naturæ; quibus dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nulloq. alio vestigio relicto. De qua fulminum vi Lucretius loco nuperrimè adducto illis in versibus.

Fulminum distributio apud Plinium quę probata, & quę non.

De peculiari vi, aut effectu fulminis.

Transit enim validè fulmen per septa domorum

Clamor

Clamor vti, ac voces: transit per saxa, per æra,
Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum
Curat item, vt vasis integris vina repentè
Diffugiant, quia nimirum facilè omnia circùm
Conlaxat, rarèq. facit, lateramina vasi
Adueniens calor eius.

Et non valdè pòst, quædam alia ponit de fulminum effectis, quæ cum præsentibus Vesuuianis fulminibus miram habent congruentiam.

Alij eiusdem effectus, qui cum hodiernis in Vesuuio editis mire conueniunt.

Nunc, ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, vt possint ictu discludere turres,
Disturbare domos, auellere tigna, trabesq.
Et monumenta virum demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim.

Postremò illud omittendum de fulminibus non est, quòd crebriora, & vehementiora solent esse circà Ver, & Autumnum, quemadmodum & in ijs regionibus, quæ semper ferè quodammodo vernant, vel autumnant; vt in Italia, maximè ab hoc nostro Meridiano aspectu, quo Roma, & Neapolis fruuntur: Vnde pariter constat Vesuuium aliàs quidem arsisse, sed nunquàm vehementiùs, vt ex veterum Scriptorum monumentis colligitur, quàm Titi Vespasiani ætate, & hac nostra, idq. sub Autumnum, qui apud nos in primis non modò ab ortu Arcturi ad occasum vsque Pleiadum, vt ex Hipp. Medici determinant, sed etiam vlteriùs ad Solstitium vsque, & Capricorni signum perdurans, imò, brumali sæpè occultato algore, per totam Hyemem, ad vsque Ver, qualitatum vernarum particeps, pertingit, vt & hoc anno, cùm iam Februarius mensis orbem suum percurrerit, tepente aere potiùs, quàm secùs, prętterquàm postremis hisce diebus, quibus rigiditatis notas prębet quàm manifestas. Ex quo patet fulminum differentia illa, quæ à tempore depromitur, cui succedit alia à motu, quoniam fulmen descendit motu valde irregulari, eo quòd ipsum præcedat, & subsequatur halitus, & flatus conglobatus,

Fulmina circa Ver, & Autumnum, & in nostra hac regione crebriora sunt quàm alibi.

Autumni initium, & finis.

Differentiæ fulminum à motu irregulari, & ab odore cum quibus Vesuuiana congruunt.

batus, quo mediante in varias partes resilit, auctore Alber. tract. de Fulm. cap. 21. ità quippè & terrena hæc flagratio antè, & pòst, ingentes halituum, ac exhalationum globos consociatos habuit, præ crassitie, atritate, & impertita clade palàm manifestos, sicut denique alia ex odore nuper cum Lucretio notata, quoniam exhalant non raró fulmina odorem sulphureum, quòd exhalatio, in qua ardent, multum obtineat sulphureæ substantiæ, quippe vt in terræ visceribus Sulphur gignitur, sic & in aére, nisi quis malit, talis odoris causam esse, quòd spiratio ipsa è sulphurea terra euocata natiuum solum redoleat. Quo tetro odore nunc totius ferè Campaniæ accolæ molestantur.

Vtrùm Terræmotus spatium loci vltrà CC. milliaria non occupet, vt est apud Senecam; An idem possit naturaliter vniuersalis esse, & an, Christo Domino in Cruce pendente, factus totum Orbem terrarum simul affecerit, sicut & Solis deliquium, aduersùs Origenem, & Erasmum. Vbi Cleomedis etiam & Plinij opiniones de Lunæ, ac Terræ corporum magnitudine minimè approbantur, vera in medium allata ex probatissimis Astronomis, ac Mathematicis. Et quamobrem Diluuium vniuersale, & super omnem terram, iuxtà naturæ ordinem, causasq; excitari non possit.



CAP.

CAP. XIII.

LICEAT mihi quæso per te, pie vnà ac erudite Lector, occasione antè notatæ differentiæ Terræ motuum à magnitudine, aut latitudine potiùs eorum prodeuntis, ad pensum ducere, vtrùm Terræ motus in longissimum Orbis terrarum spatium extendi, imò totius Terræ ambitum conquassare simul possit, An solummodò intrà limitem eidem à Seneca, alijsq. Philosophis præfixũ. Quippè sunt negantes in Terræ motu amplum terræ spatium, integramq. regionem posse concuti, quòd fortè probabile non videatur, cauernas subterraneas, quibus diffluunt spiritus, permeantq. venti, ac exhalationes, vastas adeò esse, atque continuas, &, (quod magis placet) tàm magna exhalationũ copiã vno in loco colligi, vt vim suam tàm longè, lateq. & quoquouersum simul diffundere valeat. Alij verò oppositum tuentur sola historiarum, & exemplorum basi suffulti. De primorum censu Seneca est, qui lib. *6*. cap. 15. Quæst. Natur. tradit, nullum vnquam fuisse inuentum terræ motum (si Sancti Pauli familiaribus colloquijs eam præstitisset fidem, quam S. Dionysius Areopagita, ità sanè non scripsisset) qui ducenta excesserit milliaria. Contrà quam assertionem pugnat recens obseruatio, qua constat, multa Oppida, multasq. Vrbes, & varia montosa loca, atque etiam campestria longiori interstitio, quàm dicat Seneca, à Vesuuio distantia contremuisse, vt litteris huc scriptis non pauci me commonuere. Anconitani, Camertes, & Perusini bombos tantùm se audijsse testantur, sed Piceni, Spoletini, & Narnenses eodemmet tempore, quo Mons Vesuuius, & Neapolitana Vrbs ei proxima contremebant, ipsi etiam terræ motuum illorum vim se ægrè tulisse narrant. Quinimò sunt, qui affirmant cum Orosio lib. 7. hist. cap. 32. Valentino imperante, terræ motum

De magnitudine, & dilatatione terræ motus opinio duplex.

Altera eorũ, qui negant amplum terræ spatium, seu integram regionem occupare posse, & cur.

Altera prorsus opposita ex Historicorum auctoritate.

Prima ex Seneca.

Cõtrà quem stat hodierna obseruatio.

Exemplum apud Orosiũ.

motum per vniuersum orbem editum, qui similiter turbatum pelagus vsque adeò excussit, vt per vicina terrarum loca campestria, refusa aqua, multæ Insularum Vrbes subruisse nunciarentur. Ita, Iuliano Apostata defuncto, Orbis totius motus fuit, quo maria egressa sunt terminos suos, vt rursùm Deus quasi Diluuium minaretur, nauigijs ad montium prærupta dilapsis pendentibus, auctore D.Hieronymo in vita S. Hilarionis, & Ammiano Marcellino lib.26. Sic tempore Pipini, in Italia, Gallia, & Germania, eodem simul tempore factus est terræ motus multis Vrbibus perniciosus, nec non ætate Caroli Magni, circà ann. DCCCIII. velut Theodosio regnante ad ann. CCCCXXXII. in multis mundi regionibus; quo innumera ædificia, altæ turres, Vrbes, ac Villæ pessundatæ fuere, exsucta flumina vetustiora, & noua pullulata, valles ad montium cacumina ascendisse, & hæc ad imas vallium cauernas descēdisse scribitur, piscesq́.emortuos ad littora infinito numero reiectatos, & Insulas multas superexundantibus aquis obrutas, sepultasq́. fuisse. Quare ergò terræ motus, qui, Christo Domino in Cruce pendente, factus est, intra Iudeæ terminos coarctandus, velut & Solis defectus, vt de hoc perperàm, post Origenem tract.35. in Matth. autumauit Erasmus? An non per se clarus est Matthæi Euangelistæ sermo cap.27. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt?* Cur amabò, si è Cælo datum vniuersale signū fuit, ad Creatoris Dei humanati mortem deploratam attestandam, non etiam tale extitisse dicendum, quod editum fuit è terra? dum pro salute omnium habitantium in ea Redemptoris spiritus efflatus intra eiusdem viscera, & barathra se vltrò, volensq́. recepit, ad liberandas è Limbo captiuas Animas Sanctorum Patrum, qui à tot seculis aduentum eius expectabant? Profectò tunc temporis accidens magis mirum, magisuè portentosum euenire minimè potuit, quia tota Mundi moles succussa, & quaqua versum vibrata, significauit apertè nobis spiritualem Mundum magnam

Aliud apud S.Hieron. & Amm. Marcell.

Alia ex alijs.

Qui Christo D. moriente factus est terræmotus vniuersalis fuit, sicut & Eclipsis.

Testimonio Euangelistarum.

Cur Deus vniuersalem cùm terræ motum, tum Eclipsim esse voluit.

magnam per id tempus ſubire mutationem, ab infelici æternæ mortis infortunio ad fauſtiſſimum Animarum ſalutis ſtatum tranſmigrando. Vnde credere par eſt, aut totam terram, aut maximam ſanè eius partem, moriente Domino, ab imo ad ſummum fuiſſe concuſſam, multis quoque hac terræ motione proſtratis Vrbibus, in Aſia præſertim, atque Bithynia; cuius excidij meminere quàmplures, & præcipuè Euſebius in Chronico, auctoritate Phlegontis Hiſtorici Græci, & Ethnici, de quo mentionem facit Suidas: Qui Phlegon lib. 14. Olymp. teſtatur, eodem anno, & eadem diei hora tum incredibilem Eclipſim, tum ingentem terræ motum fuiſſe, vt plura ædificia in Aſia diſiecta ſint. De quo terræ motu loquutus eſt etiam Plinius lib. 2. cap. 84. illis in verbis. *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæſaris principatu, duodecim Vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.* Nam cum mors Chriſti inciderit in annum xviij. Tiberij, alius profectò terræ motus à Plinio minimè potuit ſignificari, quàm qui, moriente Chriſto, inuaſit, tacito tamen ſacroſancto eius nomine, propter cauſam infrà ex Budæo afferendam. Quem pariter terræ motum memorant D. Auguſtinus lib. de Mirab. diu. ſcript. & Beda Natalis apud Sixtum Bibliothecarium Sanct. lib. 6. annotat. 124. Quod verò Solis deliquium, Eclipſiſuè facta in Domini Paſſione vniuerſum terræ Orbem atrore infuſcauerit, nulli debet eſſe dubium, ex verbis Euangeliſtæ, clarè nimis & apertè id atteſtantis, cùm ait: *Ab hora autem ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque in horam nonam.* Quorum verborum ſenſus ab Eraſmo, poſt Origenem, interpretandus non erat de vno Iudæorum territorio, hac ſolùm permoto ratione, quoniam, ſi de toto terrarum Orbe intelligenda forent, vt vbique locorum tenebroſa veluti nox ingruiſſet, nulli veriſimile eſt, quin Ethnicus ſcriptor aliquis, præter Euangeliſtas, tantum miraculum monumentis mandaſſet. Quod aſſertum, quæ Eraſmi oſcitantia abundè ſatis

Teſtimonio Euſebij, & Phlegontis antiquiſſimi, & Ethnici Hiſtorici.

Plinij.

D. Auguſtini, & Bedæ Natalis.

Euangeliſtæ ſermo non erat coarctãdus ab Eraſmo intrà Iudææ terminos.

Eiuſdem Eraſmi oſcitantia.

Phlegon scriptor Olymp. fuit Asiaticus, & Augusti libertus, ac minimè Christianus.

refellitur ex eo, quòd Phlegon citatus Asiaticus, Trallianus, Historicus illius sæculi, Augustiq. libertus, & à Christi fide, tunc extrà Iudæam vix cognita, aut recepta alienus, scribit Anno Tiberij xviij. Eclipsim maiorem extitisse, quàm aliàs vnquam fuerit. Cuius similiter meminit testis oculatus S. Dionysius Areopagita ad Polycarpum Pontificem, quem locum quoties lego, toties è meis oculis lacrymæ exeunt, & cuius Sancti Viri testimonium esse debebat Erasmo instar omnium, quo nimirùm constat, extrà omnem astrorum rationem tantum euentum repentè apparuisse, quòd plenilunium esset, (quo tempore Iudæi Paschæ festum celebrant) quo impossibile est solem eclipsari. Heliopolis autem, in qua tunc aderant S. Dionysius, & Apollophanes, Ciuitas est Aegypti. Addo quòd tam magnum, tamq. admirabile accidens vel Romani illi Ethnici pro cognito habuere, scriptum seruantes in Annalibus, sed euulgari vetantes, ne fortè Cælum doluisse Christi, Viri diuini, mortem putaretur, liuore, & inuidia perciti; quam iniquitatem detestatur, simulq. exaratæ rei fidem facit Tertullianus in Apologetico, cuius verba hùc afferre decreui, ad infringendam aduersariorum peruicaciam, præterquàm quod Lectori verè Christiano non iniucunda fore certò scio. *Nam spiritum cum verbo spontè dimisit (Christus) præuento carnificis officio; eodem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est; Deliquium itaque putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum nescierunt, & tamen eum mundi casum relatum in Archiuis vestris habetis.* Et exiguò post. *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciauit.* Huiusmodi autem Eclipsim euulgari minimè permissum fuisse meritò conqueritur Budæus de Asse lib. 4. per hæc verba. *Solis deliquium (moriente Christo) Plinius ignorare non potuit* (hìc attende Plinij verba, quæ paulò suprà retuli, de terræ motu, tempore Tiberij, quo etiam Eclipsis fuit) *si in Archiuis*

Testimonio S. Dionysij Areopagitæ.

Plenilunij tēpore, quo Christus D. obijt, iuxtà astrorum rationem, Sol eclipsari non potuit.

Tantum miraculum Romani in Annalib. scriptū habebant.

Cur euulgari vetabant.

Tertulliani auctoritate.

Budæi.

Roma-

Romanis perſcriptum fuit; vt qui Acta Romana diligenter percenſuiſſe intelligatur; Sed Plinius id dicere noluit, quod occultum Principes eſſe volebant; Parùm enim plauſibile dogma Chriſti apud homines ſuperbos, & voluptuarios eſſe oportuit, quod elatos animos, & corpora ſibi indulgentia maximè execratur. Quid Eraſmus ad hæc? An & ipſe vlteriùs forſitan obtrudet, quod etiam Origenes, à quo ſuam hanc (ni fallor) hauſit opinionem? Videlicet Solem integrum deficere nunquam poſſe, quòd Luna, cuius interpoſitione radij ſolares impediuntur, ſit Sole longè minor, ideoq. talem Eclipſim toti Orbi communicari non potuiſſe, ſed Iudææ ſolùm, aut etiam regionibus prope ſitis, inter quas pro Eraſmo Aegyptum pariter aliquis collocabit? Quæ obiectio ab altiori pendet principio, quàm prima facie appareat, nimirum, An Lunæ corpus magnitudine antecellat terræ ſimul, & aquæ orbem, an huic æquale, an minus exiſtat. Super qua re varij varia cenſent, ſed non eſt hic de ea latiùs diſſerendi locus. Ideò ſolùm referam, quidnam de illa cenſeant Cleomedes, & Plin. quoniam amborum opiniones ad rem hanc quoquo pacto ſpectare videntur. Cleomedes ergò ſcriptis mandauit, in Eclipſi Solis fuiſſe obſeruatum Alexandriæ lumen eius penitùs non obſcurari, contrà ac eueniat in Heleſponto; quod non contingeret, inquit ipſe, ſi magnitudo terræ non foret valdè amplior magnitudine Lunæ. Quandoquidem ſi in decem millibus ſtadijs tantùm ineſt diſcriminis, ſequitur, non multum terræ ſpatium à Luna infuſcari. At ſi Luna foret eiuſdem cum terra corpulentiæ, aut ea maioris, neceſſe eſſet, vt magna admodum terræ quantitas obtenebraretur à Luna, dum ſe Soli ſubijcit. Et tamen, vt idem notat, terræ partes inueniuntur, quibus totus, & integer Sol affulget, licet interim quibuſdam locis alijs prorſus adimatur. Quæ opinio tanquam falſiſſima omittitur. Plinij verò alia fuit, quòd Luna, & Terra ęqua lem obtineant magnitudinem, per illa verba lib. 2. c. 11. *Nō*

Eraſmi obiectio apud Origenem legitur.

Refellitur obiectio Eraſmi.

De Lunæ, ac Terræ corporum magnitudine, in qua Cleomedis opinio non approbatur.

Vt nec Plinij.

possset quippe totus Sol adimi terris, intercedēte Luna, si terra maior esset, quàm Luna. Quæ similiter opinio tāquam veræ sētentię mox referēdę cōtraria, falsitatis cōuincitur. Quippe recentiores Astronomi Ptolemæi præceptis adhærentes concludunt, Lunæ diametrū lunari dimetiente apprimè esse minorem. Cum enim interposita inter Solem, & Lunam ipsam, terra talem vmbram iaculet, quæ pyramidalem, seu potiùs conicam formam æmulatur, necesse profectò est, Lunæ diametrum minorem esse terrestri, vt fidem faciunt, præ alijs, Clauius, ac Tyco, ille quidem ad cap. 1. Sphęræ, hic verò lib. 1. Progymnasm. obseruantes præterea indubitatis experimentis, terrestrem diametrum excedere Lunarem in tripla maiori proportione, & minutijs. At his prætermissis, ad Origenem, & Erasmum reuertor, quorum obiectioni ità satisfaciendum esse puto, nempè illum Solis defectum prouenisse partim, vt est apud eundem Sanctum Dionysium Epistola citata, ex corporis Lunaris (extrà tamen naturæ ordinem, quia tunc Soli erat Luna opposita) interpositione, partim etiam, quia Sol radios suos cohibuit, denegante scilicèt Deo generalem concursum, ne communicare eos posset. Nec rursùm quis instet: Ad quid ergò Lunæ interuentu opus fuit? Quia (dixerim) vt ità Cæli de morte Christi testimonium manifestius, ac illustrius esset, resq. etiam sensu carentes sui quasi doloris conspicuam significationem toti terrarum Orbi præberent; vnde Petrarcha.

Eclipsis illa partim ex corporis Lunaris interpositione, partim ex generali à Deo negato concursu effecta.

Alterius instantiæ persolutio.

Era il giorno, ch'al Sol si scoloraro
Per la pietà del suo Fattor i rai.

Super qua re legatur D. Thomas 3. 1. quæst. 44. art. 2. Vbi multa ponit miracula, quæ in istius modi Eclipsi interuenere. Conclusio itaque sit hæc: Terræ motum ordinariè aliquas tātùm terræ partes cōquassare, longinquiùs adhùc aliquando, quàm tradit Seneca, sed non totius Mundi spatium, ob allatas superiùs rationes, nisi occultam aliquam ex Deo causam obtineat, cuiusmodi terræ motus fuit in

Conclusio.

Christi

Christi morte excitatus, diuina penitus virtute, de quo Didymus grauissimus sanè Auctor sic loquitur. *Terræ motus sæpè fiunt in terris; Verùm qui antè, vel pòst Christum extiterunt, partem quandam terræ occuparunt, mei autem Christi tempore, non priuatus fuit aliquis terræ motus, sed tota ipsa terra conquassata est, & centro conuulsa.* Hæc ille in Catena super Iob è quatuor, & viginti Græciæ Doctoribus conflata ad cap. 9. Sed quid tandem ad alios, quos retuli, vniuersales terræ motus respondebitur? Aut ex diuina & ipsos voluntate, extrà naturæ ordinem, contigisse, aut vniuersales quidem extitisse, & per omnem Orbis terram peruagatos, sed non eodem momento vbique, imò temporis, & horarum successu, modò hanc, modò illam occupasse regionem. Quæ tantæ rei difficultas, vt clariùs adhùc, quantum ingenioli mei vires assequi valent, persoluatur, dicendum puto, adeò vniuersalem minimè edi posse terræ motum, vt totũ Orbem, imò solam integram regionem peruadat, & ad multò plura, quàm sint suprà significata, milliaria dilatari queat, quoniam, cùm fiat ab exhalationibus subleuatis à calore intrà terræ viscera existente, & à Sole etiam illùc, si non proprijs radijs, vi saltem luminis penetrante; exhalationes omnes è suis sedibus abeuntes, in vnum colliguntur locum, & vnicum sequuntur principium, seu priorem illam portionem, quæ iam moueri cœpta est; vnde in vnam se recipientes partem, nequeunt non alteram derelinquere; præter quàm quòd, Sol tantam vim non obtinet intrà terræ latebras, vbi aquarum multarum, & terræ ipsi indita frigiditas contrario nisu obsistit, vt spiritus, aut exhalationes vniuersim per totam terram euocare valeat, præsertim cum nec eadem tota æquè sit ad id disposita, multis obnoxia impedimentis, tantam spirituum copiam liberè permeare prohibentibus, ne ad omnes terræ partes intimiores diffluat, licet hoc in eius determinato loco insigniter magis contingere possit, quàm in alio, quòd nimirum in illa

Didymi testimoniũ de terræ motu in Passione D. facto.

Responsio ad aliam obiectionem.

Sententia Auctoris quamobrem terræ motus vsque adeò extensus, & magnus fieri non possit.

illa speciali parte, tota cœperit exhalationum moles dimoueri, alijq́. proximi spiritus vnà illò aduenerint, cæterorum impetum subsecuturi; vbi, velut collectis viribus, &, præ antiperistasi orta ex aquarum, ac terræ frigore obluctante, valentiorem adepti virtutem, ac energiam, impetuosiori motu ibidem cientur, quàm alia in parte. Nec est, quòd aliquis obijciat, terræ corpus continuum esse, ideoq́. ad motum vnius partis eius, sequi solere motum totius; quippe continuum definitur, cuius motus est vnus, terra autem continua cùm sit, si vna pars mouetur, ergò tota. Vnde si terræmotus in vno fit loco, cur non similiter in alijs? Et ex consequenti, cur non fiet vniuersalis? Ita in medica disciplina dicebam nuper, dum agerem in Scholis de iecoris Inflammatione, licèt de Galeni mente 5. de loc. aff. 7. hæc gignatur duntaxat, vel in sima, seu caua illius visceris parte, vel in conuexa, seu gibba, attamen, eodem auctore, in neutra parte inflammationem exquisitè distinctam posse consistere, vt altera libera, & eiusdem mali immunis prorsùs conseruetur, quoniam scilicet iecoris caro in cunctis partibus continua est, adeò vt necesse sit, eas quoquo modo tam in hoc, quàm in alijs affectibus, sibi mutuò conuenire. Iuxtà quem sensum scribit idem Gal. 13. Meth. 14. caua hepatis parte Phlegmone laborante, protinus fore necessarium, vt simul venæ, quæ sunt in mesenterio inflammentur, quòd illæ omnes continuatæ sint cum ea vena, quæ ad portam spectat. Dixerim ergò ad obiectionem de continuitate partium terræ, videri quidem, & sensui nostro apparere terram continuam, sed potiùs contiguam esse, quàm verè continuam, quia in ea multæ sunt diuisiones, pluraue interstitia, aut multæ dehiscentiæ, propter rupes, flumina, & magnas saxorum moles, quæ omnia terram haud exactè continuam reddunt. Sed nec esset inconueniens, quòd immane corpus, cuiusmodi terra est, etiam continuum, posset aliqua in parte moueri, & non in omnibus, & sic partim moueri, & partim quie-

Terrę corpus continuũ ne sit, an contiguum potius.

Comparatio ex re medica.

Cur in hepatis inflammatione, seu gibbam, seu cauam tantũ illius visceris partem occupãte, vtrobique tamen læsio persentitur.

Terram, tametsi continuam, posse secũdũm aliquam sui partem moueri, & secundùm alias quiescere.

quieſcere: Id quod exemplo ſatis accommodato demonſtrare licet; Quippe ſi lapidem in mediam aquam, quæ & ipſa corpus eſt continuum, imò adhuc magis continuum, quàm terra, proijciamus, aquam inde moueri videmus, oririq. circulos, qui per aliquod breue, ac determinatum ſpatium circumaguntur, ſed non per vniuerſam illam aquam, & vndequaque; quod eò magis de terra aſſerendum, quò, non, vt aqua, exactè continua, ſed potiùs, vt dicebam, contigua eſt. Quare terræ motus raró excedunt loci ſpatium CC. milliar. plus minuſuè, etiam ſi vno eodemq. tempore edi poſſint multis in locis ab inuicem diſtinctis, veluti affirmandum eſt de terræ motibus vniuerſalioribus ſuprà recenſitis, illo excepto, qui in toto terrarum Orbe factus fuit, Chriſto Domino in Cruce moriente. Illuſtrabitur id totum exemplo Diluuij, & immenſæ ſiccitatis, quæ ambo κατὰ φύσιν vniuerſalia eſſe non poſſunt, nec totum ſimul Orbem occupare, ac lædere. Quandoquidem, copiosè nimis tunc gignuntur pluuiæ, cùm vniuerſa vaporum congeries in vno colligitur loco, è quo in aqueum humorem iam conuerſa deſcendit, & cadit; ſiccitates verò, quando omnes ſimiliter exhalationes rediguntur in vnum, & vnum ſequuntur principium; ſed hoc vniuersè fieri non poteſt, quia cum accidentia hæc efficiantur à Sole, qui per obliquum Zodiaci circulum mouetur, virtutem ſuam in exceſſu æqualiter in omnes terræ partes effundere nequit, quoniam, dum plagas, quas nos incolimus, ſummopere calefacit, vti cùm Tropico Cancri in æſtate proximus eſt, in plaga noſtræ oppoſita, quam Indi inhabitant Occidentales, eodem tẽpore erit in Tropico Capricorni; & proinde, ſi apud nos tãquam præſens vim habebit idoneam ad maximam inducendam ſiccitatem, profectò idem apud Indos illos præſtare non valebit, ob ſui abſentiam; quinimò in noſtris partibus aderunt ſiccitates, & exhalationes, in illis verò humiditates, & vapores. Siquidem ab agente diuerſimodè alterato neceſſariò diuerſi

Quare Diluuium, & Siccitates vniuerſaliter per totũ Orbem ex ſola naturæ potentia fieri haud poſſint.

pro-

produntur effectus; vnde nunquam, vel pluuias cadere, vel ſiccitates oriri vniuersè per totum Orbem conſtat; Quod ſi vtraque olim, & maximè Diluuium in Mundo accidiſſe obijciatur, nemo inficias ibit, miraculoſum illud fuiſſe, & ſolo Dei nutu excitatum, ad omnipotentem ſuam iuſtitiam propalandam in pœnam delictorum, quando omnis caro corruperat viam ſuam. Nec inde quiſpiam deducat, quòd terræmotus etiam miraculũ ſit, quoniam hic ſimpliciter ſumptus miraculũ nõ eſt, cũ miraculum ſit effectus admirandus, immediatè à Deo productus, cuius originis ratio abſolutè omnibus denegatur, qualis eſt mortuorũ ad vitam reuocatio, cæcorum illuminatio, & huius cenſus alia, ſed terræ motus à phyſicis cauſis hominibus manifeſtis progignitur; Ergò miraculum non eſt. Verùm cur non idem effertur de Diluuio Noe, cum naturales adduci poſſint cauſæ pluuiarum illarum, & inundationum, quæ editiſſimos montes vltrà duodecim cubita ſupergreſſæ fuerunt? A quibus omnes obruti, ac prefocati ſunt, præter eos, qui vnà cum Noe in Arca, iuſſu Dei, ſalui, & incolumes perſtiterunt? Quoniam, dum ponimus tremorem terræ opus naturæ, nullum inde manat inconueniens, ſed ſi demus vniuerſale Diluuiũ ſuper omnem terram à cauſis naturalibus productum, multa inde ſequentur omnem naturæ ordinem excedentia. Nam ſi aqua, de quorundam ſententia, minor eſt terra, vel potiùs, vt alij contendunt, maior, & ab vniuerſali Diluuio naturaliter genito omnis operiretur terræ globus, quomodo non ſuper excederet aqua terram, cooperiens eam maximè, vel ſuprà editiſſimorum montium cacumina, verſuſq. Sphæræ peripheriam, vbi amplius valde ſpatium eſt, quàm ſit centrum verſus? At hoc ſi contingat, quomodo elementa ad inuicem, ac inter ſeſe naturalem ſeruabunt proportionem quantitatis, quæ agendi, ac reſiſtendi potentiæ correſpondeat? Inſuper, ſi tanta aquarum copia de cælo lapſa conceditur, vnde nam obſecrò prius hauſta? Non è mari, vt nec è terra,

Terræ motus cur miraculũ dici non poſſit.

Miraculum quid.

Diluuiũ Noe cur non potuit naturale tantùm eſſe.

quo-

quoniam vtraque hæc elementa ſimul nequeunt adeò magnã parere quantitatẽ,vt inde formari poſſit corpus,quod ad culmen pertingat cuiuſuis parui collis, nedum ſublimis montis. Non ex aere, nec igne, quia, ſi ambo tota mutarentur in aquam, aut nec ipſa tantam poſſent efficere quantitatem, aut ſanè deſinerent eſſe elementa, nec vllo pacto conſeruaretur illa proportio, quam inter ſe habent ad vniuerſi perpetuitatem. Ad hæc,ſi vniuerſale accederet Diluuium, quomodo, & in quodnam tam immenſa aquæ moles reſolueretur? A quonam calore in altum ſubleuaretur, qui mox eandem rurſus in terram cadere non ſineret? Quippe illa, quæ tempore Noe è Cæli cataractis demiſſa fuit,ad generale formandum Diluuiũ, quod partes Mundi omnes tam ſub Arctico, quàm Antarctico rigauit, in nihilum,Dei iuſſu,redacta fuit, cum eius voluntate, ac omnipotentia miraculosè excitatum fuerit,quemadmodum & terræ motus per vniuerſum Orbem editus in Paſſione Domini,vnà cum Solis Eclipſi tempore facta ſereniſſimo, & quo Luna Soli oppoſita erat; Quare dicamus quòd,ſi Diluuia,& Siccitates, phyſicè loquendo,vniuerſaliter fieri nequeunt, tantò minùs terræ motus, propter rationes, quas hoc ipſo in capite annotaui. Ad alia deſcendamus.

Aliæ differentiæ Terræ motuum, & Incendiorum ab alijs effectis, cum quibus hodie in Veſuuio portentosè edita mirè congruunt: Vbi,quomodo Deus hodie cum Neapolitanis per Cete ad mare, vt olim per Ionam è Cete ventre reiectum Niniuitis locutus fuerit, indicatur. Veſuuiani mali cum Peſte analogia. Poſtmodum inter alia, de naturali animalium inſtinctu

ad impendentia mala præsagienda, deq; mœstis potissimùm Canum vlulatibus per totam Neapolim auditis, differitur, sicut de Auium vaticinio, & Cygnorum maximè ad horam mortis suauissimè canentium, ex mente Platonis, deq; Canum temperamento cum Scaligero, & contrà eundem. Canis Chrysippi Dialectica. Quare iumenta, & Canes facillimè Pestem incurrant, apud Homerum, atque Thucydidem.

CAP. XIV.



ANNOTANDAE præterea occurrunt aliæ Terræ motuum, ac Incendiorum differentiæ, à mirabilibus omninò, & portentosis amborum effectis, hactenùs non exactè scriptis, emergentes, & à varijs Auctoribus, post Aristotelem, monumentis traditæ, vt à Plinio lib.2. cap.80. Senec.lib.6. Quæst.Natur.cap.29.& Alber.vbi de Terræm. cap. 17. & 18. Quarum bona pars hodie in Vesuuij motu, & flagrore visa, & obseruata manifestè fuit. Quas equidem nunc scribere constitui, vt tanta cesset admiratio eorum accidentium, aut euentuum, qui nuper contigerunt. Primus itaque Terræ motuum effectus est hominum formido, quam animis eorum, si quod aliud inijcit vnusquilibet è sonis illos concomitari solitis, mugitus, clamor, fragor, murmur, fremitus, & vlulatus, quem subindè metum auget tectorũ crepitus, parietum nutatio, ruptis compagibus dehiscens solum, horror subitæ mortis, præsertim si vnà adsit conflagratio, & ignitorum globorũ emissio. Quibus olim, vt alibi dictũ, Deus in Monte Synai daturus per Moysen Hebræis legem, in officio populũ illũ continuit, ne à Moyse deficeret, legisq́. obseruationem con-

Primus terræ motuum effectus.

Vnde nam metus, & formido tempore terræ motuum.

Quare Deus in Monte Synai tonitrua, & fulgetras oriri fecerit, Moyse præsente.

contemneret, vt patet Exod.cap.19. & Deuteron. cap.4. Qui pariter timor generosos alioquin illos Ethnicos Romanos, tempore Titi, hoc eodem monte tremente, atque flagrante, valdè anxios, & sollicitos tenuit, vt cùm alia alibi exarata grauiora mala extimescerent, tùm verò in primis Orbem terræ igni tunc consumendum fore. Cum quibus ità censentibus iure meritò hodiè conuenisse videntur Neapolitani, qui, tot horrifica, portentosaq. euenta experientes (præter bella, fames, pestilentias, Oppidorumq. & Vrbium ex terræ motu voragines paucis ante annis non procul ab eorum tractu effectas; quæ cuncta nostra hac tempestate omnis penè Italia miserè sensit) vniuersum Mundum breui per ignem cõburendum, & finiendum esse opinabantur; vt idcircò statim ad cælestia imploranda auxilia confertim mira pietate conuolauerint, cum Dauide Psal.45. ità flebili voce canentes. *Deus noster refugium, & virtus: Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Proptereà non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Quamobrem huiusmodi portentosis signis conterriti, vti Ionæ verbis Niniuitæ, ad quos redarguendos missus fuerat Propheta, agendo pœnitentiam, iram Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt. Quippe Deus solet nobiscum sæpe loqui, absque Vatum, aut Concionatorum articulatis vocibus, seu expressis verbis, vel monitis, sed signis portentosis cùm cælestibus, tum terrenis, cuiusmodi ex huius montis fornacibus hodie edi visa sunt, tanquam per fauces immensas terreni Cete ad mare stantis cum tot horrificis sonis, atque mugitibus, excreata; Vnde quemadmodum marinum Cete Ionam euomuit, cuius prædicatione conuersi Niniuitæ vltimum excidium euasere, sic Vesuuius instar Cete maritimi hodie non hominem, non Prophetam, solis verbis minacibus terrefacientem, sed portentosa, & horribilia euenta, impensè damnosa, & in-

Formido Neapolitanorum vnde nunc genita.

Eorundem pietas, & cur à Deo exauditi, tanquam Niniuitæ.

Deus cum hominibus, vt loqui soleat.

Vesuuius terrestre Cete.

ſtans omnibus vitæ diſcrimen, niſi ſumma Dei benignitas interueniſſet, præmonſtrantia, ex intimis ſuis voraginibus iaculans, Neapolitanam Vrbem ad diuinum adiutorium implorandum compulit, quo mediante ab vlteriori, ſæuioriq. ſtrage, atque flagello immunis denique perſtitit. Quem quidem timorem in Neapolitanorum, & aliorum vicinorum animis binæ præ cæteris cauſæ genuerunt, & auxerunt; altera aſpectus Montis tam horrifici, tamq. vicini, & ob oculos poſiti, quippè qui omnibus, belluæ immanis inſtar, ad eos intrà patentiſſimas fauces deuorandos, velut iamiam appropinquaturus minacibus ſignis varijs ſe proſpectandum exhibebat, vt de eo non incongruè dici poſſit, quod de alia nihilò mitiori fera, quæ nuper tot floridas, & inſignes Italiæ Vrbes aſſulatim dedolauit, Peſtilentia inquam, cecinit Seneca in Oedipo:

Ex proſpectu primùm tam horrifici tàq. vicini Montis ardentis, atque trementis.

Idem quaſi fera immanis.

O dira facies lethi Grauior letho.

Necnon Hetruſca lingua Lucretia Marinella Veneta, quæ fuit Ioannis Marinelli filia, & Curtij ſoror, quorum doctiſſimorum Medicorum multa extant de re medica commentaria;

Terrificaq.

Terribil fuor delle Tartaree porte
Eſce infelice moſtro, horribil fera
Che l'aria pura attoſca, e'l Ciel annera,
C'hà negli occhi, e negli atti horrori, e morte.

Addo quòd mons ignem vomens ianua Orci videbatur, & ab idiotis creditur, vt dicere cum Plauto in Trinummo Neapolitani, imò Campani omnes poſſint:

Acheruntis oſtium.

Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro.

Qua de re infra: altera, quam Canes fermè omnes latrando, & mœſtos emittendo vlulatus afferebant, cuius euentus ratio non adeò ſuperficialis cum aliquibus cenſenda eſt, quòd nimirum Canes ſoleant ad coruſcationes, ad tonitrua, & clangores allatrare, ſed intimior & profundior, quam ego nunc eruere, ac in apertum euocare ſtudebo. Conſtat volucrum genus, Peſtilentia inſtante aerea,

Alia timoris occaſio ex tot mœſtis Canum fermè omnium eiulatibus.

mutare locum, vbi tunc degunt, & in remotas aduolare regiones, vt præsentaneum effugiant vitæ discrimen, quinimò & idem facere traduntur, impendente terræ motu, quia hùc illùc volitare obseruantur sublimiùs, quàm soleant, è terra, quasi in ea pedem sistere dubitantes, tãquam mox contremitura, & collapsura; quo solo signo Anaximenes Philosophus iam iam affuturum terræ motum prædixisse narratur; Ità Gallum scimus temporum mutationes suo cantu præmonstrare, Delphinos tranquillo mari vltrà solitum lasciuientes, impendentem ex qua veniunt parte flatum præsentire, Ranas, & Cornices imbrem futurum, illas in vallibus coaxando, hasce altis in turribus molesto sæpè clangore obstrependo. Sic Thynni à Plutarcho dicuntur sentire Aequinoctia, & Solstitia, ab Aeliano vbicunque Hyemis initio reperiuntur, ibi eos Aequinoctium expectare vernum; sicut apud hunc formicæ in nouilunio minimè egredi, dicuntur, & in plenilunio etiam totas laborare noctes. Id ipsum autem naturali cuidam horum animalium instinctui refertur acceptum, quo instigantur, diriguntur q. ad aliquid operandum, quod internus præstat sensus (phantasiam aliqui dicunt) obijciendo appetitui quid conueniens, aut contrarium sit, & quo mediante, in præsagiendo propiùs, ac certiùs cynosuram collimant, quàm faciat homo, cæteroqui sapientior, prudentior, mentis capacior altæ, ac litterarum plerumque, scientiarumq. omnium particeps; Certitudinem verò maiorem à brutis illis prodi verisimile fit, quoniam huiuscemodi animantia naturali propensione, seu insita à natura proprietate, ab eorundem temperamento, diuina sic disponente prouidentia, manante, facilè omnem quantumlibet leuem, & exiguam in aere factam mutationem, alterationemq. persentiscunt; cuius etiam signum per eos modos exhibent, quos aperire possunt passiones vim animæ sensitiuæ concomitantes; quæ brutæ insuper animantes cùm ratione careant, quæ earum regat phantasmata, vt regit in homine rationali

Volucrum genus, instante Peste aerea, locum mutat, sicut impendente terræmotu.

Variæ animantes, quæ impendentia mala præindicare videntur, & cur.

nali animã prædito, cælestes protinus sequuntur influxus, ac impressiones; & ità ab infallibili illa intelligentia, cunctis census huius communi gubernata, signis aliquot naturalibus rerum quarundam euentus veros manifestant meliùs, quàm homo ipse rationis consilio regi, & persuaderi solitus, & cuius phantasmata ratiocinatio minimè perturbata moderatur, ac dirigit. Vnde Aelianus lib.7. de Animal. postquam duobus capit. annotauit serenitatis prognostica, ac tempestatum, ex diuersis auibus, & quadrupedibus, tandem ad extremum cap.8. ità loquitur. *Homines verò per omnia inferiores sunt, nec priùs tempestatis mutationem, quàm vbi iam contigerit, noscunt*. Verissimum autem puto hac in re esse, quod edisserit D.Thomas 1.par.quæst.86. art.4. bruta tempestatum dare præsagia, & quædam interdum futura prænunciare, non mentis præsensione, alioqui acutior illis, quàm nobis, qui ea minus præsentimus, ratio inesset, sed nimirum quia mentis expertia cùm sint, neque sensum intellectus ministerio occupent, sed temporũ cõditionibus omninò vacent, faciliùs Cæli, & elementorum influxum, atque aduentitias qualitates persentiunt; cumque libertate careant, eis necessariò obtemperant, lætanturq. aut contrahuntur, pro humorum nunc se diffundentium, nunc colligentium varietate, quemadmodum, & affectus, effectusq. alios, secundùm diuersam phantasiæ apprehensionem; hos, verbi gratia, antè serenitatem, illos antè pluuiam exhibent. Quos quia in eis persæpè homines obseruarunt, inde iam futuras temporum mutationes præsagiunt, quas tamen bruta ipsa non præuident. Vnde Plutarchus in lib. de Anim. solertia, tradit, sexcenties sexcenta posse enumerari, quæ à terrestribus, & aereis animalibus nobis voluntate Dei præmonstrantur, atque significantur. Marsil. Ficinus in Argum. ad Phędonem, postquam dixit quòd Cygni fabula Pythagorica est, & allegorica. Pythagorica quidem; vbi dicit Cygni animam superuiuere. Allegoricè verò intelligitur, Cygnum in

Ex doctrina D.Thomæ.

Vaticinium quadruplex apud Marsilium Ficinum. Vbi etiã de vaticinio auiũ, & maximè Cygnorũ, ex Platone.

in numero Solarium animalium contineri,& Socratem ſolarem eſſe, tum quia Phœbi oraculo approbatus eſt, tum quia mentibus hominum medebatur; ſubnectit, vaticinium eſſe quadruplex, diuinum, dęmonicum, humanum, naturale. Idq́. vltimum in beſtijs fieri quodam inſtinctu naturæ. Quippè ſcribit ibidem Plato, Animæ immortalitatem de mente Socratis, qui ea ipſa die à veneni hauſtu moriturus erat, validis argumentis confirmans, Cygnos, quando ſe breui præſentiunt morituros, tunc magis admodum, dulciùſq́. canere, quàm anteà conſueuerint, læti, quòd ad Deũ ſunt, cui ſeruiunt, iam migraturi: Homines verò, cùm ipſi mortem expaueſcant, Cygnos quoque falsò criminari, quòd lugentes mortem, ob dolorem, cantum emittant, neutiquam animaduertentes, nullam eſſe auem, quæ cancantet, quando eſuriat, aut rigeat, aut quouis alio dolore afficiatur. Non ipſa philomela, nec hirundo, nec vpupa, quam ferunt præ mœrore cantare lugentem, vnde concludit: *At mihi neque hæ aues præ dolore videntur canere, neque Cygni: ſed quia Phœbo ſacri ſunt, vt arbitror, diuinatione præditi præſagiunt alterius vitæ bona, ideòq.cantant alacriùs, geſtiuntq. ea die, quàm ſuperiori tempore.* Verùm, ne longè à Canibus diſcedamus, qui commune ſibi, & heris infortunium neſcio quadam commiſeratione, & adumbrata iudicij virtute, latratibus, & męſtis eiulatibus deplorare quodammodo viſi ſunt, non adeò facilè cõceſſerim, temerè penitus, & abſque omni prorſus naturæ ductu, atque monitu, tot ab eis editos vlulatus terrificos, montis vicini mugitus, ſtrepituſq́. varios æmulantes, in maiorem populorũ timorem, mœroremque. Quare, vt non contemnendi euentus rationem venemur, à natura, vel temperamento Canum ipſorum, & genita iiſdem ſagacitate, noſtrum hunc exordiamur ſermonem. Itaque Cæſar Scaliger Exerc.in Card.274. nititur probare Canis temperamentum frigidum & ſiccum eſſe, & frigidum quidem ex eo, quòd nullum animal celeriùs frigeat, aut tremat, nullum

Ratio de Canum vlulatibus, & mœſtis latratibus in hoc Veſuuij motu, & incendio.

Canis temperamentum ex Cæſare Scaligero.

nullum libentiùs apricetur, & quod, vbi Solis æstum perferre nequiuerit, ac paulisper captarit vmbram, continuò redeat ad radios, id quod vel ipso in Solstitio facit. Nam quod facilè inflammetur; id euenire ei scribit Scaliger, propter siccitatem. *Iccirco*, subiungit, *citò senescit Canis; citòq. deponit alacritatem; fitq. melancholicus, ac rabiei æstus capax est*. Quicunque tamen oppositum astruere velit de Canum natura, ex eorum agilitate, & irrequieto ferè, imò velocissimo cursu, ac motu, quæ non absque caloris, & spirituum impellentium copia fieri posse videntur, addo, ex iracundia, & rabiei æstu, cui respondet Phrenitis in homine iuuene, & calidissimo, ex gannitu vocis, quo magna cum hilaritate nos circumire, & adulare solent, & denique ex eorum vigilantia, sagacitate, atque solertia, quorum singulorum exempla narrantur mirabilia prorsus, in contrarium excogitata à Scaligero attribuere posset cruditatibus, quarum multitudine Canum corpora scatent qnantumlibet calida, ob ingluuiem, & indesinentem voracitatem. Vnde & in hominibus aliquãdo, tametsi natura calidis, orta cernitur inexplebilis edendi voluntas, & ex acidis succis supernum ventriculi orificium corrugantibus, quæ Canina dicitur fames. Illæ etenim possunt esse in causa algiditatis, & tremiscentiæ, vt nostro etiam in corpore, citrà vllam febris suspicionem, euenire certò scimus, præter Galeni testimonium, quem frigoris, & rigoris modum non ità cognouit antiquorum Medicorum ætas, qua parciùs homines, & exquisitiùs viuebant. Huiusmodi rigor ῥῖγος ἰσχυρὸν vocatur Hipp. lib. 6. Epid. sect. 1. t. 8. & δυσεκθερμαντον Galeno, quòd nulla febris subsequatur, ideoq. quòd nouũ id esset, ac insolens, præterq. communem morem rigor Epicratis vxorem absque subsequente febre occupasset, adscripsit Hipp. lib. 1. Epid. *rigor vehemens eam occupauit, nec (vt aiebant) incaluit*. Ità pariter non ignoramus, Leones, qui calidissimi sunt, crudas, & aquosas mingere vrinas, rigereq. ac tremere, & sub radijs solaribus non inuitos

Contraria assertio Auctoris.

Quinam rigor tempore antiquorum Medicorum minimè cognitus fuerit.

tos

tos morari, eandem scilicet ob causam. Hinc etiam persæpe obseruantur pueri, & adolescentes temperamento præditi calidiori, & viuidæ admodùm naturæ, voracitati nimis dediti, tentari morbis à mera frigidorum succorum cruditate pendentibus, vt indicant tensiones à flatuoso spiritu in eorum ventre genitæ, inflationes carnium, lotiaq. tenuissima, & alba, quæ omnia illis in ætatibus calidioribus ambo pati consueuerunt. Senescere verò citò solent Canes, ob siccitatem, quam iunctam habent cum calore, cuius illa est continua lima, & ideò naturalem mortem accelerat. Verùm, ne hoc in loco alterã subeamus quæstionẽ ab initio libri agitatam, de duplici temperamento, nempe aut solidarum partium, quod in caloris implantati, & humidi primigenij simmetria consistit, externis alterationibus non ità facilè subiacens, cum sit fixum, & à natura inditum, ideoq. habitus cuiusdam instar, aut spirituum, & humorum influentium à membris principalibus in vniuersum corpus, quod Galenus dispositionem quandam potiùs eorundem cum sanguine vocat 4. acut. t. 1. & idcircò variabile in dies, & ne similiter quis credat, facilitatem ad motum celerem absolutè me adscribere calori, cum & in nostro corpore mobilissimi sint ichores aquei, tenues, natura frigidi, & extrà etiam, Cælum maximè, quod primum mobile vocat Aristot. 8. Phys. t. 84. mobilissimum sit rerum omnium, cum tamen omni prorsus calore careat; vt sileam ventos, qui sine calore tanta mobilitate, tantoq. impetu cientur; demus libenter Scaligero subtilissimo Philosopho & quem ego (inter Ligures natus, si non educatus, in quos tam iniquo animo debacchatus est, cum ei tamen foret notissimum, cuilibet genti non magis suas esse labes, quàm laudes) soleo nouo sæculorum nostrorum Aristoteli comparare, iudicio quoque Heurnij, qui in Modo stud. Med. cap. 4. de eo loquens ait: *Cui meritò inter huius æui Philosophos palmam damus*; Canem esse frigidæ, siccæque naturæ, & ob id quoque melancholicum

Duplex temperamentũ.

Mobilitas nõ semper adscribenda calori.

Idem Scaliger nouo æquiparatur Aristoteli, vel testimonio Heurnij.

Melancholia Lycātrophia dicta.

animal, sicut & Lupum, qui Canis siluester est, ac efferatus; vnde genus quoddam melancholiæ Medici Lycantrophiam nuncupant; præsertim quia in hoc tam Canes, quàm Lupi quandam habere videntur cum terra analogiam, quæ frigida & ipsa est, ac sicca, eiusdemq. naturæ cum melancholia tam morbo, quàm humore, vt quæcunque intra terram fiunt, aut è terra eduntur, Canes maximè omnium terrestrium, quadrupedumue animantium sentiant; imò præsentiant, ac antè patiantur; idq. non eo tantùm nomine, quòd animal sit in terram pronum, & in eandem perpetuò vultu intentum, quippè hoc etiam de ouibus, cæterisq. huiuscemodi verum esse constat, sed quoniam similiter mira sentiendi facultate præditum est, præ qua in eo sagacitas, atque solertia tanta viget, vt vim sibi rationis asciscere, ideſt, humanæ mentis ratiocinationem imitari quodammodo videatur: quæ est D. Ambrosij lib. 6. Hexam. cap. 4. sententia, ad diluendam obiectionem hac in re fieri solitam de Cane Chrysippi Dialecticæ auctoris, ac institutoris egregij, dum scilicet animal hoc Dialecticalia quoquopacto vti solitũ ostendere volebat, qua de re Plutarchus in de Solertia Anim. eo potissimùm argumento, quòd feram persequens, cùm ad triuium peruenit, ibi duas olfactu vestigauit vias, & per eas transijsse feram non deprehendit; tertiam, nihil iam olfaciens, mox arripit, quasi ità secũ differens: Aut fera, quam persequor, in hanc partem deflexit, aut in illam, aut certè in hunc se intulit anfractum; sed nec in istam, nec in illam partem diuertit, hac igitur abierit necesse est; Quæ colligendi sagacitas, vt potè quasi diuisorio vtens syllogismo, artem sapere Dialecticę, nemini è Dialecticis nõ videbitur. Quod argumentũ indicat quidem miram in Cane sentiendi virtutem adesse, præsertim in olfactu, & magnam eius solertiam, cuius gratia non rationem ipsam, sed quandam rationis imitationem præseferre nobis ostendit. De qua re vniuersaliùs, & planiùs edisserens D. Thomas secunda

Mira sentiendi Canum vis, atque sagacitas.

Eorundem Dialectica.

secun-

ſecundæ q.13.artic.2. hæc aliaq. id genus referenda cenſet ad inclinationem, à diuina arte deriuatam, hoc eſt, ad naturalem induſtriam, & inſtinctum, vt ſuprà ego quoque de volucribus, & alijs brutis aſſerebam. Ab eadem itaque cauſa fit, vt Canes, conſtitutione vagante peſtilenti etiam ex aere ſolo, non item è terrenis exhalationibus putridis, atque peſtiferis, quippe tunc, Seneca auctore, oues facillimè talem contrahunt luem, magis quàm cætera bruta terreſtria mortiferæ labis vim perſentiſcant, imò etiam antequam hominibus eiuſmodi clades inferatur, vt non ob id ſoli eorum cum hominibus contubernio hæc infelicitas eſſet à Thucydide attribuenda. Quandoquidem & antè eum Homerus 1.Iliad. Canes primùm, atque Mulos ſenſiſſe vim peſtiferæ luis ab Apolline immiſſæ cecinit:

Quamobrem Canes facillimè Peſtem incurrant, apud Homerum, atque Thucydidem

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς. ideſt,

Multos percuſſit primò, niueamq. Canum vim.

Cuius euentus cauſa dum redditur ab Euſtachio Scohliaſte, noſtri quoque, & præſentis ratio aſſignatur, vt non alia mihi viſa ſit vlteriùs indaganda; Cuius verba ſic Latinè ſonant. *Præcipuè verò Canes, qui puro egent aere, ſenſerunt malum, propter odoratus & ipſi acumen acutè participes facti maleficij, & præcipuè qui erant, vt ait Homerus, argi, ideſt, albi, tanquam alba (vt aiunt) corpora, quia rariora, magis obnoxia damnis ſint, quàm nigra.* Hæc Euſtachius, quibus & alterius Scholiaſtes antiquioris verba adijciamus in Latinum ſic verſa idioma: *Omnis quidem peſtilentia ex inſtammatione fit à terra ſurſum delata ab exhalatione, quare auctorem dicunt Apollinem, quia idem ipſe dicitur eſſe cum Sole, qui terram incendit, cum verò ex terra oriretur morbus, neceſſe fuit Canes primum ſenſiſſe damnum, tum quia & ſenſu acriori prædita ſunt ratione carentia animantia, quàm ſint homines ſuaptè natura, tum prona ſunt ad terram, & per veſtigia indagant odorantes.* Quam cauſam ſimiliter attingit Heraclides Ponticus qui, (vt eſt apud Rhodig.lib.17.cap.28.) putauit

Teſtimonio Euſtachij.

Alterius Scholiaſtes.

Heraclidis Pontici.

iumenta peste infici primùm, quia deiecta in terram, & prona in pastum τοὺς νοσώδεις ἐκεῖθεν ἀτμοὺς trahant procliuius homine, cuius est surrectum corpus, & purius, sublimi inspirato aere. E quibus omnibus non difficulter, vt censeo, quisque colligere potest, quamobrem Canes, in hoc terræ motu, & incendio terræ montis Vesuuij latratus, velut flebiles voces, ac mœstos eiulatus effunderent, imitatione dominorum suorum, cum quibus familiaritatem, & contubernium habebant, naturali quodam instinctu eorundem commiserantes infortunium, eiusdemq. rei signa dantes per vlulatus illos, quasi ploratus, animi mæstitiam, & sensum iniucunditatis attestantes, quippe ait Aristot. 1. Politic. cap. 2. sermonem habere hominem solum omnium animalium, bruta autem vocem, & illum quidem, vt damnum, vtilitatem, iustum, & iniustum sermone ostendat, hæc verò, vt sensum, quem habent iucundi, aut molesti, vocibus exprimere queant; quo similiter affectu, & instinctu naturæ Canes non rarò dominos, & heros suos contubernales ad sepulchra vsque concomitari obseruati sunt, ibiq. se etiam inhumari velle quodammodo significantes, dum mori potius eligunt, quàm inde amoueri permittant, cibum etiam respuentes, cui alioqui tantopere inhiant, propter heri priuationem. Qua de re exempla admiratione digna si quis cupit, adeat præ cæteris, post Plutarchum lib. ante citato, Aelianum, Gesnerum de Quadrupedibus, & Pierium Valerianum in Hieroglyph. in Cane, & nos interim ad rem nostram calamum vertamus. Secundus itaque terræmotus effectus, qui in hac Vesuuiana commotione locum habere posse videtur, est, quando motus non semper concussam terram interscindit, sed ex obliquo eam conquassans, ædificia inclinat, aut deiectis fundamentis solo æquat. Ità enim quinto anno Tiberij multæ Vrbes Asiæ corruerunt, vt videre est apud Cornel. Tacitum lib. 2. Annal. & apud Eusebium in Chron. Sic in eo terræmotu, qui in Pass. Domini, eiusdem Cæsaris Imper.

Sermo hominibus, vox brutis cur data est.

Canum fides ac pietas erga heros.

Secundus effectus terræmotus cùm alijs in locis olim, tũ hodie in Vesuuio obseruatus.

per. anno 18. accidit, Bithynia concussa est, & in Vrbe Nyssena ædes plurimæ dirutæ, vt idem Eusebius testatur, ex Phlegonte Olymp. scriptore, de quo suprà; Sic denique censeo, Vesuuij montis Vrbes, Villas, Oppida, Hospitiaq. hodie diruta, atque disiecta, similem terræ motus modum, & funestam vim perpessa fuisse, licèt eorum nonnulla ex vi cinerum, & varij generis saxorum, aquarumq. ardentium impetu corruerint, vltimumq. exitium experta sint. Tertius terræ motuum effectus miraiblis sanè ille est, quem nolo hoc in loco subticere, quamuis in Vesuuiano terræ motu minimè, quod sciam, fuerit obseruatus, quando interdum terra motu circumducta, & in orbem versata, locum loco mutat, Id quod tunc euenit, cùm subterraneus aliquis turbo terram solidam in contrarias partes vertit, ac torquet, vt contigit olim prope Hierusalem in loco qui dicitur Eroge, vbi dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, per quatuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis Regis vi terræ motus, vt narrat Iosephus Antiq. Iudaicar. lib. 9. cap. 22. nec non supremo Neronis anno, auctore Plinio lib. 2. cap. 83. pratis, oleisq. intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis in agro Marrucino. Quartus est, quando decidens sub mari terra repentina voragine vndas exsorbet, ità vt nec piscibus prope terram natantibus se colligendi, & seruandi facultas concedatur, quemadmodum euenit M. Anton. & P. Dolabella Coss. cùm reciprocus maris fluxus Hostiæ gregem piscium in sicco reliquit. Ità in vltimo Puteolano incendio, sub quo Neapolis, & regio illa tota non minora infortunia subijt, mare ferè passibus CC. recessit, quo in loco similiter ingentem piscium multitudinem accolæ cœperunt, comederuntq. & aquæ dulces salientes visæ sunt. Quare mirum nulli sit, si & hodie per littus illud totum, Neapolim vsque, mare retrocessisse scribitur, vt triremes, aliaq. nauigia in solo exhausto, & sicco aliquandiù steterint,

Tertius. Terræ loci mutatio in alium quomodo fiat, & quando, ac vbi euenerit.

Quartus. Terra sub mari decidens repentina voragine vndas absorbens, in causa est, vt mare ad aliquod spatiũ siccetur, nauigia in sicco maneant, pisceſque moriantur.

Hic euentus in Puteolana olim, & nunc in Vesuuiana conflagratione obseruatus.

rint, & pisces in terra illa exsucca mortui fuerint adinuenti, quos etiam è vulgo, ac plebe multi comederunt. Aliæ differentiæ ab effectibus cùm terræ motuum, tum fulminum in subsequenti Capitulo examinabuntur.

Alij Terræ motuum effectus, alijq; Fulminum prorsùs admirandi cum Vesuuianis mirè cõgruentes. Vtrum Laurus Delphica, Vitulus marinus, Aquila, & lapidem ferens Hyacinthum fulmine tangantur. Cur summi, & prærupti montes, altæq; turres tanguntur potissimùm à fulminibus. Mors subitaria ex sola formidine tonitruum, ac fulminum, sicut in multis mulieribus Abortus.

CAP. XV.



VPRA descriptis, & expensis Terræ motuum effectibus succedunt & alij neutiquam hoc in loco prætereundi, quorum in ordine Quintus est, videlicet amnium insolito itinere, & in contrarias partes fluxus; attollente se vehementia spiritus dorso terræ aquam sustinentis versus illam partem, inquam prius aqua deferebatur. Vnde constat ex Iouio lib. 19. Histor. sui temporis in Lusitania Rege Emanuele, cùm Vlyssippo, Scalabris, Almerinum, aliaq. Oppida horribili concuterentur terræ motu, & magna hominũ vis ruinis opprimeretur, Tagum, diffugientibus in vtramque ripam vndis, sicca in medio vada ostendisse, spectatoribus terrore, & stupore perculsis. Consimilem quoquo pacto effectum in Vesuuiana commotione obseruatum fuisse dicere possumus, quoniam

Quintus. Amniũ insolito itinere, & in contraria loca defluxio vnde oriatur.

An hic effectus sit hodie in terræ Vesuuj commotione animaduersus.

ramus magnus illius fluuij ad Scalfati Oppidulum decurrentis, qui ad vsus iam dictos ad Oppida subiecta corriuatur, restitit aliquandiù, itaut creditus interdum sit, vel intrò absorptus, vel aliò conuersus, sed exiguò pòst, defectus eius manifesta causa apparuit, videlicet lapidum, arborum, & cinerum magna in ipsius alueis, & canalibus congeries, viam illi consuetam intercipiens, quæ obturatio in causa fuit, vt aquas in campos deerrare, & vagari fecerit, ac tali occasione consuetum iter amiserit. Sextus effectus nunc etiam aliqua ex parte obseruatus, sunt nouæ aquarum scaturigines, nouiq. si non fontium, certè lacuũ, & fluminum exortus, & contrà desiccatio; quomodo quidem audio non procul ab eodem Oppidulo in magna quadam substrata planitie lacum ferè decem milliar. repentè obortum, è copiosissimis aquis illùc à montis voragine regurgitatis. Ità olim bello Mithridatico prope Apameam Vrbem Phrygiæ concussa, & quassata terra paludes, nouosq. fontes, ac flumina egessit, veterum nonnullis terræ hiatu absconditis. Siquidem agitatione, ac veluti conuulsiuo motu, vt in Epilepticis, qui spumam ex ore, fęcalia recrementa ex ventre, genituram è vasis spermaticis, lotiumq. ex vrinarijs inuoluntariè emittunt, in terra noui reserantur meatus, & cuniculi, per quos aquæ subterraneæ foras eliduntur, aut veteres obturantur, vel earundem decursus in aliam partem deflectuntur. Quare Dio apud Campanæum in Plin. *Ità vehementes terræ motus subitò facti sunt, vt planicies illa vniuersa aquis scaturiret, & montes subsilirent*. Et Hostien. lib. 2. cap. 112. *Tanta sulphureæ resinæ congeries ex ipso Vesuuio protinus fuit, vt torrentem faciat*. Vnde indicibilis strages tot amænis, ac speciosis campis, viridarijs, Oppidis, Vrbibus, & hominibus allata nunc fuit. Septimus est, quando aquæ antea frigidæ, post terræ motum calidæ fluunt, & è contra, quæ antea tepidæ, frigidæ euadunt. Quippe quia perturbatis intimis cuniculis, aut venis, aquæ calidæ corriuantur ad frigidas,

Sextus. Nouorũ fontium, fluminum, lacuũq. scaturigo, & veterũ suppressio.

Ab exemplo Epilepticorum.

Septimus. Mutatio aquarum è frigidis in calidas, & è cõtra vnde fiat.

gidas, & hæ ad calidas, aut profectò mutatis vijs, & ductibus, calidæ per loca frigida, frigidæ per sulphurosa, & calida decurrunt, vnde priores refrigescunt, posteriores incalescunt. Hodie in Vesuuiana tum commotione, tum flagrantia postremus modus est obseruatus. Nam quæ à montis cratere tam largè, ac profusè emissæ sunt aquæ, vt ex his circum circiter plana illa loca non lacus, non fluuij, sed maria excita fuisse videantur, omnes præcalidæ, imò flammeæ, ac igneæ erant, ex incensis intrà eas Sulphure, atque Bitumine. Octauus denique (nam alij qui ponuntur terræmotuum effectus, quia nihil cum re nostra, omittuntur) qui euidentissimus hodie fuit in Vesuuio, est ignis eructatio, aut ignitorum vorticum vomitio, qualis post annuũ terræ motum subinde regionem illam totam, dico etiam Bononiense, ac Mutinense territorium concutientem, Ferrariæ, qua potissimum in Vrbe multa antea ædificia ex vehementi tremore conciderant, insurrexit 1570. Quo insuper tempore Padus turbidus, & ampullis in aerem exsiliens fluxit, cum interemptorum piscium multitudine. Quandoquidem cùm internæ exhalationes accenduntur, & in flammas abeunt, modis partim superiùs significatis, & partim non valdè post vberiùs explicandis; aut etiam materia terræ latebris abdita, & ad concipiendum ignem ex propria natura idonea inardescit, solet tunc non rarò terra tali motu diu quassata, ac tandem patefacta, ignem euomere. Quantùm verò ad fulminum effecta, & hæc multa sunt, prorsusq. admiranda, licèt non omnia fortè vera, vt cùm Plinius lib. 2. cap. 35. & lib. 37. cap. 10. tradit Laurum non fulmine ici, quod item Plutarch. affirmat Sympos. 4. Quæst. 2. veluti de Ficu, nec tabernacula è pellibus vitulo marino detractis, vt neque Hyænam, quibus extrema velorum induunt nauicularij, nec Corallium, quemadmodum nec hominem lapidem Hyacinthum ferentem fulmine tangi alij asseuerant. Nam quod ad Laurum spectat, eam de Cœlo tactam non antè multos

Hodie quæ obseruata in Vesuuio.

Octauus.

Longo terræ motu, vel subinde in Ferrariensi solo concitato tandem flammarum eruptio superuenit cum aquarum Padi ebullitione, ac Piscium mortalitate. Ratio.

Laurum Delphicam fulmine ici.

multos annos refert Vicomercatus ad 10. cap. lib. 3. Meteor. Quoad Vitulum marinum, & ex eius corio contecta domicilia, videlicèt fulmine minimè pertentari, inde puto ortum duxisse, quòd è natatilibus hoc solum animal non percuti credatur, sicut nec Aquilam è volucrum genere ex peculiari obseruatione magis, quàm immunitate specifica, quoniam scilicet hæ animantes iuxtà illum, de quo non valde ante loquebamur, tacitum naturæ instinctum fulmina præsagientes, se per id tempus in abditissima, tutissimaq. loca recipiunt. Illud denique de Hyacintho, fabulam esse docet Scaliger Exercitat. 113. in Cardan. Verum quidem est, quod tàm Aristoteles, quàm Seneca tradunt, ea, quæ fulminibus feriuntur, solere priùs intremiscere vibrata vento, id quod in hodiernis Vesuuij, non solùm aeris, fulminibus clarissimè est animaduersum, quæ vehemens admodum terræ montis, & locorum vicinorum concussio præcedebat; Siquidem oportet fulmina, & præmittere spiritum, & agere ante se, & à tergo trahere ventum cùm tàm vasto impetu aerem, vel terram inciderint. Summos montes, & præalta ædificia, ac turres, & pinnacula ferire, vt plurimum, solent, quoniam cum obliquè ferantur, & celsissima quæque eis obuiam fiant, ideò frequenter in ea impingunt. Sed hæc, & alia effecta summoperè admiranda, de quibus Aristot. in Meteor. Theophrast. lib. 5. de Caus. plant. cap. 17. Seneca 2. quęst. Nat. cap. 31. Lucret. lib. 6. de Nat. & Albert. de Tonitr. cap. 22. à me nunc omittuntur, quia vel nihil, vel parum cum re nostra. Quorum aliquot notatu digna, & ad congruentiam cum Vesuuianis effectibus pertinentia superiùs ex Lucretio recensui, quæ non sunt iterùm repetenda, præter illa carmina, quibus fulminum cælestium effectus Vesuuianæ flagrantiæ simillimos enarrat.

Nunc ea, quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, vt possint ictu discludere turres,
Disturbare domos, auellere tigna, trabesq.

De Vitulo marino, & Aquila quomodo intelligenda res sit.

De Hyacintho lapide esse fabulam ex Scaligero.

Accidens antequam fulmen feriat ex Arist. & Sen.

Idem in Vesuuiana coruscatione.

Cur summi, & prærupti mótes, altæq. turres feriuntur à fulmine.

Mala inferre solita à fulmínibus eadem cum hodie factis à Vesuuianis ex Lucretio.

Et monumenta virum demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim.

Ideò nescio quæ solùm alia alibi minimè relata, nunc breuiter sunt attingenda, de quorum numero est eadem formido, idem pauor, qui mentibus nostris incutitur à terræ motibus, & ijs, quæ illos concomitantur, nam & dum fulmina è Cælo descendunt, & ad nos è nubium denso corio impetuosè exprimuntur, vix dici potest, quantum omnium animi terrore percellantur, præsertim si crebra sint, & per longum tempus horrisona durent, cuiusmodi erant è profundo Vesuuij barathro iaculata. Ad quæ redigi profectò possunt quæ ibidem Lucretius non multò post de aeris fulminibus in hunc modum cecinit.

Formido quę incutitur è fulminibus.

Ex Lucretio.

------------- tætra nimborum nocte cohorta
Impendent atræ formidinis ora supernè,
Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.
Præterea persæpè niger quoque per mare nimbus,
Vt picis è Cælo demissum flumen, in vndas
Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
Fulminibus grauidam tempestatem, atque procellis
Ignibus, ac ventis cum primis ipse repletus
In terra quoque vt horrescant, ac tecta requirant.

Idem sanè, vt dicebam, timor, similisq. formido hominum mentibus imprimitur à Cæli fulminibus, atque tonitribus, quæ à montis Vesuuij igneis vorticibus, & crebris terræ motibus Neapolitanis, alijsq. proximis populis incutiebatur. Vnde idem Lucretius lib. 5.

Mors subita ex solo tonitruo, & fulmine, absque ictu, & adustione vnde, vti & abortus.

----------- cui non conrepunt membra pauore,
Fulminis horribili cùm plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura Cælũ?
Non populi, gentesq. tremunt?

Nec valde post:

Denique sub pedibus tellus cùm tota vacillat,
Concussæq. cadunt vrbes, dubiæq. minantur
Quid mirum, si se temnunt mortalia sæcla?

Ob

Ob quam formidinem multi nihil aliud paſſi, ex illa ſola conſternatione, mortem metuendo, mortui ſunt, vt refert Plutarchus Sympoſ.4.Quæſt.2. vbi ſimiliter notat, tonitru oborto, paſtores condocefacere pecus, vt in vnum concurrant, ſeque inuicem applicent, quòd quæ palant à cæteris auulſæ oues abortum faciunt, quod accidens, ab eadem occaſione, multæ ſæpe mulieres experiri ſolitæ sũt. Et innumeri viſi ſunt emortui tonitru, in quibus nullum ictus, aut aduſtionis appareret veſtigium, quòd nimirum præ metu anima eorum è corpore, auis inſtar, euolaſſet. Multos enim exanimauit ventus tonitrui, vt ait Euripides, & poſt eum idem Plut. Sed diuerſa præcautio adhiberi ſolita eſt ad fulminum damna vitanda, quoniam terræ motuum tempore, ſub tectis parùm tuta ſtatio eſt, ideoq. tunc magis ſub patente Cælo, aut ab altis ſemoto ædificijs moramur; contrà, ſęuientibus de Cælo fulminibus, in intimiores domiciliorum receſſus nos recipimus, imò etiam, licèt fulmen non multùm ſub terram penetret, quippe Plinius lib.2. cap.55.& Card.2.de Subt. non vltrà pedes quinque eam ſubire teſtantur, ad ſpecus tamen penitiores interdum confugimus, vt de Tiberio traditum legitur apud Suetonium.

Diuerſa præcautio ad vitanda pericula fulminum, ac terræ motuum.

Mos Tiberij Imperatoris.



LIBER SECVNDVS.

Ætiologiam, ideſt, Sermonem de Cauſis annotatorum Accidentium, velut pauca quædam ad Præſagium, Therapeuticem, ac Prophylacticem ſpectantia continens.



Sermo de Cauſis; vbi quomodo Deus non ſolùm communis cauſa, ſed proxima ſit tam multorum morborum particularium, atque vulgarium, quàm terræ motuum, & incendiorum, luculenter oſtenditur. Quinam morbi ad diuinam iram referantur. Cuiusnam Piſcis fel eſſet, quo Tobiæ cæcitas ſanata fuit. De natura Ignis infernalis, & cur tenebroſus à Deo factus. De admirando, & ferè incredibili terræ motu ex Platone, Marcellino, ac Tertulliano. Quomodo Dei flatus, ſicut torrens Sulphuris, ignem ſuccendere dicitur. Veſuuij, & Aetnæ conflagrationis cauſa, vel occaſio, vnde. Prodigia cæleſtia interdum, vti etiam terrena, calamitatum eſſe prænuntia. Cauſa inſuper naturalis obiter affertur præſentis incendij Veſuuiani, ſicut Aetnæ, &, cur Deus ipſe cùm cęleſtia, tum terrena portenta nonnunquam fieri mandet, indicatur.

CAP. I.

SVPERSVNT nunc expendendæ illæ differentiæ, quæ à causis suppeditantur, & ideò ad Aetiologiam stylus vertendus est omnium effectuum, atque accidentium, quæ in hac Vesuuij tam commotione, quàm conflagratione animaduersa fuere. Quippè licèt superiùs eorundem ratio aliqua reddita à me sit, ne simplex, & arida historica narratio ingenioso Lectori tædio foret, atque molestiæ, præsens tamen locus sermoni de causis, iuxtà inchoatam methodum, à me fuit assignatus; vbi quæ obiter alibi significatæ sunt causæ, rursus hic maiori è parte adducentur, & planiùs, latiusq́. enarrabuntur. Cui postmodum sermoni alter de Signis, alijsq́. nonnullis, tanquam coronidis vice, adijcietur. Interim verò magnum facessit negocium, tot, tamq́. mirabilium euentuum causarum venatio, vt, qui non longè à scopo, vel cynossura aberrarit, meritò vocari cum Marone possit,

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas.

In quibus quidem indagandis tantam agnosco latitare profunditatem, quantam nullius oculorum acies, vel Lynceam superans, nedum meorum hebetudo, pertingere, aut penetrare vix queat. Quoniam autem huiusmodi causas Vesuuius communes habet cum cæteris igniuomis, & contremiscentibus locis; idcircò, quæcunque generali veluti doctrina attulero, eadem facillimè poterunt hodiernis motibus, & flagrantiæ adaptari. Cum ergò à remotioribus causis exordiendum mihi sit, & ordinatim descendendum ad proximiores, quæ effectus nostris sensibus (qui in illis, tanquam sublimioribus, aque cælestibus, & Sanctis tantùm nonnunquàm diuina reuelatione perspectis, caligare soliti sunt) magis euidenter aperiunt; vnde nam fęliciori auspicio talem possum inchoare sermonem, quàm à

Profunditas causarum tot euentuum in Vesuuio.

Deo

Dei scientia quantum discrepet ab hominũ opinionibus.

Thucydidis testimoniũ.

Deo ipso, qui non modò solus est ἀπλανής, omniscius, omniumq́. expers errorum (cum contrà hominum quicquid est, opinentur, vacillent, errent, quippè qui, Thucydide assertore, nati peccare, & labi sunt) primum mouens, causaq́. causarum, sed citrà etiam cuius voluntatem, vt nihil aliud quantumuis minimum, ità adeò magna, cunctisq́. terribilia, & innumeris funesta euenta haud quaquàm accidere creduntur, sicut præ cæteris abundè ostendunt illa, quæ olim in monte Synai istis prorsùs similia coram Moyse, & peruicaci populo Israelita suscitauit, alibi notata, & non ità pòst rursum adducenda, & cuius demùm nutu gubernantur omnia, vt hùc respiciens Themistius verè dixerit; *Entia omnia nihil esse aliud, quàm Dei scientiam*; cui & Auerroes assentitur lib. 3. de Anima. Quò spectant verba illa Esaiæ cap. 14. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*. Insuper Cassiodorus, *Plerumque*, ait, *soliciti fiunt, qui mutatos rerum ordines intuentur, quia sæpe portendunt aliqua, quæ consuetudini probantur aduersa. Nihil enim sine causa geritur, nec Mundus fortuitis casibus implicatur; sed quidquid venire videmus ad terminum, diuinum constat esse iudicium*. Si igitur in serie morborum aliqui potissimùm sunt, qui ad diuinam iram referuntur, vti Pestilentia, quam vel Mahumetanus Auicenna lib. 2. suæ Metaph. ab initio, à Deo propter peccata immitti asseuerat, vti quoque Comitialis morbus, *cuius affectus origo* (inquit Aretæus lib. 1. cap. 4.) cum mirabilis, & præter omnium opinionem sit, *flagitiosis hominibus à Luna* (quam Ethnici pro Dea colebant) *immitti nonnullorum opinio fuit*: cur amabò & hoc mali genus ex ardore, & tremore Vesuuij, vt alibi quoque aliorum montium, oriundum, tot populis eiusdem regionis calamitosum, atque funestum, ad diuinam iram redigi etiam non potest, mouente, ac suscitante Deo causas secundas, & naturales, quæ intrà huiusmodi montes quietæ, ac nulli facessentes molestiam à tot annis inno-

Themistij dictũ de Deo.

Aliud Esaiæ.

Aliud Cassiodori.

Morbi relati ad diuinam iram.

Pestilentia ex Auic.

Epilepsia ex Aretæo.

Præsens Vesuuij malum duplex.

innoxiæ iacebant? An non ſcribit Hippocrates 1.Progn.7. *Et ſi quid in morbis diuinum habetur, illius quoque diſcere prouidentiam medicum oportet?* innuens profectò occultiorem valdè cauſam, quàm ſit ea, quæ Medicorum ſenſibus pateat; dico, non aeris qualitates (parcant Galeni manes, & parcat Lector mihi aliter alicubi determinanti,) quæcunque illæ ſint, ſed ipſiſſimam Dei iram, huiuſmodi malorum tela in nos ſubindè iaculantem, ſeu ſint ad vindictam, ſeu ſint ad correctionem, quæ cauſa diuinum Senem latere minimè potuit, quippè qui in lib.de Nat.mul.& alibi dixit *à Medicis vniuerſa Deo attribuenda*, ſic tamen, vt phyſicas, & ſecundas cauſas contemplari minimè negligant. Quas pariter Deus ità formauit, vt intrà naturæ leges ab eo præſcriptas contineantur, nec ad agendum externo indigeant duce, quas propterea etiam Peripatetici propriè, & verè cauſas appellant, quia licèt à Deo tanquàm cauſa prima dependeant, in ſuo nihilominus genere perfectam obtinent (ſic aiunt) cauſalitatem, vt non ſimpliciter dicendæ ſint inſtrumenta duntaxat ſupremæ, ac primitiuæ cauſæ, quemadmodum arbitrati fuerunt Platonici, quorum ſententia recolitur à Simplicio 2. Phyſic. text.29. & Card. Beſſarione lib.6. cap.2. aduerſus Platonis calumniatorem. Qui tamen Deus iſtiuſmodi cauſis, quanquã eas ità diſpoſuit, vt proprios plerumque motus agere permittat, non raro vti ſolitus eſt, quoties aut in pœnam, aut in ſalutem, vel morbos, vel alios terrificos, & calamitoſos caſus oriri facit. Vnde quod legitur 1. Reg. cap. 5. cùm Arca fœderis à Philiſthæis capta in Azotum fuit illata, *Ebullierunt enim villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in Ciuitate.* tametſi Dei miraculo in vindictam fuerit immiſſum, nihilominus per medias naturæ cauſas id Dominus operatus eſt, ſicut & igne interdum, & interdum aquis, necnon & hiatibus iram ſuam exercens, etiam naturæ vtitur opera. Sic Tobiam excęcaturus, hirundinis ſtercore vſus eſt (Tob. cap.2.

Diuinum in morbis Hipp. quid ſit.

Pijſſimũ eiuſdem Hipp. dictum.

Secundarum Cauſarũ contemplatio.

Quomodo ex ſe ſint veræ cauſæ cõtra Platonicos.

Quando & quomodo illis Deus vtatur.

Exemplo Sacrarum paginarum in hiſtoria Arcæ fęderis.

In hiſtoria Tobiæ excęcati, & perſanati.

Collyrium ex felle in quonam oculorum morbo à Medicis vſurpatum.

Callionymus piſcis.

Cuiuſnam piſcis fel eſſet, quo ſanatus Tobias fuit.

Dionyſij Chartuſiani opinio de Crocodilo.

Exempla è Sacris Paginis incendiorum, terræmotuum, & voraginum.

Montis Synai fumantis, ardentis, trementis,bombos emittentis deſcriptio

Verba Deuteronomij.

Dei iuſſu an hæc orta ſint hodie in mõte Veſuuio.

cap.2.& 11.) cui exiguò poſt viſum reſtituturus, præſcripſit ex felle piſcis collyrium(cuiuſmodi & nos in oculorum maculis, craſſiſq. humoribus adnatæ tunicæ infixis abſtergendis,adhibere ſolemus, Lucij in primis felle in vſum accepto.) Quem piſcem Sacræ Hiſtoriæ,quidam illum eſſe arbitrantur, quem Græci Callionymum vocant, cuius Galenus 10. de Simpl.medic.12.& Plinius lib.32.cap.37.meminerunt. Sed Dionyſius Chartuſianus Crocodilum fuiſſe cenſet ex verbis textus, qui habet, Tobiam,eo aſpecto, valdè territum eſſe, & ad Angelum confugiſſe. Multa alia in Sacris Litteris perſtant exempla ſimilia, quoad morbos à Deo hominibus immiſſos, mediante naturalium cauſarum virtute, quos nunc breuitatis ergo referre omitto; ſed nec ibi deſunt exempla incendiorum, terræ motuum, voraginumq. quibus eundem in finem perſæpè Dominus vſus fuit. Mons Synai, in quo Moyſi legem dictabat Deus, quot ignibus emicabat,quot motibus concutiebatur,quot horrificis tonitruis,velut bombardarum clangoribus,emiſſis reſonabat, ſurſum, deorſum, & ex omni latere terribilis? Quippè ex eo etiam, quaſi de fornace, fumus aſcendebat, qui vnà cum denſiſſima nube illum totum operiebat: Idipſum autem non ſolùm traditur loco Exodi citato, ſed etiam Deuteron.cap.4. vbi hæc leguntur: *Timere enim Dominum tunc didicit populus, cùm acceſſit ad radices montis, qui ardebat vſque ad Cælum, erantq. in eo tenebræ, & nubes, & caligo, loquebaturq. de medio ignis.* Verùm hæc immediatè ex vi prodibant diuinæ præſentiæ. Quæ cuncta tamen ſi conferantur cum Veſuuiani incendij præſentis euentibus, non temerè, non abs re aliquis, piè nihilò minùs, quàm phyſicè rem trutinans,accepta referet Deo, quo iubente,per cauſas excitas naturales,tot hodie in eo monte portentoſa, triſtiaq. euenta ſuborta fortaſsè ſunt, perindè ac bellum, fames, & peſtis, quæ totam ferè Italiam nuper deuaſtarunt. Quandoquidem & ignium eruptiones, & Ciuitatum voragines, arma Dei ſunt, ad morta-

mortale genus insolescens nimis, atque luxurians, vitijs, ac facinoribus inuolutum, & Creatoris sui penitùs oblitum castigandum, & corrigendum, necnon ad beneficum adeò Parentem tenacissimæ memoriæ mandandum. Non enim vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Solis lumine interdum priuari, tenebrisq. densissimis, vt media, ac silente nocte, infuscari, cum fumante vapore putido, & veluti præfocante, annon species quædam est Infernalis supplicij? Vbi ignis ille maximè vrens, nihil tamen lucis habet, vt affirmant S. Gregorius Moral. lib. 9. cap. 38. & seq. ac S. Augustinus 26. serm. ad fratres in Eremo dicens: *Ignis Inferni sua flamma concremationem habet, lucem non habet*. Iuxtà illud nimirùm Dauidis: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Nam, vt D. explicat Basilius, cùm in igne duo sint, combustio, & lux, hanc Deus illi infernali igni ademit, vi comburendi relicta; Puto, vt nullum prorsus præstet oblectamentum. Siquidem *dulce est* (inquit Salomon Eccles. 11.) *& delectabile in oculis hominum videre Solem*. Causam si tantæ atritatis, vel in gehennæ lacu profundissimo, inquiramus, quam Vesuuij ambitus omnis, longusq. ab eo tractus, præsertim Neapolim versus, expertus est, eadem ferè quæ & præsentis incendij, nimirum crassa, picea, bituminosa, & sulphurea materia, qua scilicet ibi perpetua à Deo indita ignis ille nutritur, & pro pabulo in æternum duratura vtitur. Constat enim experimento, nigerrimum illum esse ignem, qui in tedis, aut faculis ex pice, resina, bitumine, & similibus accensus est, adeò vt totus videatur nihil esse aliud, quàm fumus teterrimus, qualis montem Vesuuium, & ei continuatum clima, vsque Neapolim, obtegebat, imò qualem æterno igni damnatæ animæ perpetuò comitem, ac circumstantem habent. Quo propterea populi illi Phlegræi campi ab eo aspectu magnopere còterriti extremum Iudicij diem, quo cuncta igne soluentur. 2. Petr. cap. 3. instare magnopere verebantur. Quod supremum Iudicium

Solis luminis priuatio.

Infernalis ignis luce caret.

Causa ex Salomone.

Causa naturalis eadem quæ Vesuuiani ignis tenebrosi.

Supremũ Iudicium quomodo sæpè Deus nostris mentibus insinuet.

per huiusmodi ignium emicationes, ac terræ concussiones, voraginesq́. sæpè Deus nos credere, ac pertimescere docet, vt à vitijs abstineamus. Vnde à pijs, sanctisq́. hominibus, quorum testimonio adhærendum magis est, quàm Ethnicorum Philosophorum opinionibus, memoriæ proditum legitur, hosce ignem vomentes montes non frustrà, non casu exortos, sed à Deo productos, ad tartareas pęnas identidem menti nostræ insinuandas, vti S. Pion Presbyter docuit hora sui martyrij, vt est apud Metaphr. 11. Martij. Lippom. tom. 7. Solitum verò esse aliquandò Deum terræ motibus, & incendijs punire homines propter scelera eorum, Datan, & Abiron in Sacris Paginis testes esse possunt: Apud profanos autem auctores legitur (in primis verò in Platone, & Marcellino) de horribilissimo terręmotu, qui diù ante Romam conditam accidit, quo nimirum ambo illi scribunt, vltrà Herculis columnas, Insulam quandam Africa simul, & Asia maiorem, cuius Reges, & Lybiam, & Aegyptum subiugarant vsque etiam Tyrrhenum mare, ingenti conquassatione, iugiq́. diei vnius, & noctis illuuione, terra dehiscente, absorptam fuisse, vnà cum omnibus habitantibus, quos forsitan Deus tanquam nimis impios, ac bellicosos odio habebat, & ne quis de historiæ veritate anceps sit, & vereatur, Tertullianus Apolog. cap. 39. eam probauit, probantq́. alij, vt refert Maiolus in suis Diebus canicularibus Colloqu. Meteor. Ideò etiam traditum est ab Aeliano lib. 6. cap. 7. cum Lacedemonij contrà seruos Taenarenses per vim, & perfidiam insurrexissent, & eos occidissent (erant autem hi serui ex Helotarum genere) propter indignationem Neptuni terræ motum Spartæ accidisse, qui tanta vi discussit Ciuitatem, vt ex vniuersa vrbe quinque solùm ædificia relinquerentur. Per ignis insuper flammas solere Deum scelestos homines mulctare, exemplo sint Nadab, & Abihu filij Aaron, delinquentes in commisso sibi Sacerdotali officio, eo quòd ignem alienum, quem Deus vetuerat, obtulissent, quos

Montes igniuomi cur à Deo producti.

Terræ motus item & conflagrationes ab eodẽ cur excitantur.

De admirando penitùs, & ferè incredibili terræ motu ex Platone, ac Marcellino.

Ex Tertulliani testimonio.

De alio apud Spartanos Aeliani auctoritate.

Alia exempla è Sacris Historijs.

quos ideò ignis de Altari holocausti egressus, diuino nutu, combussit, Leuit. 10. sicut denique quinquaginta viros illos, qui, insurgentes in Moysen, & Aaron, thura coram Domino afferebant. Negare itaque nullo modo possumus, quin per adeò horrifica portenta, ignis (inquam) vomitiones, ac terræ motus, velut per morbos tùm huic, vel illi peculiares, tum verò magis per communes, & Epidemicos ab indicibili tam aeris, quàm succorum prauorum nostri corporis qualitate enatos, sæpèq. incognita penitùs contagionis vi in integras regiones debacchantes, Deus nos lethargico sopore obrutos exsuscitet, ad ea, quæ sursum sunt, cogitanda, quærenda, & amplectenda, quemadmodum & ad mulctanda, quæ patrauimus, delicta. Ità namque & Christus Dominus ei, quem sanauerat, dixit; *vade, & noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Nec hillum quidem facienda obiectio est; quomodo hi euentus à Deo, si à causis manifestis, & naturalibus oriũtur? Siquidem varijs, multisq. modis ad nos loqui Deus consueuit, prout clarè ex Sacris Paginis constat; aliquandò humana lingua, vti per Sanctos vates, aliquandò ipsis elementis quoquouersum alteratis, ac immutatis, imò interdum etiam in formas, & imagines diuersas ad nostrum terrorem compositis, vt annotat Medin. 2. lib. suæ Parænesis cap. 1. Quò forsitan spectat quod cùm alij, tum præcipuè Spondanus refert ex Dione, ante Vesuuianum incendium, tempore Titi editum, magnum primò numerum hominum inusitata forma, & magnitudine in eodem monte, regioneq. finitima interdiu, noctuq. vagari in aere visos esse. Nec desunt qui hodie etiam, furente Vesuuiano incendio, cacodæmones sub humana specie, horrifica tamen, & inusitata à multis fide dignis visos fuisse narrant, ac typis mandarunt. Quamobrem licèt prædicta tam in Vesuuio nunc, quàm in alijs locis aliàs, causas habeant naturales à me inferiùs recensendas; attamen hæ causæ diuina prouidentia à creatione talium locorum ità fuere à Deo

Portentosi euentus quomodo, & à Deo, & à manifestis causis oriantur.

Deum nobiscum aliquando loqui per media elementa diuersimodè alterata.

dispositæ, vt certo tempore ad huiusmodi effectus procreandos concurrerent, nutui eius obsequentes; Ipse etenim primum mouens, proximumq. impellens, montes concaui, & sulphureis mineris infarcti, velut bombardæ Dei sunt, pyrio oppletæ puluere; spiritus autem ibi genitus, & hùc, illùcq. agitatus, interceptis, per quæ spiret, terræ foraminibus, aut etiam ventus à procelloso mari intromissus, dispositam materiam commouendo incendit, quippè motus, vt ait Arist. lib. 2. de Cælo, & ligna, & lapides, & ferrum ignire solet. Sed venti Deo obediunt, crescunt, geminanturq. sicut viceuersa cessant, quiescuntue ad nutum eius, qui eos de thesauris suis producit. Ideò, vt bombardæ ignem, fumum, bombum, & ferreum globum eiaculari nequeunt, nisi admota flamma, cuius vi ignea quæ intra concaua metalla inclusa sunt, commota, & dilatata, ampliorem locum requirentia, tanto cum impetu, strepitu, lociq. tremore eructantur; Ità Deus, è cuius irati manibus sæpè ignis emittitur, & cuius flatus, sicut torrens Sulphuris, succendit ignem, vt dicitur Esaiæ 30. per dicta media, quæ ipse fecit, quæq. nutui eius obediunt, mineras intra montium igniuomorum cauernulas stabulantes, quæ subterraneis ignibus pro pabulo, & fomite sunt, sulphureas dico inprimis, & bituminosas conturbando, & dimouendo, tali motione ignem in eis exciri, & accendi facit, qui postmodum angustis illis ergastulis cohiberi suopte ingenio renitens, foràs quoquouersum, terra obice abrupta, impetuosè prorumpit, cum densissimo fumo, flammis, lapideis, ac cinereis globis, prout hoc in incendio clarissimè obseruatum est, cui per omnia videntur conuenire accidentia singula, quæ ad montem sæpè dictum Synai Deus ipse in igne descendens suscitauit. Confirmor autem magis, magisq. in hac similitudine, & credulitate, quòd in præsentis conflagrationis generatione Deus ipse visus quodammodo est vti voluisse causis secundis, ac naturalibus, nimirùm ventis varijs, ac diuersi generis ad huiusmodi

Deus quomodo sit causa proxima incendiorum exemplo bõbardarum.

Dei flatus, sicut torrens Sulphuris, succendit ignẽ.

Causæ naturales præsentis conflagrationis Vesuuianæ, iuxtà sensum Auctoris.

iuſmodi motus promouendos perquàm idoneis; quandoquidem neſcio quibus ante hebdomadis, quàm Veſuuius mons tremeret, ardeſceretq́. venti Aquilonares per totum hunc tractum Romanum, ac Neapolitanum Meridianæ quidem plagæ expoſitum, ſed non ſine Septentrionalis aſpectu, aliquandiù rigidi ſpirauere, & non ità poſt, iuxtà illud Homeri:

Cùm ceſſat Boreas, cùmq. Auſter ſurgere cæpit.

e mari Eurus, Notuſq́. imò & Africus, cum Latino Homero,

Vnà Euruſq. Notuſq. ruunt, creberq. procellis
Africus.

validè nimis per multos dies ſæuierunt, vt nec hodie ceſſaſſe videantur, quorum quidem primi magnam fecerunt intra montem concauum antiperiſtaſim, præ qua exhalationes, & ſpiritus in vnum coacti, & plus roboris adepti ſunt, ſecundi verò mox ſuccedentes quantam vim habeant in iſtiuſmodi effectis procreandis, patet quàm manifeſtiſſimè Aetnæ in Sicilia exemplo, Veſuuio quoque mirum in modum quadrante. Conſtat enim ex Strabone, ac Diodoro, vti è Macrobio lib. 5. cap. 16. & ex A. Gellio lib. 17. cap. 10. in Aetna ab ea parte, qua Eurus, & Africus perflant, aſſiduis pelagi fluctibus refundi intra cauernas incendij materiam, eoq́. illiſu, ac repercuſſu, vniri vapores, ſimulq́. accendi, præſertim cùm Aetna, ſicut Sicilia tota, ab eo aſpectu, ſpeluncas habeat, velut Veſuuius, Sulphure plenas, quæ, receptis in ſe fluctibus, flatum concipiunt, & exindè incendium pariũt; Cui rei fidem adſtruit, quòd, alijs flantibus ventis, Aetna nihil emittit, & pro modo Euri, vel Africi, nunc fremitum, nunc fauillas, interdum verò, adaucto ſic in ſe fomite, eructat incendium; qua de re infrà loco proprio cap. 26. Quinimò ſunt inter Chriſtianos ſcriptores verè pios, qui, ſublimiùs adhuc volantes, affirmant, tantum abeſſe, vt huiuſmodi portentoſi euentus per incendia emicantes, à cauſis ſimpliciter naturalibus promanent,

Aetnæ conflagrationis cauſa, & occaſio vnde.

Sicut Veſuuij.

nent,

nent, vt non modò terreni, tanquàm cæleſtes, habendi ſint de numero illorum, quibus inſignem aliquem euentũ, qui iam extet, extiteritue, declarare ſolet Deus, verùm etiam impendentia mortalium generi mala præindicare dignatur, fortè ſi, pœnitentia facta, veniaq. impetrata, talem cladem ſuſpendat, longèq. tunc à nobis arceat. Quam veritatem vel Ethnici Philoſophi ſubolfeciſſe videntur, vti colligo ex Cicerone 2. de Nat. Deor. referente ex Cleanthe, vnam è quatuor cauſis, per quas Numinis diuini notiones hominum mentibus informatæ ſunt, prodigia eſſe cæleſtia, quæ interdum magnarum calamitatum ſunt prænuncia. Addo reperiri quoque non paucos, qui tales montes flammiuomos piè credunt eſſe inferni portas, & oſtia, adeò contendunt, tot horrificos illorum euentus à Deo ipſo immediatè proficiſci, quamuis etiam ad id naturalibus cauſis adſcitis. Vnde Tertullianus in Apolog. cap. 28. tradit, talia incendia, & alia id genus à Deo viua exempla data eſſe hominibus ignis æterni, quibus peccantes in Inferis punirentur. *Nouerunt* (inquit) *& Philoſophi diuerſitatem arcani, & publici ignis; ità longè alius eſt, qui viſui humano, alius qui iudicio Dei apparet, ſiue de Cælo fulmina ſtringens, ſiue de terra per vertices montium eructans; non enim abſumit quod exurit, ſed, dum erogat, reparat, adeò manent montes ſemper ardentes, & qui de Cælo tangitur ſaluus eſt, vt nullo iam igni decinereſcat. Et erit teſtimonium ignis æterni hoc exemplum iugis Iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant, quid nocentes Dei poſtes?* Hæc ille. Super qua re aliquot ſcitu digna, nec iniucunda ſeſe offerunt narranda, & expendenda, quæ quoniam intrà præſens caput, ſine profuſitatis nota, haud includerentur, hoc acciſo, in ſubſequens reijcio.

Prodigia cęleſtia interdum, vti terrena quoque, calamitatum prænuncia ſunt.

Ex Cicerone.

ac Tertulliano.

Vtrum

Vtrum Vesuuij, Aetnæ, Fori Vulcanij, Insularum, quæ Vulcaniæ dicuntur, in Italia, Heclæ in Islandia, & similium alibi flammiuomorum montium, & locorum hiatus, aut voragines, vocari possint ostia, vel portę Inferni. Veterum Romanorum consuetudo, si quando Romæ terra quaßaretur. Quæstio proposita, post multas historias allatas ex D. Gregor. D. Petro Damiano, tandem soluitur ad mentem Henr. de Assia, Baronij, & Tostati.

CAP. II.



SVNT aliqui inter pios, ac Sacris in litteris versatissimos, qui effectus adeò insolitos, horrificos, ac portentosos nuperrimè, olimque sæpè per interualla modò longiora, modò breuiora in Vesuuio, & alijs naturæ consimilis montibus suscitatos, & visos, perpetuò ad cælestem originem, idest, diuinam voluntatem referendos esse contendunt, tum quòd minimè soleant euenire, nisi calamitosis temporibus, ad mala varia, mortale genus, vel pro tempore affligentia, vel non ità pòst cruciatura, significanda; tùm quia Deus nobiscum iratus tali modo præfari, taliq. puniendi norma aduersùm delinquentes vti assolet. Id quod Ethnici Romani mente volutantes, si quando Romæ terra quassata fuisset, supplicationes in triduum decernebant, ferijs à Prætore indictis, præeuntibus Duumuiris, eoq. die terræ motum nemine pronunciante, tanquam fœdum, & abominandum quodpiam, velut Dei nomine, cui sacrum fiebat, minimè edito, quòd Pontifi-

Consuetudo veterum Romanorum, si quando Romæ terra quassaretur.

cum

cum libris traditum non esset, cuius Dei nutu, imperiouè terra moueretur. Super qua re legantur Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 27. & Rhodig. lib. 30. cap. 27. Quinimò

Mõtes, alijq. loci igniuomi curà Deo fabrefacti.

de nonnullorum eiusdem census hominum sententia, tales loci, & huiusmodi montes à Deo fabrefacti sunt, tanquàm ostia, seu portæ æterni ignis, per quas non modò ignis ipse sæuissimus, cunctisq. terrificus, ac non paucis funestus euo-

Ignis inferni & nostri similitudo, ac dissimilitudo.

meretur, quem Theologi corporeum, vt nostrum esse, ac eiusdem prorsus speciei affirmant, quantum ad naturam ignis pertinet, sed inquantũ ignis ille est instrumentum diuinæ iustitiæ, in multis ab hoc nostro differre dicit D. Tho. in 4. distinct. 44. verum etiam animæ infęlices æternis damnatæ supplicijs in teterrimum barathrum ingrederentur.

Ethnicorum opinio de ostijs Inferni.

Quæ opinio fuit quoque veterum Ethnicorum, vti ex eorum elicitur monumentis. Quippè Lucretius lib. 6. de Nat. sic ait.

A Lucretio posita, sed confutata.

Ianua ne his Orci potius regionibus esse
Credatur posta: hinc animas Acheruntis in oras,
Ducere fortè Deos manes infernè reamur.

Quam nihilominus Vates ille Epicureus, & cuncta in naturali ratione collocans, omninò aspernatur; sed non ità

A Plauto corroborata.

Plautus, qui absolutè sic loquitur in Trinummo. *Acheruntis ostium in nostro est agro:* ob pestilentem tamen loci il-

A vulgo credita.

lius conditionem. Vnde credo non solùm apud vulgum talia iactari, cui tantò magis verisimilia iudicantur, quantò ex eorundem montium intrà voragines mugientium fremitu, quasi gementium animarum lamenta se autumat au-

A Poetis sub Gigantum fabula adumbrata.

dire, (Quam rem forsitan sub fabulæ cortice contegere, & sub vmbræ veluti velamine nobis quoque innuere antiqui Vates volebant, dum in huiusmodi antris, profundisq. speluncis Gigantes habitare finxere, quos fulmine Iupiter percussit, quique cum eodem bellum, ac seditionem redintegraturi, vlulatus, ac ignes ingentes, & mista illis saxa, cineresq. longè, latèq. vibrare putarentur, quemadmodum & Virgilius, dum per Auerni cauernam, à Vesuuiana

non

non longè distantem, Aeneam suum Infernum intrasse fabulatur, Sibylla duce, vt ibi Anchisæ genitoris monita reciperet) sed etiam cordatis, & Fidei Catholicæ addictissimis viris probabilissimam censeri, admonitis præsertim nonnullis historijs, & exemplis, quibus tantæ rei veritas astrui posse videtur. [A Virgilio Aeneam fingente introduci in Infernum per Auernj speluncam.] Vnde Pacianus de Pœnit. & Confess. de Gehenna loquens ait. *Cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt, æstuat indefessis flammarum globis Aetna, & Libaniculus, & Vesuuius Campaniæ, & quo nobis Iudicij perpetuitatem probent; dissiliunt, deuorantur, nec vllis tamen sæculis finiuntur.* [A doctis pijsque viris, inter quos Pacianus æterni ignis fumariola Aetnã, & Vesuuium vocat.] Et Maiorinius in quartum Sentent. agens de generali Resurrectione, scribit, pòst diem Iudicij, Deum clausurum Mongibellum (sic Aetnam Siciliæ vocat) & alia foramina inferni, cùm tanta sit ignis illius, quem euomit, efficacia, vt vicina quæque loca comburat, & saxa ipsa quasi liquefacere, & in pumices, ac cineres redigere soleat. [Idem sentit Maiorinius.] Hinc propterea orta quæstio est apud Theologos, quæ habetur in Paradoxis Alphonsi Tostati, & in serie Peregrin. Quæst. Bartholomæi Sibyllæ, Ordinis Prædicatorum. [Quæstio apud Theologos de eademmet re.] *Si alibi, quàm in centro terræ, reperiantur in superficie terræ loca, in quibus animæ damnatorum pœnas luant.* Ad quam quidem ità illi respondent, quòd (vt Greg. dicit 4. Dial.) *Omnipotens Deus ad correctionem viuentium in hoc Mundo, in quibusdam partibus, in superficie terræ, quasdam damnatorum animas pœnas luere voluit ostendere, vt mentes infidelium, quæ Inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant.* [D. Gregorij sensus.] Et infert cap. 24. lib. vbi suprà, quendam sanctum heremitam, qui in Insula Liparæ Siciliæ morabatur, vidisse, quòd anima Theodorici Regis in ollam Vulcani ibidem ebullientem proiecta fuit per Ioannem Papam, & Symmachum Patricium, quos ille Rex antè occiderat, *Et iustè* (dicit ibi B. Gregorius) *ab illis in ignem mitti apparuit, quos in hac vita iniustè iudicauit.* [Anima Theodorici Regis in olla Vulcani per quos, & cuinam visa est proiecta.] Item in 3. cap. narrat de quodam Roma-

Historia cuiusdam Romani morti propinqui, & narratio eiusdem S.Greg.

Romano, cui in extremis laboranti apparuit nauis parata, qua ipse & quidam vicinus suus adducendi erant in Siciliam, qui statim post hoc fuerunt simul mortui: subiungens dicit Gregorius, *quòd ille moriens ad Siciliam se ducendum testatus est, quid sentiri aliud potest, nisi præ cæteris locis in eius terræ Insulis eructanti igne tormentorum ollæ patuerunt, quæ (vt solent narrare qui nouerunt) lassatis quotidiè finibus crescunt, vt Mũdi termino appropinquante, quantum certum est illic amplius exuiendo colligi, tanto & eandem tormentorum loca amplius videntur aperiri:* Hæc Gregorius. Ex ista autem narratione apparet, quòd per ollas Vulcani intelliguntur quidam putei flammiuomi, vel quædam cauernæ terræ flãmam spirantes sulphuream.

Vulcaniæ ollæ quæ sint, ac vnde sic dictæ, ex Isidoro.

Quare autem ollæ illæ Vulcano attribuantur, patet per Isid. lib. 22. Etym. dicentem, quòd iuxtà superstitionem Gentilium, Vulcanus in fornacibus fabrorum, quasi Deus ignis, habitare dicitur: & per ipsum figuraliter ignis intelligi solet; quem quidem propter multas vtilitates, quas homini confert (ab Isidoro ibi enumeratas) Gentiles eum Deum posuerunt, ipsum nominantes Vulcanum, quem tunc redire dicunt, quando ignis quasi tonitrua emittit, & scintillis strepit, & iterum Isid. lib. 15. dicit, quòd quædam Insulæ circa Siciliam, *Vulcaniæ* dicuntur, ex eo quòd ipsæ, sicut Mons Aetna, ardeant, & sunt octo, quarum nomina ibi ponit. Et prima *Lipare*, *&c.* Aetna verò est Mons ab incenso Sulphure, quo plenus est, flammas spirans. Et dicit Isidor. quòd mons ille habet ab ea parte, qua Eurus, & Africus flant, speluncas Sulphure plenas, quæ ventis illis agitatæ, & commotæ, flammas emittunt terribiles, itaque publicatum est à quibusdam ibi Infernum esse. Sed horum opinionem, illa, quæ præcedenter de situ Inferni dicta sunt, stare non permittunt; non enim omnis locus, in quo, vel à quo anima luit pœnam damnationis vsque in diem Iudicij, est principalis locus Inferni. Sed quidam sunt particulares, in quibus (causa nota Deo) quædam damnato-

Insulæ Vulcaniæ circa Siciliam numero octo. De Aetna quædam ex Isidoro.

Quęstio proposita quomodo soluenda ex sententia Henr. de Assia.

rum

rum animæ vſque ad diem iudicij pœnas luunt. Henr. de Aſſia ſuper Gene. Cum quibus omnibus mirum in modum conueniunt quæcumque apud Alphonſum Toſtatum loco citato, & præcipuè apud Card. Baron. diffusè tradita leguntur Anno Chriſti 81.& 983. de 2. aduentu Ottonis II. Imp.in Campaniam,atque Calabriam loquẽtem Tom.10. Vbi huiuſmodi Terræ faces, ex quibus iugiter ignis ſolet euaporare, veluti quaſdam Inferni portas, per quas delinquentium animæ inferrantur, iure in viſu monſtratas eſſe ait Sanctis viris,vt de anima Theodorici Arriani Regis Gothorum Gregorius tradit. Qui propterea nonnulla in poſtremo loco adducit exempla,digna prorſus quæ hùc afferantur, cuius tamen denique concluſio eadem penitùs eſt cum ſuperiori,ex Theologorum fundamentis elicita.Poſtquàm igitur Baronius dixit ad ſecundum Ottonis aduentum ſpectare certum eſſe, quod Petrus Damianus lib.1. Epiſt.9. ad Dominicum Loricatum narrat memoratu dignum, quod ſe accepiſſe teſtatur à Deſiderio Caſinenſi Abbate, qui poſteà fuit Romanus Pontifex, Vrbanus Secundus, ità ex Damiano ſubnectit. Porrò dum ſtyli huius exaro dictator articulum, ecce Deſiderius Religioſus Caſinenſis Monaſterij Abbas accedit, &c.qui mihi aliquandò narrauit, quòd ipſa ratio perſuadet, vt ſcribam. Seruus (inquit) Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe,iuxtà viam publicam habitabat ſolitarius, qui nimirum,dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram Cellæ horarum explorator aperiret, ecce videt multos nigros homines tanquam Aethiopes,iter carpere, & longo tractu ſarcinarios comminare; cumq. eos inquireret, qui eſſent, cuiuſuè gratia hæc iumentorum pabula deuectarent, Maligni (inquiunt) ſpiritus ſumus: hæc paramus non pabula pecoribus alendis, ſed fomenta potiùs ignium hominibus comburendis;præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulphum, qui iam decumbit, & Ioannem Magiſtrum militum Neapolitanę Ciuitatis,qui adhuc viuit incolumis.

Ità eam quoque ſoluit Card. Baronius.

Hiſtoriæ quędam piæ ex S. P. Damiano.

Pandulphi Capuæ Principis mors.

Illicò vir Dei præfatum Ioannem impiger adijt, quæ viderat, narrauit, his auditis, Ioannes ait; modò necesse est, nos Imperatori occurrere, & cum eo simul de huius terræ statu prouida consideratione tractare. Porrò, post Imperatoris abscessum, spondeo, quia & sæculum deseram, & monachichum habitum sumam. Vt autem probaret, vtrum verum esset quod ille narrabat, nuntium protinùs ad mœnia Capuana direxit, qui veniens Pandulphum iam mortuum reperit. Ipse quoque Magister militum Ioannes, antequàm istas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim superuixit. Quo mortuo, Mons Vesuuius, vnde videlicet gehenna frequentes eructat in flammas, erupit, vt liquidò probaretur, quia fœnum, quod à Dœmonibus portabatur, nihil aliud fuit, nisi ignis trucis incendij, qui prauis, & reprobis hominibus debebatur; Nam quandocumque in illis partibus reprobus diues moritur, ignis erumpere de prædicto monte videtur, tanquàm sulphureæ rasinæ congeries ex ipso Vesuuio protinùs fluit, vt torrentem faciat, atque decurrente impetu in mare descendat. Enimuerò & Salernitanus Princeps, huius videlicet Guaimarij, æquè Principis, qui ante non plures annos pro multis violentijs, atque tyrannicis oppressionibus, suorum gladijs peremptus est, auus, cum procul aspexisset quadam die de prædicto monte Vesuuio piceas, atque sulphureas repentè flammas erumpere, protinus ait. Proculdubio sceleratus aliquis diues in proximo moriturus est, atque in Infernum descensurus. Sed ò cęca mens reprobi hominis, imò super nos terribile iudicium Conditoris. Superueniente siquidem proxima nocte, dum securus cum Meretrice concumberet, expirauit, quem illa (vt postmodum referebat,) quid contigisset ignorans, diutiùs pertulit, & vix tandem à se non hominem, sed cadauer exanime prostituta deiecit. Quibus cognitum est, non reprobos tantùm diuites, sed carnis putredine inquinatos, ac denique peccantes omnes quouis genere mortalium peccatorum

Et Magistri Militiæ Ciuitatis Neapolitanæ.

Post amborum interitũ Vesuuius flãmas eructauit.

Idem solitus facere ille mons in morte alicuius viri diuitis, aut Principis Tyranni.

Salernitani Principis mors violenta, postquam Vesuuij faces erumpere visæ sunt.

rum, ac sine pœnitentia morientes, gehennæ subituros fore supplicium. Nam quomodo eandem pœnam passus sit presbyter arrogans, eiusmodi idem Petrus mox historiam subijcit, dicens. Quod prætereà in Neapolitanis partibus presbyter volens certiùs, quàm non licebat, addiscere, illùc, vbi gehennale barathrum feruentius eructabat; præsumptoria decreuit audacia propinquare. Missarum igitur solennia celebrauit, sicq. infulatus, velut armatus iter arripuit: Sed dum vltrà quàm solebant homines, temerarius scrutator accessit, redire non valens, postmodum non apparuit: Alius verò presbyter matrem suam Beneuenti reliquerat ægrotantem. Cumq. per Neapolitanos fines Domino suo comitatum præberet, exũdantibus flammis intendens, clamorem lugentis audiuit, quem suæ matris esse procul dubio cognouit. Notauit horam, & tunc euidentissimè comperit, matrem fuisse defunctam. Huc vsque Petrus Damianus; Licèt autem posticè magis, quàm Theologicè credita sint eiusmodi ora terræ euomentia iugiter flammarum globos, esse Inferni portas, & quod idem ignis sit ille Inferni peccantibus præparatus, atque id scripsisse reperiantur antiqui Theologi non vulgares, vt aliàs superiùs meminisse recolimus: tamen certum, ista potius similitudinem gerere illius gehennæ, mortalibusq. in exemplũ, vel indicium posita gehennalis ignis illius, qui sine luce ardens animas simul comburit, & corpora, cui tantùm peccata fomenta ministrent, &c. hæc Baronius loc. cit. *Sic igitur patet*, inquit Tostatus, *nulla esse Inferni ora, seu portas locales, vt vulgus existimat, qui cũ animarum gementium lamenta ex voraginibus montium audiri dicunt, more suo faciunt, vt plura sibi faciliùs, quàm Poetæ solent, fingant, quibus propterea minus quàm Poetis credendum est; nam Poetæ sciunt quid fingant, populus autem quod dicit, ignorat.*

Presbyteri arrogantis historia miserabilis.

Alterius, qui Matris animã ad Vesuuij flammas lugẽtem agnouit.

Conclusio ex Baronio.

Ex Alphonso Tostato.

Aetio-

Aetiologia Iatro-physica, hoc est, sermo de causis prædictorum effectuum in Vesuuio, iuxtà Philosophorum, & Medicorum placita. Vbi primùm ostenditur, non impossibile esse de rebus Physicis haberi scientiam, contrà Heraclitum, & Academicos: Deindè causa affertur tonitrui cum Aristot. contrà Empedoclem, & Anaxagoram, & post hanc, de causis terræ motus oratio inchoatur, & priùs examinantur opiniones Anaxagoræ, Thaletisq; & ambæ reprobantur. Vbi ad mentem Platonis, & Ouidij, de terræ immobilitate, ac rotunditate peragitur. Et denique respondetur iterùm ad loca Esaiæ suprà citata, quibus eum rotunditatem, & motum cælestibus Orbibus denegare, quidam malè censent.

CAP. III.



Ad diuinas causas mens hominum caligat.

OMISSIS causis remotioribus, & secretioribus, nempè diuinis, quæ sunt suprà humanum captum, & superant sensus nostros, ad quas re vera mens hominum caligat, quarum scilicet Deus sapientiam sibi reseruauit, ad physicas tandem, ac meteorologicas calamum vertamus. Sed interim, si quærat à me aliquis, cur astronomicæ non adhibentur, quibus Astrologiæ dediti tantam fidem habent, & iuxtà quorum placita motus terræ, hiatus, & incendia, vi syderum, multi fieri existimant, respondebo, me partem hanc relinquere Babylonijs, aut Chaldæis, quorum regio cùm à Virgine regatur, & Mercurio, ideò

Astronomicæ causæ cur nō adhibentur.

ideò antecellunt cognitione mathematum, & obseruatione motuum cęlestium, & syderum, auctore Ptolemæo 2. Quadrip. præcipuè verò, quoniam id muneris, inter alios, quos videre mihi contigit, hodie præstitit egregiè Lanelphus in sua de hac Vesuuij flagrantia Narratione, vbi tres annotat figuras, primam Magnæ Coniunctionis 1623. mēse Iulio. Secundam Eclipsis Solis, quæ fuit 24. die Octobris 1631. cui ipse causam naturalem præsentis incendij maximè attribuit, & tertiam Principij eiusdem incendij 1631. mensis Decembris. Quas figuras iam typis traditas facilè obseruare poterit Lector Astronomicæ disciplinæ studiosus, & nos interim causas adeamus naturales dictas, quæ à Physiologis, ac Meteorologis considerari solitæ sunt, arduas quidem, & perobscuras, sed non vsque adeò, vt ad earum agnitionem perueniri haud possit. Verum est enim quod Sanctus Thomas 1. par. quæst. 84. ex Aristot. doctrina 4. Metaph. cap. 5. tex. 22. contrà Heracliti sententiam docet, nempè de rebus physicis & si tam essent mutabiles, quàm putabat ipse Heraclitus, adhuc tamen posse haberi scientiam. Vnde antè eum Tertullianus in lib. de Anima notat Academicorum cæcitatem, quòd sensibus fidem omnem abrogando, naturæ ordinem turbauerint, & Dei prouidentiam reprehenderint, quasi rebus intelligendis, ac dispensandis fallaces, & mendaces internuncios sensus præfecerit. Concedam nihilominus & ego non inuitè, difficillimam esse prouinciam, inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, vel testimonio Salomonis cap. 1. & 8. Ecclesiast. cum omnia incerta ratione, & in naturæ maiestate abdita sint, quorum veram scientiam Deum sibi reseruasse, Dæmonibus opinionem rectam, hominibus verò lubricam tantùm, & ancipitem concessisse Plato aiebat, vt nemo profectò sit, qui non liberè fateatur, maximam partem eorum, quæ homines sciunt, minimam esse eorũ, quæ ignorant. Quamobrem, vt omnium, ac singulorum euentuum, & accidentium, quæ in hoc, & in antè editis

Vesuuij

Tres Figuræ Astrologicæ.

Prima Magnæ Coniunctionis.

Secunda, Eclipsis Solis.

Tertia, Principij incendij.

De rebus physicis quãtumlibet arduis haberi posse scientiam, contrà Heraclitum, ex D. Thom.

Contrà Academicos, ex Tertulliano.

Difficilis tamen prouincia, & vnde, cum Salomone.

Cum Platone.

Vesuuij incendijs, ac terræ motibus contigere, originem, probabilesq. causas nanciscamur, prout ingenioli permittet hebetudo; oportet priùs in genere loqui de natura, & causis terræ motuum, tonitruorum, fulminum, vaporum, & tam simplicium, quàm ignitarum exhalationum, quæ è terræ latebris quasi fumariolis euibratæ, cum saxis, ac cineribus varij generis, aquisq. ardentibus permixtæ, tot portentosa euenta, totq. infanda damna inferre consueuerunt. Vt itaque terræ motus tam præsentis, quàm cæterorum naturam per modum generationis, & causas omnibus communes delineare valeamus, cùm cæli tonitrus tantam habeat cum terræ motu affinitatem, ac similitudinem, vt vnum, & idem esse videantur, si loci solùm adhibeatur discrimen, ea propter nunc notandum breuiter prius est quidquid tonitrui naturæ, & modo generationis eius congruere iudicabo, & mox stylum ad terræ motum conuertam. Prætermissis igitur multis opinionibus, quæ sunt apud Aristotelem 2. Meteor. cap. vlt. apud Senecam lib. 2. cap. 7. Quæst. Natur. & Plutarchum lib. 3. de Placit. cap. 3. tantummodò referam Empedoclis, & Anaxagoræ opinionem, quæ fuit, tonitrum fieri extinctione ignis nubibus intercepti, non aliter, ac dum candens ferrum in aquam demergitur, quia tunc fumidus vortex voluitur, sonitusq. auditur; Quæ tamen amborum Philosophorum opinio conuellitur ex eo, quòd si tonitrus fieret extinctione ignis in nube, non cerneretur à nobis ignita coruscatio, sed fumida semper, & atra, cui rei obstat experientia: Quare paucis dicamus de mente Aristotelis, si exhalatio (de cuius essentia non multò post agemus) ad mediam aeris regionem eleuata, ibi à magnis, & ad latera crassis, densisq. nubibus, velut frigido indumento, suæq. naturæ contrario circundatur, in sese colligitur, fortiorq. euadit, ratione antiperistasis, quæ per densa nubium coria diffugere dum nititur, iam vel ipsa antiperistasi, vel motu, vel vtraque causa magis calefacta, & rarior reddita, necnon ob id amplio-

Empedoclis, & Anaxagoræ opinio de tonitrui causa, ac generationis modo.

Confutatio.

Aristotelica.

ampliori ſpacio indigens, cum exitum non inueniat, quia nubes magis,magiſq. frigore coarctatæ ſunt,ictu vehementi in inferiorem illarum partem, quæ debilior eſt, impingit, eamq. diſrumpit, in qua nubium agitatione, confractioneq.ingens ille ſonitus emittitur, quem tonitrum appellamus. Quæ pauca de tonitrui cauſa clariora apparebunt ex adducendis, ac examinandis in hoc, & alijs ſubſequentibus capitulis, de cauſis terræmotuum,quæ interim lumen & ipſæ aliquod accipiunt ab eadem tonitrus cauſa breuibus explicita. Acturi itaq. de terræ motuum cauſis, & id iuxtà Ariſtotelis potiſſimùm ſententiam, atque doctrinam, antequàm ad hanc accedamus, pro tantæ rei clariori intelligentia,neceſſarium iudicamus, nonnullorum veterum Philoſophorum opiniones breuiùs, quàm fieri poterit, annotare, & ad penſum ſimiliter adducere,vt omnis (ſi fieri poterit) dubitandi occaſio de medio tollatur, & Ariſtotelica ſententia in dies magis, magiſq. effulgeat. Anaxagoras ergò in ea fuit ſententia, quòd terra amplam ſimul, & latam faciem, figuramuè obtinens, talis formæ beneficio,ſuſtentetur ab aere, & aqua, eo prorsùs modo, quo in latitudinem protenſa corpora in aquis præcipuè ſupernatant. Inſuper quòd terræ pars, quam nos inhabimus, ſuperior ſit, & huic oppoſita,inferior, nec non pariter affirmabat,partem hanc noſtram congeſtam eſſe, & ſolidam redditam à pluuijs perennibus, quæ illam in vnum denſant,ac firmant, alteram verò, nempè inferiorem, foraminulentam, & cauernoſam eſſe, ex quo ipſe dicebat, cum ignea ſubſtantia in aere terræ inferioris reperiatur, cumq. ſuaptè natura ſemper ignis ſurſum migret, dum eam ſubire, ac penetrare ab infima regione per partes fungoſas, & foraminibus peruias incaſſum ſubinde tentat, quòd terræ corpus denſum nimis, & conſtipatum inueniat, in eo niſu,in ea lucta cum terra, hanc dimouere, & concutere eo violento motu,quem terræ motum dicimus. Veruntamen hæ omnes poſitiones abſurdæ habentur, &

Anaxagoræ opinio, ac variæ poſitiones de cauſis terræmotuum.

vanæ, Ideò prior ex eo refellitur, quòd terra non lata, sed rotunda existit, iuxtà scilicet physica illa Ouidij carmina lib. 6. Fast.

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa
Aere subiecto tam graue pendet onus
Ipsa volubilitas libratum sustinet Orbem.
Quique premat partes angulus omnis abest;
Cumque sit in media rerum regione locata
Et tangat nullum, plusuè, minusuè latus;
Ni conuexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terræ mundus haberet onus.
Arte Syracusia suspensus in aere clauso
Stat globus immensi parua figura Poli,
Et quantum à summis, tantum secessit ab imis
Terra, quod vt fiat, forma rotunda facit.

Refutatio ex terræ rotunditate per Physica Ouidij carmina, hausta in primis è mellifluo Platonis fonte.

Quam doctrinam neutiquam vereor, quin Poeta hauserit à diuino Platone, qui in Phædone scribit, persuasum sibi esse, primò si est terra in Cæli medio rotunda, nihil ei opus esse, vel aere, vel alia necessitate eiusmodi, ad hoc vt nunquam decidat; Sed ad eam sustinendam satis id esse, quòd & Cælum vndique sibi ipsi simillimum est omninò, & terra vndique æquilibris. Res enim æquilibris in similis alicuius medio posita, nec magis, nec minùs potest in partem aliquam inclinari: Cumq. similiter se habeat, ab inclinatione permanet aliena. Vt vanum sit cogitare, eam suspensam in aere, & aquis manere, beneficio formæ, aut figuræ latæ, & expansæ; Quinimò dato etiam, quòd terra lata esset, quis tantum eius pondus ab aere, & aqua teneri credet, ne ad ima subsideat? Rotundam verò esse terram iam receptum est ferè apud omnes, sed ea rotunditate, quam alibi diximus, non vndequaque perfecta, & ad mathematicam subtilitatem exquisita, propter valles, & montes, quæ ambo exactam rotunditatem in ea impedire videntur; Cuiusmodi rotunditas conuenit corpori depressiones, & eminentias habenti, quæq. nihilominus, præ

Rotunditas terræ quomodo accipienda.

illius

illius magnitudine, nihil momenti habent, vti nec censentur rotunditatem eius præpedire. Sphæricam verò terræ figuram præ cæteris adstruit, quòd longum nos iter facientes, locaq. mutantes, non eundem semper obseruamus Horyzontem, non eundem habemus Polum, vt nec illam Stellam, quam Nauigantes *tramontana* vocant; quemadmodum etiam magnoperè confirmat Solis, ac Lunæ Eclipsis, quæ cum aspectui priùs populorum plagæ Orientalis, quàm Occidentalis exhibeatur, demonstrat nobis id non aliunde contingere, nisi quia terra sphærica est, quamuis non adeò exacta rotunditate, quanta cælestes præditi sunt orbes (tametsi aliter sentire videantur grauissimi Scriptores apud superiùs citatum, imò confutatum Cæsarium) quippè qui, vt præstantissima, mirandumq. in modum ordinata natura à summo Deo fabrefacti, ità quoque figura exquisitissima, omniumq. perfectissima, qualis est verè sphęrica, circumornati fuerunt, qua excellentiori rotunditate terra caret, quia infimum est elementum, & veluti mundi fex. Neque contrà de Orbium cælestium sphęrica forma assertionem facit obiectio locorum Esaiæ, quorum facta mentio lib. 1. cap. 1. quibus, præ alijs, Cæsarius, frater D. Greg. Nazianzeni, suffultus, nō dubitauit asserere Cælum, nec globo simile esse, nec motu agitari; Quippè Esaias ait, Cælum præseferre speciem, vel formam magni fornicis, aut laquearis, respiciens tantùm partem illam, quæ semper ad nostrum apparet Hemisphęrium; qui similiter dixit, Cælum immotum, ac fixum stare, quoniam, secundùm se totum si consideratur, rectè nunquam locum mutare traditur. Insuper negligenda, altera obiectio nonnullorum, qui dicunt, si terra sphęrica est, & quaquauersum aere, & aqua (quæ sunt admodum rara corpora) circumdatur, quomodò stat sic immobilis in Mundi centro, vt non in vnam magis, quàm in aliam partem inclinet, & tota in profundum abeat? Quandoquidem, sicut quæuis terræ portio

Vnde dignoscatur.

Cælestes orbes exactissimè sphærici.

Responsio ad loca Esaiæ quibus, & rotunditatem, & motum Cælo denegare videtur. Terra non item, sed tamen rotunda.

Obiectio in oppositū diluitur.

quantumuis minima deorſum ſemper vergit, ac tendit, abſque eo, quòd ab aere, aut aqua ſiſtatur, item hoc facere deberet vniuerſa hæc terræ moles; Siquidem terra immobilis perſtat in medio omnium elementorum, quia cum ſit motus totius corporis eius, vti eſt ſingularum eiuſdem partium, quæ petunt centrum, pari ratione terra tota ſuum verſus centrum tendat oportet; At quoniam in eodem illo loco, ad quem quodlibet corpus inclinat, libenter etiam ex propria natura moram facit, ac reſidet, idcircò terræ corpus naturaliter centrum petens, in eodem pariter ſuoptè ingenio quieſcit, atque moratur. Sed inſuper dato, quòd terra non quieſcat, & moueri debeat, quæret hìc aliquis, quonam motu cieatur, & verſus quam mundi partem. Certè non motu recto, quia euenirent in primis omnia illa incommoda, quæ Philoſophi ponunt, ſi alius eſſet terræ ſitus, præterquàm in medio, deinceps ſequeretur, vt Cælum verſus, & aerem, quæ ſupra nos ſunt, moueretur, & hoc pacto aſcenderet, cum omne, quod à centro diſcedit, aſcendat, ſed id repugnat terræ naturæ, cùm, vt grauis, deorſum feratur. Nec circulari præterea motu terra cietur, vt potiſſimùm ex eo patet, quòd ſi à Septentrione ad Meridiem circulum faceret, ſequeretur aduerſus quotidianam animaduerſionem, vrbes ſingulis horis mutare diſtantiam ad Polos, nec non eos, qui modò Arcticum aſpiciunt, deinde Antarcticum intueri, ſicut eũdem terræ tractum nunc ſub Polo algere pruinis, nunc ſub Aequinoctiali ardoribus torreri. Ne ſileam, quòd ab Aſtronomiæ peritis certò tradi minimè poſſet, qua hora in Italia, aut alia Regione Solis, vel Lunæ Eclipſis exhibenda eſſet, cum Planetarum, Syderumq. aſpectus pro Hemiſpheriorum diuerſitate varientur. Quod ſi terra circumageretur, aſſiduè incolæ eius Hemiſpheria commutarent. Præterea dato Anaxagoræ, quòd terra moueri deberet, profectò, vt non valdè ante dicebam, nec Cælum, nec aerem verſus cieretur, quoniam ità ſurſum conſcenderet, id quod

Terram motu recto non moueri, & cur.

Non circulari, aut in orbem, & quã ob cauſam.

natu-

naturali eius repugnat grauitati. Vnde ſic dico, quòd à parte nobis oppoſita, aut quauis alia, cùm terra ſphęrica ſit, & circum ambiatur ab aere, & aqua, ſi moueri deberet, ſanè Cælum verſus ſemper moueretur; At hoc impoſſibile eſt; Ergò etiam impoſſibile quòd moueatur, ideòq. in perpetua manet ſtabilitate, quam iuuare dicuntur duo mox ſignificata elementa vndicunque terram circumuallantia, quæ tam grande corpus, tamq. ingentem molem (vnde extrema ſibi ipſis pernicies acceleraretur) propria loca ingredi, & occupare non permittunt, vt idcircò neceſſe ei ſit, in medio illorum conſiſtere, & in meditullio immobilem quieſcere. Cùm igitur & ſtabilis, & ſphęrica terra ſit, dici nullo modo poteſt, quòd eius pars inferior ſit, quæ nobis eſt oppoſita, &, viceuerſa, ſuperior, quam incolimus, ſed inferior erit locus ille, quò ſuaptè natura vergunt grauia quæque, ibi quieſcendo, quod centrum terræ exiſtit, ſuperior autem eſt alter locus, quò pergunt, & vbi morantur ſuoptè ingenio quæcunque leuia ſunt, & hoc Cælum eſt. Quamobrem, ſi ignis ſubſtantia illius aeris, qui eſt è ſitu regionis terræ nobis oppoſitæ ſurſum proſilire contendet, quemadmodum volebat Anaxagoras, in Cælum profectò illud aſcendet, quod eſt nobis oppoſitum, non autem id id, quod ſuprà nos circumagitur, quia nimirum, ſi in hoc noſtrum aſſurgeret, neceſſe omninò foret, vt per medium terræ corpus, quaſi per diametrum tranſiret, neceſſarioq. prius ad eiuſdem centrum pertingeret; Qua ratione deorſum, & inferiùs deſcenderet, non autem in altum, & ſublime eleuaretur, quod illius naturæ penitùs contrariatur, pugnatq. aduerſus Anaxagoræ ſuppoſitum. Ad hæc, ſi verum eſt, quòd concutiatur, dimoueaturuè terra à magis ignea aeris ſubſtantia, quæ cauernoſa eius loca ſubintrat, cùm aer ipſe ſemper terram circiter moueatur, ſurſumq. petat, terra verò, vt idem opinatur, perpetuò ſuprà aerem perſiſtat, continuò ergò dimoueretur, vel ſaltem tota ſimul, nec magis in vna, quàm in alia parte, præ-

Terræ ſtabilitatem quomodo iuuare dicuntur aer, & aqua.

præterquàm quòd, si talis vera foret opinio, occultaretur omnis accidentium terræ motus cognitio, velut cur in vno magis, quàm in alio contingat loco, & cur potiùs hoc in anni tempore, quàm in illo. Constat enim nō solùm Aristotelis auctoritate, sed experimento ipso, quædam loca esse magis, aut minùs terræ motibus exposita; nec non huiusmodi motus, licèt fieri, vt de morbis narrat Hipp. in cunctis possint anni temporibus, in quibusdam nihilominus, vt Vere, & Autumno, frequentiùs, & vehementiùs gigni, ac desæuire. Relicto itaque Anaxagora, transeamus ad alios. Thales Milesius, qui rerum omnium primordia in aquam refundebat, & ab eius elemento cuncta manare credidit, in qua opinione etiam Homerus fuit, causam terræ motuum in aquam referebat, dicens, terram quasi nauigium aquis innatare, & tunc tremere, cùm procellis, ac tempestatibus quoquouersum, iactante salo, rapitur, vtque nauis in alterutram partem decumbens aquam excipit, ac intrò haurit, sic terram motam, & concussam magnam laticum vim sorbere; quod in causa esse dicebat, vt vehementiores terræ motus nouas fontium scaturigines aperiant, & inundationes, reseratis specubus, erumpant. Quæ Thaletis opinio & ipsa fuit iampridem reiecta, quippè quæ Poesim magis olet, quàm Philosophiam. Dum enim ipse vult, idcircò terræ molem non ruere, quòd aquis fulciatur, liceat nobis quærere, ac petere ab eo, quidnam aquas ipsas sustentet, & quonam pacto terra, quæ multò grauior, & ponderosior est, fluido aquæ elemento fulciri queat. Vnde receptum apud omnes, terram aquis neutiquam supernatare, cum sit aquis valdè grauior, ac mundi centrum occupet; ne taceam, quòd, si motu maris & innatatione agitaretur, necesse foret, vt crebrioribus motibus quateretur, nec esset in mari tempestas, cui terræ tremor non associaretur, vel succederet, cui tamen rei experientia non respondet. Quæ pro hoc Capit. satis dicta sint.

Thaletis Milesij opinio.

Eadem reiecta.

De

De eadem materia aliæ Philosophorum opiniones, & in primis existimantium Terram esse animatam: deq; eius cum Humani corporis effigie similitudine, apud Senecam. Deinceps Democriti, Anaximenisq; necnon Auctoris Zodiaci vitæ hum. quarum aliæ prorsùs refelluntur, aliæ non vndequaque damnandæ videntur, postrema verò commendatur. Vbi an Lucretius de Vesuuij montis motionis, & flagrantiæ causis locutus fuerit, contrà eruditissimum Capacium disseritur.

CAP. IV.

ALII fuere antiqui Philosophi, qui terram animatam esse autumantes, hanc habuerunt opinionem, quemadmodum in humano corpore, dum nullam patitur intemperiem, imò vndique bona, & integra fruitur valetudine, arteriarum imperturbata mobilitas, rythmum omnem, & harmoniam seruat, & venæ, quibus tanquam tubis, & canalibus sanguis vehitur, & quoquouersum deerrat, nullam sentiunt turbationem; vbi verò aliquid aduersi, ac præter naturam corpori accidit, opposito modo res habet; sic terram, dum in naturali manet positione, & spiritus intrà eam inditus, & clusus hùc illùc æquabiliter funditur, nullis commotionibus obnoxiam esse, nullisq. motibus concuti; At si ingenitum illi situm, locumq. amittat, permutetuè, & spiritus, arterijs, vel meatibus occlusis, nequeat vltrò, citroq. commeare, tunc reuerberatam contremiscere. Quod placitum, cuius gratia Terræ vita adstrui-

adstruitur, scio equidem iam explosum, & à Philosophorũ Scholis eliminatum; attamen non possum non affirmare concinnam admodùm, & accommodatam esse rationem, quæ à nostri viuentis corporis similitudine depromitur, quippè quæ meo hac in Exercitatione argumento mirum in modum correspondet. Vnde corde laborante, vel febri, vel tremore, dictauè palpitatione, tam systoles, quàm diastoles ordo peruertitur, crebritate, frequentia, inæqualitate tum febrili nuncupata, tum sistematica, & interdum tremore percitis arterijs. De ità censentibus Orpheus quoque fuisse legitur, qui & ipse suspicabatur fieri haud quaquam posse, quin terra spiritum haberet vitalem, cum ex ipsa nascentia, vti plantæ, arbores, & animantia, vitam sortiantur. Neque enim, dicebat, illam posse cæteris actum vitæ præbere, nisi prius in se vitalem spiritum contineret. Illustratur doctrina hæc ex ijs, quæ leguntur apud Senecam lib. 3. Nat. Quæst. cap. 15. ostendentia, in elemento terræ adumbratam quandam humani corporis effigiem; quæ pariter inuenitur in lib. de Elem. quem Carpentarius latinitate donauit; Ante omnia siquidem, velut in nostro corpore venæ sunt, & arteriæ, illæ sanguinis, hæ spiritus conceptacula, sic in terra aliæ videntur esse viæ, per quas latices, & aliæ per quas spiritus, nempe aer excurrunt. Prætereà, vt in nobis cruor, pertusa vena, tamdiu manat, quamdiù totus effluxit, aut vena interclusa est, aut sanguis ipse retrò pulsus; Sic in terra, patefactis venis, riuus, aut fluuius effunditur, vsquequo aqua consumpta sit, seu aliquo obstaculo iter præpeditum. Insuper, vt nostro in corpore aliquæ partes duriores sunt, velut ossa, quædam molliores, vti cerebrum, vti medullæ, sic in terra quædam natura durantur, vt metalla, & lapides, quædam liquefiunt, sicut Sulphur, Bitumen, cæteraq. huius censûs. Tandem, vt in nobis tertiana, quartana, quotidianaq. ex morbidis humoribus, statis periodis, & ad horas veniunt, vtq. Asthma, & Podagra ad tempus respondent, sic aquæ terræ visce-

Corde laborante, mutatio in systole atque diastole.

Orpheus vitalem spiritũ cur terræ nõ denegabat.

In elemento terræ adumbrata quædam humani corporis effigies.

viſceribus deliteſcentes quodam tempore ſe reddunt, alio retrahunt; nunc ſcaturiunt, nunc reconduntur; E quibus omnibus nemo eſt, qui non videat, quanta ſaltem ſit terræ cum noſtro corpore ſimilitudo[1]. Democriti verò opinio fuit, cùm aqua pluuia terram ſubintrat, & eius crateribus, atque cauernis capi non poteſt, vi repulſam, terræ motum facere, vel cùm terra ſit in ſuis cauernis, & ſpecubus intimioribus multùm arida, ſuperueniente aqua, dum partes ſinuoſæ, & laticum expertes, aquas pluuias ab extrinſecis locis pertrahunt, ad infernas cauitates illa defluens magno cum impetu, terræmotum efficit. Quæ Democriti opinio minimè probatur, quòd nulla ſit ratio, cur ille aquarum fluxus tam vehemens exiſtat, vt terram tantis motibus conquaſſare valeat, cum videamus non rarò mare, & flumina, aquarum illuuiem in terram, quam incolimus, euomere, indeq. percuti terram ad oras maritimas, & littora exiſtentem, ſed citrà vllum penitùs tremorem. Quinimò conſtat fluctuantis Oceani reciprocationem, atque procellas, quantolibet impetu terram verberent, minimè eam dimouere; tantò minùs ergò eam demouebunt aquæ minori cum impetu, & per anguſtiores ductus in eiuſdem cauernulas dilabentes, quemadmodum nec copioſæ, largæq. pluuiæ, licet confertim, ac impetuosè de Cælo emiſſæ, vllam in terra pariunt commotionem. Ideò neque hæc ſententia Philoſophis arridet. Anaximenes Thaletis conciuis probabiliorem, ni fallor, cauſam in medium affert, quam argutè, ac luculenter ediſſerit Seneca lib.6. Natur. Quæſt.cap.10. nec non Lucretius lib.6. de Natura. Et eſt, quòd terra ipſa ſuæ commotionis cauſa exiſtat, quatenus videlicèt intra ſe exeſa, & labefactata præceps voluitur, & in profundas decidit cauernas; vnde ſic loquitur Lucretius.

Democriti opinio proponitur.

Refellitur.

Anaximenis opinio à Seneca laudata.

à Lucretio.

Terra ſuperna tremit magnis concuſſa ruinis
Subter vbi ingentes ſpeluncas ſubruit ætas,
Quippè cadunt toti montes, magnoq. repentè

Concuſſu latè diſcerpunt; inde tremores,
Et meritò, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta viam propter, non magno pondere tota.

Ab Auctore non penitus damnata, & cur.

Quæ opinio non videtur adeò criminanda, cum non ſit à ratione alienum, terram interdum quati, ſi intrà ipſam aliqua ingens moles præceps deuoluatur, ex ſubitaria ruina; Quam cauſam crediderim ego in his maximè igniuomis montibus locum aliquandò habere, quia cum intùs foueant ſiccas exhalationes, imò & igneas flammas, licèt non ſemper extrà micent, ac noſtris pateant oculis, hæ ſenſim perenniterq́. terreas, & lapideas moles, velut ad latera, ſeu partes quaſdam non adeò compactas, nec adeò reſiſtentes exedendo, & earum compagem aduſtione ſoluendo, caſum illis ad pręcipitium moliuntur, quarum verberatu mox concauus mons concutitur, cui & vicina loca partium cõtinuitate compatiendo, ſimul tremunt, & conquaſſantur. Quam rem mirè delineat, & elegantiſſimè explicat paulò

Senecæ verba.

antè adducto loco Seneca cum ait: *Ex terra quædam partes decidunt, quas aut humor ſoluerit, aut ignis exederit, aut ſpiritus violentia excuſſerit; Sed his quoque ceſſantibus non deeſt propter quod aliquid abſcedat, aut reuellatur. Nam primùm omnia vetuſtate labuntur, nec quidquam tutum à senectute eſt. Hæc ſolida quoque, & magni roboris carpit.* &-paulò poſt. *Primùm dum abſcedunt, deinde cùm deciderunt, ſolido exceptæ reſiliunt, pilæ more, quæ cùm cccidit exſultat, ac ſæpiùs pellitur toties à ſolo in nouum impetum miſſa, &c.* Verùm tamen & hæc opinio minimè admittitur, multis de cauſis;

Quare eiuſmodi opinio non admittitur.

Primùm, quia terræ motus cauſa ab Anaximene tradita non omnibus quadrat terræ motibus, vt per ſe abundè patet; Deinceps, quia ſi terræ motus fit à terræ agitatione facta propter ſiccarum partium, quæ in profundo ſubſident, caſum, cùm delapſæ molis ſonitus, & fragor remotiùs perſentiatur, quàm commotio, eo quòd ſonus locali motu ſpiritalior eſt, hinc ideò ſequeretur, quòd ſemper in terræ

motu

motu, vehementior, & longinquiores in partes audiretur ſonitus, & bombus, quàm ſentiatur motio. Quod falſum cum ſit, quia multis in locis ſentitur terræ motus, nec vllus auditur ſonus, vel ſtrepitus; Ergò. Prætereà, ſi hæc opinio vera foret, vt, quemadmodum colligitur ex Seneca, partes in ſe concidant, nimia nunc ſiccitate, nunc humiditate præcipitium moliente, & inde terræ motionem, dicendum eſſet, quòd in omni immodica cùm ſiccitate, tùm humiditate perpetuò orirètur terræ motus, &, vbicumq. is contingeret, terra hiatibus abſorpta appareret, quod ſanè minimè obſeruatur. Attamen, dato etiam, quòd huiuſmodi cauſa, vel ratio veritatem in ſe habeat, non eius tamen roboris eſt, quod omnibus accidentibus ſatisfacere valeat, cum per talem opinionem minimè poſſit aſſignari cauſa, quamobrem locus aliquis magis ſit terrę motui obnoxius, quàm ſit alter, tametſi eandem ſiccitatem, & humiditatem patiatur. Item, ſi terra aſſiduè propter pluuias, & ſiccitates dehiſcit, & cadit, cùm, ob huiuſmodi caſum perennem, neceſſe ſit alteram è partibus ſuper alteram corruere, iunctimq. inter ſe coaleſcere, atque denſari, hinc inferendum aliquando terræ motum ceſſaturum, &, vbi ſæpiùs accidit, ampliùs ibi ſentiri non debere: Verùm hoc quotidianæ eſt contrarium obſeruationi, imò & impoſſibile cenſetur; igitur etiam impoſſibile erit, quòd ab huiuſmodi cauſa terræ motus oboriatur, idq. eo magis, quò falſum eſſe ſcimus, eum propter pluuias, & ſiccitates ſimpliciter naſci; quoniam, ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, per Aeſtatem, & Hyemem frequentiores, & maiores fieri terræ motus, quàm in alijs anni temporibus, & nihilominùs abundè conſtat, cùm Ariſtotelis auctoritate, tum experientia, eos maiori ex parte in Autumno, & Vere perſentiri. Quamobrem hæc, & aliæ huiuſcemodi Philoſophorum opiniones longiùs à nobis ablegentur, & ad Ariſtotelica fundamenta, quæ, omnium melioris notæ conſenſu, ſtabiliora, & probabiliora iudicantur, deſcendamus: Sed interim nolo hoc in

Propter pluuias, & ſiccitates terræmotum non gigni.

Auctoris Zodiaci vitæ hum. opinio cōmendata.

loco prætermittere sententiam Auctoris Zodiaci vitæ hum. qui sanè inter Poetas hac super re propiùs ad Aristotelis mentem accedit, lib. 11. in Aquar. quibusdam in carminibus elegantissimis, quæ tamen miror Capacium, alióqui eruditissimum, attribuere Lucretio, qui de Vesuuiani terræmotus, & incendij causis ne verbum quidem fecit, & apud quem talia carmina alicubi exarata non adinueniuntur, licèt quæ de Aetna, aut potiùs de toto Auernorum genere ab eo scribuntur, Vesuuio pariter conueniāt; Quippè qui (ni fallor) in ea floruit ætate, in qua huiusmodi Mons omninò quiescebat, & nullum flagrantiæ signum edebat, præseferens tantùm indicia antiquæ suæ inflammationis à Diodoro Siculo, & Strabone literis tradita, & à me alibi relata; Vixit enim Lucretius paulò antè Ciceronem, & Historici nominati, Augusto, ac Tiberio imperantibus, qui dum ambo scribunt quondam arsisse Vesuuium, clarè monstrant nobis, nisi à plurimis retrò annis incendia in eo minimè facta fuisse. In qua sententia eo magis confirmor, quò versus ille, qui ad extremum habet.

Capacij error, in quem posteà multi tanti viri testimonio solummodò credentes lapsi fuerunt.

Quare Lucretius speciatim non meminerit causarum incendij, ac terræmotus Vesuuij.

Aetas eiusdē.

Correctio loci Lucretiani.

------------------*Montemq. Veseuum*.

Ex Lambino.

pro Lucretiano non habetur à Lambino, ideoq. vel pro *Veseuum* reponendum *Misenum*, vel etiam ità legendum.

Qualis apud Cumas est Ocris vipera montis.

Ex Turnebo.

Qua pariter in re legi potest Hadrianus Turnebus in Aduer. lib. 22. cap. 19. Et nos interim recolamus carmina, in quibus terræ motus causam argutè, & iuxtà Physicorum placita prædictus Auctor, cuius nomini dignis de causis libenter parco, ità breuiter delineat.

Stellati Poetæ carmina de terræmotus causa.

Siue igitur licet innumeras, vastasq. cauernas
Sub terris esse atque illic quandoque creari
Ingentes ventos, qui dum crudelia miscent
Prælia, concutiunt terram, nimioq. furore
Congressi euertunt totis cum mœnibus vrbes
Donec parte aliqua erumpant facto agmine, & auras

Diffusi

Diffusi in vacuas non longa pace quiescant.
Quibus alia subnectit talium ventorum originem, sicut & ignium, qui intrà terræ specus latitant, atque fouentur, continentia, quæ inferiùs opportuniori loco adducam. Intereà verò in subsequenti ad Aristotelis doctrinam, & iacta ab eo in Meteωron libris fundamenta, quibus terræ motuum causam, & probabiliorem generationis modum argutissimè more suo edisserit, vertendus calamus erit. Licèt enim superiùs in descriptione terræ motus, & eiusdem comparatione cum tonitruo aliquot de causa, & generationis amborum modo attulerim, nunc tamen loco proprio, taliq. materiei dicato, ampliori & exactiori oratione percurrenda sunt.

Quomodò fiat terræ motus, & quòd à nullo è quatuor elementis generari possit, præter quàm interdùm ab exhalationibus ignitis, vti nunc in Vesuuiano, olim in Puteolano, & Ferrariensi contigit. Vbi prætereà de montium, & præsertim Olympi, & Athonis controuersa celsitudine aduersùs Plutarchum, & alios agitur. Cur in editissimis montibus aer tranquillus, & eos venti non transcendant. Quæ mixta corpora sint perfecta, vel imperfecta.

CAP. V.


ACTENVS examinaui pro viribus veterum quorundam celebriorum Philosophorum, de terræ motus causis, & generationis modo, opiniones; Super quibus meum quoque liberè sensum attuli, aliquas omninò reijciens, nonnullas ex parte laudans, & ex parte

non

non laudans, vltimam verò denique tanquam Ariſtotelicis fundamentis ſuffultam apertè commendans. Quare, vt rei tantoperè arduæ, & caliginoſæ via planior ſternatur, & ſplendidior probabilitatis, aut veriſimilitudinis lux affulgeat, quidnam ſentiat de ea Ariſtoteles, & quibuſnam principijs hic ſuam fulciat ſententiam, nunc oſtendere aggredior. Cum ſit itaque terræ motus, motio terræ paſſiua, hæc producatur oportet ab agente quopiam; quod non agit, niſi patiens tangat, quandò omnis actio phyſica per contactum fieri ſolet; vnde quod re vera tangit, dum mouet, & agit, ipſum quoque mouetur, & patitur, id autem corpus eſt, vt propterea agens, quo terra dimouetur, corpus exiſtat. Sed quodnam corpus? Simplex, an mixtũ? ſi etenim ſimplex, neceſſariò vnum de illis quatuor erit, quæ elementa vocantur, vel terra, vel aer, vel aqua, vel ignis; Sed terra ab horum neutro dimouetur, Ergò non à ſimplici corpore. Probatur verò primum de terra, quoniam ſi hæc illa foret, quæ moueret, id contingeret iuxtà Anaximenis ſententiam, quam non valdè antè notaui aliquam habere probabilitatem Senecæ encomio, velut etiam Lucretij teſtimonio multùm celebrari; attamen pluribus nominibus vt erroneam è Scholis Peripateticorum iampridem longè ablegatam iuremerito fuiſſe conſtat. Item, aquæ elementum terræ motus cauſa eſſe non poteſt, cuiuſmodi erat Democriti opinio, quæ ſimiliter ſuprà reiecta fuit; vt in ſumma nec aqua, nec terra parere terræ motum poſſint, eo quòd ambo hæc corpora veluti ponderoſa, & grauia deorſum perpetuò ferantur, & vnà ſecum vehant quęcumq. ſimilis naturę ſunt, nec illa vnquam ſurſum, aut in ſublime iaciant, ſeu repellant, & tamen ex alia parte, quoties viſum, & obſeruatum eſt, violentia terræ motuum, Inſulas quaſdam repentè enatas apparuiſſe, monteſq. & ingentes terræ moles ex ipſa met terra oculorum obtutu excitas eſſe? *Ante nos* (ait Plinius) *& iuxtà Italiam inter Aeolias Inſulas, itemque iuxtà Cretam emerſit* *è mari*

Terræ motus quid ſit, & quomodo fiat.

Agens, quod terram mouet, corpus eſt.

Cur non ſimplex, nec vllum è quatuor Elementis.

Cur non terra.

Cur non aqua.

Inſulæ quædam violentia terræmotuum de repentè ſubortæ.

è mari Insula mille quingentorum passuum vnà cum calidis fontibus; sic & Pithecusas ferunt ortas. Quare patet nec aquam, nec terram esse, quæ tales progignant motus. An ergo aer? neque hic, tùm quia id vtique conueniret cum Anaxagoræ opinione non valdè antè reprobata, tùm quia aer secundùm sui naturam quietus manere solet, hoc est, nulla motus violentia dimouetur, nisi à ventis impellatur; cuius in aere conditionis veritatem duo nobis palam faciunt: Primum, quòd tranquillis anni temporibus, & nullo flatu conturbatis, vt in media sæpè Aestate experimur, quo tempore aninemiæ fiunt, ne leuissima quidem arborum folia in campis latissimis, vel tantillum dimoueri haud cernuntur, secundum quod experientia, è qua fidem capit opinio, constat in editissimis montibus, qui nubium regionem superant, vbi propterea nec pluuiæ cadunt, nec venti flant, aerem vsque adeò esse quietum, vt quædam litteræ, vel notæ in puluere, aut cinere, peractis nescio quibus sacris, fieri solitæ, post annum, ab ijs, qui solemniter illùc conscendebant, integræ, atque illæsæ inuenirentur, id quod præcipuè fertur de Olympo Macedoniæ mõte, de quo ità Solinus cap. 14. *Olympus mons excellenti vertice tantus attollitur, vt Summa eius Cælum accolæ vocent. Ara est in cacumine, cuius altaribus si qua inferuntur, nec difflantur ventosis spiritibus, nec pluuijs diluuntur, sed voluente anno altero, cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiuntur, litteræ in cinerem scriptæ ad alteram anni cæremoniam permanent.* Quam de Olympo historiam recolit post Solinum D. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 15. & lib. 13. de Genes. ad lit. cap. 2. & de Ciuit. Dei lib. 15. cap. 17. atque alibi; Nec non Isidorus lib. 14. cap. 4. vt alios nunc taceam grauissimos Auctores, qui eadem, & plura de monte hoc memoriæ prodita reliquerunt. Vnde nequeo intelligere, cur Ludouicus Viues in Scholio ad D. August. loc. cit. de Ciuitate Dei, hæc, quæ de Olympo traduntur, fabulosa esse

Cur non aer.

In editissimis montibus aer quietissimus est.

In Olympo præsertim ex Solino.

Ex D. Aug.

Ex Isidoro.

Ludou. Viues vbi notatus.

scripse-

Et Franc. Philelphus.

Quatuor sũt mõtes Olympi nũcupati.

Cur altissimos montes, vt Olympũ, & Athonem venti, non transcendant ex Aristot. Claud. Luc. & Dante. Amborum montium celsitudo valde maior quàm putat Plutarchus.

ſcripſerit, niſi maiorem fidem præſtare voluerit Franciſco Philelpho quadam ſua in Epiſtola affirmanti, ſe montem hunc aſcendiſſe ad rei tantæ explorationem, & quæ à Solino relata de illo ſunt, commentita eſſe. Quem veriſimile eſt, aut alium montem, non tantoperè celebratum, Olympum conſcendiſſe, aut non hunc, ſed alium Olympum, quando tres alij cõmemorantur Olympi Straboni, Boccatio, & alijs celeberrimis Scriptoribus, in Peloponneſo, Aſia, & Aegypto. Vnde alij ſcribunt Olympum eſſe in Theſſalia, Athonem verò, cuius meminit Mela, & Statius S. Thebaid. in Macedonia; cuius montis vmbram ad Inſulam vſque Lemnum, ab eo ſex, & octoginta millibus paſſuum diſtantem iaci, Plinius & Solinus affirmant. Ex quo deducitur, eius celſitudinem multò maiorem eſſe, quàm ponat ex Geometris Plutarchus. Sed his relictis, quæ tamen etiam de alijs nonnullis erectiſſimis montibus recenſentur, ad ſermonem, vnde digreſſus, reuertens, aſſero in huiuſmodi montium faſtigijs, & decantati potiſſimum Olympi vertice, nullam aeris, aut ventorum agitationem percipi, quinimò effatu dignam tranquillitatem adeſſe. Nam quod ad Philadelphi experimentum, opponam ei ego alterum ex Philopono referente, ſe locutum eſſe cum homine, qui Olympi montis cacumen conſcendit, & ſubter ſe vidit nubes, fulgetras, & fulmina. Atqui non abs re Philoſophus 1. Meteor. ſcripſit: καὶ οὐχ ὑπερβάλλει τὰ πνεύματα τῶν ὑψηλοτάτων ὀρέων. *Venti non tranſcendunt editiſſimos montes*. Impoſſibile etenim eſt, nubes in ſubblimiori aeris regione, in qua aer ipſe ad orbium cæleſtium vertiginem rapitur, denſari poſſe, quæ, pro condenſatione, quietum, & penitùs ſtabile aereum corpus expoſtulant. Vnde in ſumma, & auctoritatibus, & rationibus puto eſſe veriſſimum, quod Claudianus in Conſ. Manlij Theod. de Olympo in hunc modum cecinit:

-------------- vt altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, imbreſq. relinquit,

Per-

Perpetuum nulla temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluuijs, auditq. ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Et Lucanus lib. 2.

Nubes excedit Olympus.

Nec non lib. 7.

Vnde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.

Cum quibus concordant illa Dantis carmina Hetrusca:

Libero è quì da ogni alteratione,
Di quel, che'l Cielo in se da se riceue,
Esser si puote, & non d'altro cagione.
Perche non pioggia, non grando, non neue,
Non rugiada, non brina più sù cade,
Che la scaletta di tre gradi breue.
Nuuole spesse non paion, ne rade,
Nè corruscar, nè figlia di Thaumante,
Che di là cangia souente contrade.
Secco vapor non surge più auante,
Ch'al sommo de tre gradi, ch'io parlai
Ou'hà'l Vicario di Pietro le piante.

Licèt non me lateat Plutarchum de Geometrarum obseruatione tradere in vita P. Aemilij, nec montis altitudinem, nec profunditatem maris 10. stadia excedere. Vbi nihilominus refert Olympum suprà talem dimensionem assurgere, sed valde maior est huius, aliorumq. similium montium altitudo, nubium regionem excedens. Quare, ne longiùs, quàm par sit, digrediamur, hinc manifestum cuique esse potest, aerem tàm violento motu neutiquam cieri, quo terram dimouere queat. Nec aliquis obijciat, aerem ibi non moueri, quia in proprio, & naturali loco consistit, nec ità facere vbi extrà proprium reperitur: Siquidem dixerim, neque extrà talem locum naturalem, habere aerem magnum, & impetuosum motum, quemadmodum cernere est in antris, atque speluncis, in quibus manet quietissimus, dum eo natura, quæ vacuum odit, ad inania illa spatia Obiectio soluitur.

opplenda vtitur, vtpotè qui sua tenuitate cuncta permeans, Platone auctore in Timæo, facillimè illac penetrare, subireq. valet, vbi etiam absque vlla, aut, nonnisi modica obluctatione, vel renitentia moratur. Aer itaque non est terræ motus causa. Sed neque ignis, quantumuis maximæ actiuitatis elementum, quem Aristot. 2. Metha. t. 4. vt omnium calidissimum, maximeq. alteratiuum, ità minimè alterabilem esse tradit, hoc vno argumento, quòd non semper, imò perquàm raró in terræ motibus ignis ipse, aut eius nota aliqua è terra erumpat. Vnde & in Vesuuiano motu, in quo manifestissimè visi sunt ignei vortices, & flammeæ nubes coruscantes; ante, & post flagrationem, persentiti sunt motus magni cum internis bombis horrificis, quibus temporibus nullum prorsus igneum emittebatur signum, vt, si terræ motui aliquando ignis superueniat euomitio, velut in præsenti, & olim in Puteolano, ac Ferrariensi, de quibus suprà, ex accidenti id contingat, non autem ex sui natura; alioqui enim in quolibet terræ motu, vel ignis, vel saltem ignis vestigia apparerent. Contrà nihilominus stare videtur, quòd suprà alicubi scripsi, & est apud Meteorologos receptum, exhalationem, seu spiritum siccum, quem cuncti cum Aristotele pro efficienti terræ motus causa ponunt, dum intrà terræ latebras, atque speluncas ità cohibetur, vt exitum liberum non inueniat, & modò in hanc, modò in illam terræ partem impingit, verberandoq. reuerberatur, incendi, forasq. ex huiusmodi interaneis antris, aut flammas eructare, aut ea, quæ ignem subsequi solent. Ideò namque non solùm in hac Vesuuij commotione, sed etiam alijs multis in locis, quæ tali motu concussa interdum fuerunt, flammæ visæ sunt erumpere, & excreari cineres tàm profusè, vt infinita loca etiam longè remota oppleuerint, quinimò & Aristoteles ipse in Meteor. tradit, quòd ab Insula Hiera terræ motu quassata, post telluris extuberantiam, vnà cum impetuoso flatu ingens cinerum cumulus, montem æmulans, excitus Vrbem Lipa-

[Margin notes: Cur non ignis. — Exemplū Vesuuiani terræ motus, sicut Puteolani, ac Ferrariensis. — Obiectio. — Ex terræmotu Hieræ Insulæ Vrbs Liparis cineribus vndique oppleta.]

Liparim, tametsi procul dissitam, repleuerit. Attamen neque id conuincit ignem, aut exhalationem ignitam, vel accensam perpetuò terræ motum efficere, licèt nonnunquam à tali causa posse fieri minimè denegetur, sed raró admodum, vt dicebam. Etenim hoc ex accidenti euenit, nempè dum, occasione terræmotus, exhalatio ipsa inflammatur ex concitatiori motu, & reciproco verberatu. Plerumque etenim fit ab exhalatione minimè accensa, sed à calore Solis, sicut interdum quoque ignium subterraneorum promota, & è profundis terræ cauernis euocata, sed neutiquàm in flammam conuersa. Vnde si quandoque terræmotus ab igne, aut ignita exhalatione ortum ducet, id per accidens, non ex rei natura erit, siquidem illud, quod vni rei per se competit, omnibus etiam rebus conuenire solet, quæ in eodem conueniunt genere, & ideò necesse foret, vt in omnibus, & singulis terræ motibus eruptio è terra obseruaretur ignis, vel eorum, quæ ignem concomitantur, vti cineres, pumices, & alia hodie, si non semper, magna saltem ex parte, per initia potissimùm, in tremente simul, atque flagrante Vesuuio animaduersa: Adeò vt non simplices tantùm, sed vnà quoque ignitæ, & accensæ in eo exhalationes adfuerint; Sed quæ raró accidunt, placitis suum robur non adimunt. Quæ res iterùm infrà in exhalatione ventilabitur, de cuius, velut etiam vaporis natura, ac generationis modo ad initium subsequentis Capituli verba faciemus. Conclusio itaque hæc sit, cum nullum è quatuor elementis terram violento motu ciere, aut dimouere queat, ex iacta positione, terræ motum acceptum referendum esse alteri corpori, quod tangat, moueat, & agat, sed quod non simplex, imò compositum, & mixtum existat. Verùm quia mixtorum corporum alia à Philosophis dicuntur perfecta, & alia imperfecta, quodnam terræ molem persæpè immensam tam vehementer, ac terribiliter dimouebit? A mixto corpore perfecto sanè tanta commotio fieri haud quaquam posse

Dilutio.

Terræ motus fit quidem ab exhalatione, sed minimè incensa, nisi rarissimè.

Conclusio quòd terræ motus à simplici corpore fieri nequeat, sed solùm à mixto.

Mixta corpora Philosophis alia sũt perfecta, alia imperfecta.

A perfectis mixtis quare non fiat terrę motio.

videtur, quoniam cùm in quolibet peragendo motu, princeps, quæ requiritur, conditio hæc sit, vt vis mouentis euincat mobilis corporis renitentiam, & cum in natura nullum vel minerale, vel planta, vel animal tanti roboris, tantæq. virtutis reperiatur, quod tàm magnam, tamq. amplam, & spatiosam terræ molem (aliquando enim vltrà CC. milliaria terræ motum extendi suprà ostendimus) commouere possit, necessariò dicendum est, si à nullo mixto corpore perfecto idipsum effici haud potest, ab aliquo alio de imperfectorum numero fieri. Sed, vt res meliùs intelligatur, per mixtum corpus imperfectum hoc in loco accipimus corpus, quod simplex non est, nec perfectè mistum, sed tamen ità mistum, vt parùm à simplici distet, cuiusmodi sunt imber, nix, grando, quæ ab aqueo elemento vix absunt, vt vnicuique patet. Et quia mixtorum corporum imperfectorum, multa quoque in aere generantur, non est cur in præsenti loco de his sermo habeatur, tùm ad prolixitatem euitandam, tùm quòd cum in remota illa, & sublimi regione oriantur, nec profunda terræ loca penetrando tangant, eam mouere nullo modo possunt, vt propterea terræ motus causa statuendum sit aliquod ex mixtis corporibus imperfectis, quæ in terra ipsa gignuntur; vti ex iam iam adducendis manifestum omnibus fiet.

Mixtum corpus imperfectum quale nam sit.

Mixta corpora imperfecta multa in aere, quæ hic omittuntur.

De his solùm, quæ in terra, & ad rem nostram faciunt, fiet sermo.

De natura, & modo generationis exhalationis, vaporis, & venti, eorumq. effectibus: Ignis ad Lunæ globum cuiusmodi sit; vbi Hippocr. & Arist. loca dilucidantur: Aeris natura iuxtà trium eius regionum diuersitatem: Meteoron ignitum, Stellæ instar crinitæ coruscans, supra Vesuuij apicem obseruatum vnde fieret. Terræ motuum causa cur exhalationibus, & ventis,

ventis, non autem vaporibus attribuenda, & quare nunc magni , nunc parui , vt etiam obseruati fuerunt in Vesuuio, terræ motus edantur .

CAP. VI.



VM nec simplicia corpora , cuiusmodi sunt quatuor dicta elementa , nec mixta perfecta, vt paulò antè scripsi , terræ motum efficiant,superest, vt aliquod de censu mixtorum imperfectorum, quæ non aer , sed terra gignit , illud sit , cui eiusdem terræ motio violenta attribui, acceptaq. referri debeat . Pro cuius rei intellectione,confugiendum ad generationem corporum mixtorum imperfectorum, quæ sub exhalationis, spiritusuè (vnde etiam venti) nec non vaporis , apud Aristotelem , & alios eiusdem sententiæ, vocabulis circumferuntur . Sol etenim in terram, quæ non est vndique humoris expers , vt indicant tot humida , quæ in ea sunt , & ab ea proferuntur , agens, quemadmodum & calor intrà eandem clusus , & in abscondito flagrans, teporemq. eructans, spiritalem quandam ab illa euocat, ac educit duplicis generis substantiam, cuius quæ crassior est, atque humidior, Aristoteli vapor dicitur , qui nimirum humidarum impressionum, vti nubium, imbrium, aquarumq.perenniũ parens censetur:altera verò tenuior,& siccior eidẽ spiritus est,seu fumus,vel exhalatio, siccarum, & aridarum impressionum genitrix. Quem nihilominùs sermonem ità accipi velim , vt nullus simpliciter sit vapor , qui omni prorsùs careat siccitate , velut nulla exhalatio, omni penitùs humiditate carens , sed vbi qualitas humida prædominatur, vaporem , vbi contraria,exhalationem vocabimus . Vtriusq. mixti huius in terra perennis generatio non est pluribus comprobanda,cùm sensibus apertissimè pateat . Vapor siquidem est humida , crassaq. illa substantia, quæ ab aqua, aquosis locis , & madefacta

Modus generationis vaporis.

Exhalationis.

Vtriusque conditiones.

Perennis generatio vnde dignoscatur.

terra ſubleuatur, dum Solis, aut etiam genuino terræ calore tepefiunt, ſimilis profectò illi euaporationi, quæ è terræ locis, in quibus thermales aquæ ſulphureæ, aut bituminoſæ ebulliunt, euidenter emanat, aut etiam halituoſæ ſubſtantiæ, quæ ex aqua intrà lebetem feruescente; id quod comprobat manifeſtè guttarum ad vaſculi operculum adhæreſcentium irroratio; ſicut exhalatio tenui, ſiccæq. illi adſimilis fumoſitati, quæ æſtiuis temporibus, Sirio feruente calore, è torrefacto ſolo tranſpirat, vſque adeò ſubtilis, raræq. ſubſtantiæ, vt ſenſu viſus, qui ab eiuſdem actuoſitate diſgregatur, vix comprehendi poſſit, ſimilitudine illius tenuiſſimi fumi, qui è fornacibus, quo tempore maximoperè ardent, ſuprà ferè omnem oculorum obtutum exſpirat; quæ ambo mixta cenſentur imperfecta, quoniam vapor ab aqua accidentaliter differt, vti ſimiliter exhalatio à terra, quòd hæc eſt tenuiſſima terræ pars calore Solis attenuata, atque elata, ille verò ſubtilior aquæ portio eiuſdem caloris beneficio à craſſioribus aquæ partibus ſeiuncta, & in altum euocata, & ad frigidas impreſſiones proximè diſpoſita, vti exhalatio eſt cum Ariſtot. potentia ignis. A quibus quidem corporibus imperfectis variæ generantur intrà, & ſuprà terram, velut in aere etiam, impreſſiones, quæ exactè nequeunt intelligi, niſi priùs pauca quædam breuiter prælibentur. Iam itaque conſtat omnibus, vniuerſum Orbem conflatum eſſe ex cæleſtibus corporibus, & quatuor elementis, & quemadmodum illa corpora inuicem ſe ſingula continent, ità elementa contigua eſſe ſibi, vnumq. ab altero contineri. Vnde iuxtà hanc rationem, Philoſophi melioris notæ ad Cæli concaua, prope Lunæ globum, dari ignis elementum affirmant, quidquid contrà cenſeant neoterici multi, præcipuè verò Cardanus 1. de Subt. à Scaligero tamen confutatus, etiamſi non propriè ignem eſſe contendant, vti materialis hic noſter exiſtit, quo ad plura opificia quotidiè vtimur, qui flamma, ſeu carbo eſt accenſus, quæ ambo exceſſum

Ignis elemẽtum vbi.

Non eſſe propriè ignẽ, vt noſter eſt.

magis

magis præ ſeferunt caloris, vt glacies immoderantiam frigoris, quemadmodum colligitur etiam ex Ariſt. 2. de Gener. t. 21. cum ait: *Ignis eſt ſuperabundantia caliditatis, veluti & glacies frigiditatis. Congelatio enim, & exarſio ſuperabundantiæ quædam ſunt*: Sed cenſent eſſe igneam quidem ſubſtantiam, tenuiſſimam, materialium condicionum expertem, pabulo vel fomite non indigentem, cum in regione propria conſeruetur, ac velociſſimi raptus, & hanc nos ex conſuetudine, vulgariq. vocabulo, non propriè, ignem appellare, quod optimè aduertit Ariſt. 1. Met. c. 1. ſum. 2. vbi, poſtquam ignem ſub circulari latione conſtituit, innominatum eſſe tradit illis in verbis: *Primò enim ſub circulari latione eſt calidum, & ſiccum, quod dicimus ignem, innominatum enim eſt, & commune in omni famoſa diſgregatione, &c.* Iuxtà quam doctrinam puto poſſe reſponderi nonnullorum argumento, ex Hippocratis, & Ariſtotelis auctoritate deſumpto, quo nimirum exiſtimant ſub Lunæ concauo ignem minimè dari, quandoquidem Hippocrates in lib. de flat. totum ſpatium, quod Cælum inter, ac Terram funditur, aere plenum eſſe tradit, quaſi ignem ad Cæli concaua denegans: Ariſtoteles verò 1. Meteor. 4. affirmat, ſuprà aquam, aerem eſſe, & id, quod quamuis ignem nuncupare ſolemus, ignis tamen non eſt: Hippocrates enim conſiderans ignem illum ſublimem non eſſe ità corporeum, & adeò denſæ materiæ, vt hic noſter, ſub nomine πνέυματων, ideſt, ſpiritalis, tenuiſq. ſubſtantiæ, quo tam aer, quàm ignis, qui ambo dicto ſpatio continentur, nobis illum deſignare voluit, ſicut & Ariſtoteles, cenſens ignem hunc inferiorem ob denſitatem materiæ, cui ineſt, & partium inter ſe cohæſionem, validiſſimum eſſe, & acerrimè vrere, obuia quæque abſumendo, & in propriam ſubſtantiam conuertendo, ſecus ac faciat qui ſuprà aerem conſiſtit, dum inibi in ſua ſede manet, ac ſe ſe amplitudine propria tuetur, nullo propterea ibi paſtu egens, ideò vult non propriè ignem dici, ſed ex conſuetudine tantùm

Hippocr. & Ariſt. loca, quorũ teſtimonio, ignẽ ſub Lunæ concauo nõ dari, adſtrui poſſe videtur.

Quomodo ſint ambo accipienda.

tantùm tali vocabulo notari:nihil aliud innuens,quàm hoc nomine πῦρ significari ignem inferiorem,& materialem, feruore æstuantem, vtpotè qui carbonibus continetur, non elementarem, quasi dicat, vt ibidem explicat D.Thomas, sic se habere ignem ad quartum elementum, vt glacies ad aquam, proindeque, vt glacies est non quælibet aqua, sed concreta,ità ignem,propriè,non quemuis ignem vocari, sed qui crassæ, vel densæ materiæ inhæret, cuiusmodi noster, & communis est. Qui quidem elementaris ignis id præterea habet, vt in sua sphæra, vbi in genuino loco est, & conseruatur, sit admodum tenuis, rarus, ac vniformis, cui in ordine succedit aer, deinde aqua, & denique terra, quæ in medio illorum tanquàm punctum, aut centrum in circulo perstat. Vbi annotanda tamen est diuersitas aeris, & ignis, quoniam hic in sua regione est illius prorsùs naturæ, quam modò dicebam, sed non ità aer, in quo,iuxtà varium eius situm, magna obseruatur in diuersarum affectionum generatione dissimilitudo. Quare licèt aeris elementum suaptè natura calidum in excellenti, sed non in summo gradu à Philosophis statuatur (Galenus adeò exiliter calidum esse ait lib. Quod an. mor. cap.4. vt frigidus ab eo, & à Stoicis existimetur) attamen ex accidenti variè immutatur circà has, aliasq́. ipsius affectiones; Suprema etenim regio calidior est, quàm eius postulet natura, idq́. non vnis, sed multis de causis: Primùm,ob ignis propinquitatem; Secundò, ob flammulas ab igne, de quorundam mente,aliquando cadentes; Tertiò, quia calidis exhalationibus eò subeuntibus assiduè conspergitur.Quartò, quia Cæli, & ignis irrequieta circumuectione, quæ calorem gignit, continenter rapitur; Hæc autem est illa aeris regio, in qua ipsemet aer quietior, & tranquillior est, ad quam vsque editissimi quidam montes pertingere dicuntur; quorum aliquos suprà retulimus.Infima verò aeris regio calida est etiam magis, quàm natiua eius conditio postulet, sed minùs, quàm suprema; Incalescentiæ autem

Explicatio D.Thomæ.

Diuersitas naturę,& effectuum aeris vnde nascatur.

Suprema regio quot & quibusnam de causis calida est.

causam

causam obtinet tùm à vaporibus, & exhalationibus, quas è terra, & aqua prodeuntes excipit, tùm à reflexione radiorum, qui in se geminati impensiùs calefaciunt, magisque, ac minùs, prout ijdem nos vel recti, vel obliqui feriunt, vt per Aestatem, & Hyemem experimur; tùm denique propter ignes non manufactos tantùm, sed opertos terris, quorum aliqui eruperunt, alij in abscondito flagrant, atque inde teporem eructant, Seneca auctore lib. 2. Quæst. Natur. cap. 10. Et hæc est aeris regio, quam inhabitamus. Alia demùm est, quæ locum inter supremam & infimam medium possidet, admodùm frigida multis nominibus; Primùm propter vapores, qui cùm illùc perueniunt, sublatis iam impedimentis, vltrò sese ad natiuam frigiditatem reuocant, aeremq. circumfusum perfrigerant. Secundò, quia aer sic refrigeratus, dum è superiori, & inferiori parte calida obsidetur per antiperistasim algescit (siquidem in alieno etiam subiecto intenditur qualitas, circumstante aduersario, vt ex calore in aquis Cisternarum hyemali tempore constat.) Tertiò, quia nec repercussio solarium radiorum, nec elementaris ignis feruor, nec impetus, quo superior pars circumagitur, eò pertingunt. Quæ cum ità se habeant de natura exhalationis, & vaporis, nec non trium aeris regionum, sciendum modò est, quòd vbi exhalatio è terra vi caloris interanei, & maximè Solis excita ad supremam aeris partem pertingit, nonnunquam præ intenso nimis calore ibi incenditur, ex quo variæ Cometarum species gignuntur, de quarum genere fuisse hodie suspicari quis posset Meteωron satis magnũ, & Stellę instar crinitę scintillans, quod non valdè suprà caliginosam nubem è Vesuuij apice iugiter ascendentem, per integram hebdomadam apparuisse refert Fr. Iacob. Milesius Hibernensis, Ordin. Minor. Obseru. Reform. in Relatione edita Neapoli per Octauium Beltranum, cuius verba talia sunt, *Vn'hora auanti giorno compariua nell'aere vna Stella grande di estrema bellezza, li suoi bei raggi assai più*

Infima eiusdem regio cur item calida sit.

Media quot nominibus frigida.

Aquæ Cisternarum Hyemæ cur calidæ.

Cometarum generatio vnde.

De Cometa supra Vesuuij apices.

longhi dell'ordinario, mi parue, che guardando la misera Città di Napoli per consolarla, che staua ogn'hora aspettando la sua ruina. La Stella staua giusto sopra il caliginoso nubbe. Ad extremum enim eiusdem narrationis dicit, quòd die Martis subsequentis hebdomadæ, in nocte diem Mercurij præeunte, Stella in aere cerni consueta disparuit, vel vt idem scribit, *Questa notte non comparue Stella nell'aria.* Idem legi in Lib. de hoc Incendio Abbatis Braccini Lucensis variæ eruditionis viri; quem nuperrimè ad me misit Lælius Guiditionius nobilis Lucensis, ingenij acumine prȩditus, vtraque lingua Latina, & Hetrusca apprimè doctus, ac, ob multiplicem eruditionem, in Vrbe conspicuus. Interdum verò eadem exhalatio sic accensa descendit, impressiones illas generans, quæ Stellæ cadentes appellantur, quæ tanta cũ celeritate ex alto decidunt, vt nostro aspectui videantur sidera è firmamento Cæli in terram delabentia, vt in summa, prout hæc nunc vno, nunc alio modo inflammatur, ità diuersæ fiant ignitæ impressiones, quas in aere cernimus, cuiusmodi sunt capræ vocatæ saltantes, lancea, trabs, iaculumuè, draco volans, & vniuersim cuncta ignita Meteωra. Verùm si hæc eadem exhalatio non est adeò tenuis, nec ignitioni parata, & non adeò promptè ad sublimiorem aeris regionẽ conscendere valet, id quod ei accidit quotiescumque humidis, crassisq. terræ vaporibus intermiscetur, quorum nexu in media regione tenetur, ab huius frigore densatur, & ad infimiorem hanc nostram retropellitur ità vehementer, vt aereum corpus à parte post partem impetuosè nimis moueat, atq. impellat, deorsumq. contra insitam naturam descendens, & obice simul intrà solidas terræ partes minimè reperto, motu cogitur moueri obliquo, & terram circiter versari, vehementia cunctis notissima. Tunc enim fit, vt ad extremum Cap. ex Aristotele ostendam, causa ventorum, qui à varijs Mundi plagis, è quibus perflant, denominationem sortiuntur. At si exhalatio ad mediam expirat aeris regionem,

Lælius Guiditionius.

Stellæ cadentes vnde fiant.

Capræ saltantes, Lancea, Trabs, & Draco volans.

Exhalatio quando ventorum causa.

nem, cum ibi à nubium denſo corio tanquam indumento frigido, & ſuæ naturæ contrario circumducatur, viq. magna teneatur, tunc in ſeſe præ antiperiſtaſi cogitur, & maiorem ex adaucto calore potentiam nanciſcens, nec aperturam inueniens, niſi ab inferiori parte tanquàm debiliori, hanc agitat, & infringit, per quam fractam poſtmodum exſilit eo clangore, quem tonitruum dicimus, ſi hæc exhalatio in aere deſinat, & extinguatur, vt ſuprà quoque ſcripſimus. Quòd ſi ità incenſa, & inflammata in aere minimè deferueat, ac diſſoluatur, ſed in terram vſque impetuosè proteletur, fulmina parit, quæ obuia quæque aut cum cuneo, aut ſine cuneo, vel alia quauis ferrea, ſulphureauè craſſefacta ſubſtantia iaculata deſtruunt, ac dedolant; qui omnes effectus exhalationi attribuuntur. Alios autem, qui vapori aſſignantur, vt generatio roris, pruinæ, pluuiæ, grandinis, niuis, iridis, & aliarum impreſſionum, libenter omitto; quia ad rem noſtram vel nihil, vel parùm pertinere videntur, &, vt præſens ſermo ad finem citiùs perueniat. Cum ergò ex aqua, & terra, vapor humidus, & exhalatio ſicca eleuentur, quæ ambo mixta corpora imperfecta eſſe dicebam, ad quorum vnum neceſſe eſt redigere terræ motus excitationem, breuibus nunc indagandum, vtri debeat terrę motus adſcribi. Magna hæc, & ponderoſa admodum terræ moles neutiquàm moueri poteſt, niſi à corpore mirè valido, & cui agendi, atque mouendi facultas præ alijs inſit; Tale autem illud eſt, quod velociſſimum, & tenuiſſimum, & vehementiſſimum exiſtit, quodque longo, diuturnoq. curſu indefeſsè penetrare valet, alioqui terræ corpus tàm graue, ponderoſum, ac ſtabile haud quaquàm dimouebitur. Sed cur velociſſimum, ſubtiliſſimumq. corpus id operis præſtabit? Quia ratione velocitatis, impetuoſam quoque vim ad id rei peragendæ neceſſariam acquirit, ob tenuitatem verò facillimè quaquauerſum permeat, &, omni poſthabito obſtaculo, intima quæuis penetrat, & per amplam vagatur diſtantiam. Huiuſmodi autem

Eadem quando, & quomodo tonitrua pariat,

Fulmina.

Vaporis effectus.

Terræ motus cur exhalationi, non vapori refertur acceptus.

conditiones cum manifestè vapori denegatæ sint, vtpotè qui præ humiditate substantiam obtinet crassiorem, & præ crassitie tarditatem, contrà in exhalatione clarè appareant; Ergò exhalatio corpus illud erit, à quo immediatè Terra dimouetur, & quod in ea motum violentum, & concussiuũ progignit: Quippè hæc est eiusdem naturæ cum vento, cuius corpus subtilissimum, vehementissimum, velocissimumq́. esse nemo non in dies videt; Ità vt etiam ignis ipse, tantæ cæteròqui efficaciæ, eò velocior, vehementiorq́. euadat, quò ventorum spiraminibus associatus est. Addo, virtutem hanc prævalidam in exhalatione, qua mediante terræ motum facilè concitat, indicari nobis quoque à vi tàm magna, quæ in fulmine viget, cuius ope tot sæpè horrenda, & indicibilia euenta, ac damna in terra edit, siquidem & fulmen exhalatio ignita est, vt alibi diximus. Vnde hæc tria, exhalatio, ventus, & fulmen, eandem videntur habere essentiam, & consequenter similem vim, atque potentiam, quod nos docere volens Aristoteles 2. Meteor. postquàm finem imposuit sermoni de ventis, subnectit, ex consequenti superesse, vt de terræ motu agatur. Quod ideò scribit, quia quando res duæ sunt sibi inuicem in eadem materia correspondentes, meritò, postquàm de altera actum est, mox ad alterius enarrationem deuenitur; qui idcircò etiam, post sermonem de terræ motibus, statim eadem de causa tractare aggreditur de tonitruo, fulgure, & fulmine, tanquàm scilicèt de rebus eandem habentibus naturam. Quæ veritas corroboratur similiter testimonio Lucretij, si diligenter attendantur, quæ de prædictorum effectibus, & causis in lib. de Nat. ab eo memoriæ tradita leguntur. Tandem pro exhalatione omitti hoc in loco minimè debet quod ex Aristotele colligitur, nempè mixtum hoc spirituosum, in terræ specubus, & antris vi solaris, & subterranei caloris progenitum, aliquandò inde totum efflari, aut totum ibidem coerceri, seu partim quidem exhalare, partim in intimis cohiberi. Si tota simul exhalatio

Exhalationis, & venti cognatio.

Amborum cum fulmine affinitas.

Aristot. locus enarratus.

Varij status exhalationis consideratio, & operatio.

tio expirat, vi insita aerem propellit, & ità ventos efficit, at si coerceatur tota (quod ei contingit, vel à terræ meatibus, rimisq́. carentis soliditate, vel à crebrioribus imbribus terræ meatus occludentibus, vel, sicut præsertim in casu nostro, à mari contiguo, quod suo cùm frigore ob antiperistasim, tum fluctu assiduè illùc impingente, spiritus in terræ viscera repellit) igneæ naturæ cum sit, & ei transpirationis aditus, quem more turgentium intrà venas humorum calidiorum velocissimo cursu quæritat, denegetur, terram commouens, ingentes efficit terræ motus. Si verò partim egrediatur, & partim cohibeatur, leuiores tunc parit terræ motiones, quæ diuersitas manifestè hodie in Vesuuij tremoribus obseruata fuit. Virtute namque diuisa, ac imminuta, quæ effluit pars, aerem, quæ coarctata est, solum mouet, & concutit. Verùm cur dum tota intrà terram detinetur tam magnos concitat terræ motus? Quia ibi multiplicata locum suæ copiæ recipiendæ, & continendæ idoneum non inueniens, veluti nec exitum, quoniam pars terræ superior densata est, hùc illùc tota impetuosè propellitur, sicq́. terram obstantem, & exitum denegantem vehementissimè conquassat. Quæ doctrina ex Aristotelico fonte hausta adhùc magis confirmabitur per ea, quæ in duobus subsequentibus capitulis de eiusdem Philosophi mente edisseram; vbi etiam eiusmodi terræ motuum causas absoluam. Quæsitum soluitur.

De eadem materia ad terræ motuum causas spectante, deq́. ventorum in aere, & spirituum in animantibus potentia, Historicorum experimentis, & Phreniticorum exemplo: Cur cum in omnibus anni temporibus fieri constet terræ motus, Vere tamen, & Autumno magis sentiri dicat Aristoteles, definitur ex Hip-

Hippocr. Aphorismo, & ratio quoque affertur, sicut etiam cur noctu magis, quàm interdiu, cur diluculò, & in meridie, iuxtà Medicorum, de generatione flatuum in nostro corpore, doctrinam.

CAP. VII.



T suprà dictorum, ad terræ motuum causas, & generationis modum pertinentium, veritas magis, magisq. confirmetur, & Aristotelicis fundamentis stabilita prodeat, adeamus nunc Aristotelem ipsum, cuius opinioni maior Philosophorum pars acquiescit. Hic ergò 2. Meteor. cap. 7. manifestè tradit, terræ motum eandem habere causam, & eundem generationis modum, prout hactenus suprà non semel, sed data opera, in antecedenti Capitulo, asseruimus; itaut velit, fieri terræ tremorem à spiritu, seu exhalatione terræ visceribus inclusa, & foras prosilire contendente, quippè cùm ei via, per quam transeat, intercluditur, retroagitur, & in se reuoluitur, ac exitu peruio aliquandiù quæsito, & minimè inuento, omnes dimouet angustias, & claustra conuellere nititur, quæ dum effringit, motum, atque tumultum excitat. Sed quoniam alicui parùm credibile videri potuisset, à tali spiritu, quem nos etiam superiùs, de illius mente, corpus leuissimum, ac tenuissimum esse dicebamus, tàm vastum terræ pondus dimoueri, & agitari, idcircò probat ibidem, miram, & indicibilem inesse spiritibus potentiam, vt patet ex obseruatione facta in aere, & animantium corporibus; Cui etenim compertum non est, à turbine ventorum ab vno loco ad alium quamuis longè dissitum protelari saxa ingentis magnitudinis, arboresq. vastissimas, nec non Villas integras conuelli, & solo æquari? Habemus quippè, præter allata ab Aristotele, tantæ rei exempla non pauca; vnde tempo-

Aristotelis opinio de generatione terræmotus.

De mira exhalationũ, ac spirituum potentia.

Quando ventorum turbine vastata Cãpania fuit.

tempore Neronis, vt ex Tacito colligitur, & alibi etiam recolui, vastata Campania turbine ventorum, qui arbusta, segetes, & villas deiecit, pertulitq. violentiam vsque ad vicina Vrbi; de quo admirando euentu ità Plinius lib. 2. cap. 83. *Non minùs mirum ostentum hæc nostra cognouit ætas anno Neronis principis supremo, pratis, oleisq. (intercedente via publica) in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædijs Vexij Marcelli Equitis Romani res Neronis procurantis.* Cuius etiam meminit lib. 17. cap. 5. Id totum verò accidit, cùm subterranei venti, seu eorundem turbo terram in contrarias partes conuertit, ac torquet. Sed & ibidem quod narrat de duobus montibus in agro Mutinensi valdè memorabile censendum, qui ambo inter se corruerunt crepitu maximo assultantes, recedentesq. inter eos flamma, fumoq. in Cælum exeunte interdiu spectante è via Aemilia magna Equitum Romanorum, familiarumq. & viatorum multitudine; quo concursu Villas omnes elisas ait, animaliaq. permulta, quæ intrà fuerant, exanimata fuisse; Surius in commentar. ann. 1507. *Tertio* (inquit) *Kalendas Iulij intempestæ noctis silentio turbo vehemens tantam excitauit tempestatem, vt & arbores radicitus euulsæ, atque procul disiectæ, & ædificiorum tecta, ac tegulæ abreptæ, domus, & borrea concussa, pluribus arboribus damna illata sint.* Id in Germania; sed & in Italia Anno Domini 1456. venti multas Villas agri Florentini, ac Volaterrani, præcipuè verò Cassianum Oppidum diruerunt, vt est apud Palmerium. Verùm tàm clara, & certa est omnibus ventorum potentia, vt ad eam comprobandam opus non sit vlteriori sermone: Mense Iulio præterito, quanta sit hæc ventorum vis, ærumnabili clade expertum est Mediolanense territorium, post pestilentiam, & bellum. Quare ego capere nescio, cur Georgius Agricola lib. 2. de Ortu subterr. scripserit, quòd ventus externus in terræ concaua intimiùs irrumpens terræ motum gignere non possit,

Montes duo in Mutinensi agro quando & cur inter se assultantes corruere.

Damna illata à ventorum turbine, tam in Germania, quàm in Italia.

Agricola in quo notatus.

sit, cuius opinioni non modò contrariatur Auctor lib. de Mundo ad Alex. & cum eo alij ferè omnes, sed ratio etiam à natura rei deprompta penitùs reclamat; Neque enim refert, si spiritus, aut ventus in terræ mæandris progenitus sit, seu à superficie, & externo ambitu ex aere terram subeat, dummodò contrà insitam naturam intrà terræ viscera ità cohibeatur, vt liberè quoquouersum spatiari nequeat, quippè tunc, dum nititur erumpere, terram concutit: Vnde Plinius lib. 2. cap. 79. *ventos* (ait) *in causa esse terræ motuum, non dubium reor, neque enim vnquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, Cæloq. adeò tranquillo, vt volatus auium non pendeant subtracto omni spiritu, qui vehit, nec vnquam, nisi post ventos conditos, scilicet in venas, & cauernas eius occulto afflatu. Neque aliud est in terra tremor, quàm cùm fulmen erumpit, incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente.* Quæ Plinij verba elegantissima tantò libentiùs adduxi, quantò eorum vi fulciuntur cuncta, quæ ante tum de Vesuuiani motus, & flagrantiæ similitudine cum tonitruo, & fulmine, tum de probabiliori terræ motuum causa, ex Aristotelis sententia afferebam, è quo & ipse Plinius doctrinam hanc hausit, nimirùm 2. Meteor. & de Plant. cap. 1. lib. 2. & de Mundo cap. 4. veluti etiam fortasse ex Seneca Quæst. Natur. lib. 6. cap. 9. Quæ sufficiant de vi, & energia spiritus, ac venti quoad aerem, facta nimirùm in eo obseruatione iuxtà mentem Aristotelis. Quantùm autem ad aliam experientiam, sensibilemq. demonstrationem, ab animantium corporibus elicitam, quæ nostro argumento mirè conuenit, nemini è Medicis, vel merè Pragmaticis, ne dicam, Empiricis, non patet, concitatione calefactorum spirituum, qui vitalium, animaliumq. functionum instrumenta esse perhibentur, vnum aliquandò ægrum ea præstare, quæ à pluribus benè valentibus, atque robustis effici neutiquàm possent; id quod subinde in Phrenesi detentis animaduertitur, qui, spiritibus in eis animalibus, & ab ijs vitalibus ex cere-

Plinij locus pulcherrimus quo vniuersa doctrina de ventis, exhalationibus, terræ motibus, tonitruis, ac fulminibus, huc usq. allata confirmatur.

Quanta sit spirituum vis in humano corpore.

Exemplo Phreneticorum.

cerebri, ac menyngum eius inflammatione incensis, è lecto impetuosè exsilientes, ab assistentibus etiam præualidis, teneri, & sisti minimè queunt, nec aliquandò prohiberi, quin ad fenestras concitato cursu aduolent, inde etiam se deiecturi, nisi, adhùc plurium adstantium insimul concurrentium renixu tãtus impetus coerceretur, cuius vi pariter fit, vt vincula interdũ è chordis, quibus lacerta, ac pedes vinciuntur, & quæ multi simul frangere nequirent, diuellant, ac rumpant, breui tamen pòst mora, deferuescente spiritu, cordeq. dehiscente, anima efflata, corruentes. Cuius tamen euentus in Phreneticis, aliæ quoque causæ assignantur à Galeno, Cassio, & alijs, de quibus ego in lib. de Morb. cap. frequent. in Phrenitide. Prætereà non est cur aliquis miretur, simulq. dubitet de ventorum, aut spirituum generatione intrà penitiora terræ loca, vbi scatebræ quoque sunt diuersarum aquarum, præsertim verò, vbi montes ad mare extuberant, cuiusmodi tellus cùm motibus, tum incendijs frequenter solet esse obnoxia, quippè tam à Sole, quàm ab ignibus subterraneis calefacta, & halitus, & spiritus, & ventos continuè generat, ac emittit, nam, vt Aristoteles lib. de Mundo, si libri illius est auctor, nos edocet: *Terra continet in se multos, vt aquæ, ità flatus, & ignis fomites.* Quorum è terra generationi non paruam præbet occasionem facta in ea hyemali tempore antiperistasis, præ qua calor eius ad ima se cogit, qui antea in superficie tantùm vigebat; Cuius rei testes sunt aquę puteorum altorum, quæ brumali tempore ferè æstuant, ac fumant. Sed neque his contentus Aristoteles, ad probandam terrę motuum originem ab introclusis spiritibus frustrà exire nitentibus prodeuntem, alijs quoque rationibus, & fundamentis vtitur, quæ non sunt hoc in loco prætermittenda. Primùm itaque suam hanc opinionem cõfirmat ab anni temporibus, quibus tales motus sentiri solent, & à locis, vbi suscitantur: A temporibus, quia tunc ait maximè fieri terræ motus, cùm magna spirituum, vel exhalationum co-

Spirituum, ac Ventorũ generatio intrà terræ latebras.

Ex Auct. Libri de Mundo.

Antiperistasis hyemalis originis exhalationum causa.

Comprobatio Aristotelicæ opinionis ab anni temporibus.

Cur terræ motus crebriores sint in Autumno, & Vere.

pia terræ latebris inclusa est, id quod Vere, & Autumno potissimùm accidit, vt rectè hinc deducat huiusmodi motus terræ, plerumq. illis temporibus contingere, quæ media sunt inter Hyemem, & Aestatem; Ex quo Plinius lib. 2. cap. 79. ait: *Et Autumno, ac Vere terræ crebrius mouentur, sicut fiunt fulmina*. E quibus tamen verbis colligi potest, extrà etiam media tempora terræ motus oriri, vti significare similiter voluit Seneca lib. 6. cap. 2. Quæst. Natur. vbi de terræ motu agens Februario mense facto: *Et quidem* (ait) *diebus hybernis, quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere*, intelligit autem (ni fallor) Aristotelem, cuius propterea sermo non est ità accipiendus, vt significet terræ motiones per Autumnum, & Ver tantummodo fieri, nam & id perpetuæ veritatis non esse idem Philosophus sensu didicerat, sed quòd plerumque, & maiori ex parte per ea tempora excitentur, nec non sæuiores, & crebriores existant. Quare huiusmodi res definiri, me iudice, debet, iuxtà id quod Hippocrates quodam in Aphorismo de morbis vniuersè pronunciauit: *Morbi omnes in omnibus fiunt temporibus, sed quidam magis in quibusdam*. Febres à bile pendentes Aestate maximè oriũtur: à pituita Hyeme, à melancholia Autumno, à sanguine Vere, ob analogiam, si tamen hæc tempora suas seruant qualitates. Sed quinam est è Medicis, vel à breui retrò spatio artem solitus exercere, qui interdum non obseruauerit Tertianas in Hyeme, Quotidianas in Aestate, Synochas in Autumno, & Quartanas in Vere? Idem ergò de terræ motibus asserendum, scilicèt eos in omnibus anni temporibus posse excitari, sed valdè crebriùs, valdeq. terribiliùs oriri in Vere, & Autumno, vltrà quæ tempora facti terrę tremores commemorantur non pauci, cuiusmodi Aestate fuit in Milena anno xx. Caroli Quinti, Kal. Iulij. Hyeme, ætate Alberti, in Longobardia, in Italia, Bononiæ 3. Kal. Ianuarij. Idipsum præterea statuendum puto de particularibus diei, & noctis temporibus, quæ horæ dicuntur,

Arist. sermo quomodo à tacita Senecæ nota sit vindicandus.

Testimonio Hipp. non incongruo.

Terræ motus tanquam corporis morbi in omnibus possunt fieri temporibus, sed magis in quibusdam.

Terræ motus Aestate, ac Hyeme editi.

tur, quando noctu sæpiùs, quàm interdiu terram moueri omnes affirmant, & maximos motus existere matutinos, vespertinosquè, sicut propinqua luce crebriores, interdum autem circà meridiem. Cuius assertionis veritatem, vel in hodierno Vesuuij terræ motu agnouerunt montis accolæ, veluti Nolani, Neapolitaniq. apud quos audio, & notatum etiam obseruo in nescio quibusdam impressis narrationibus, licèt nonnunquam confuso tempore tam diurno, quàm nocturno, tamq. matutino, quàm vespertino, attamen noctu, & duluculò, meridieq. velut sub ingruentis noctis atrorem, tum crebriores, tum vehementiores editos fuisse terræ motus. Quare verum esse credo, quod Georgius Agricola sæpè citatus affirmat, omnibus horis diurnis, nocturnisq. eos fieri, multis rem hanc exemplis, & historijs corroborans. Sed antequàm ad alterum Aristotelis fundamentũ à locis, in quibus terræ tremores fiunt, depromptum me conferam, satisfaciendum nunc est curioso Lectori, cui non iniucundum erit, nosse causam, cur in certis tam anni, quàm diei, & noctis temporibus terræ motus & crebriores, & vehementiores sentiantur. Qua in re cum Aristotele Medici quoque concordant, Hippocratica, & Galenica simul doctrina imbuti, ac perornati, qui assensu vniformi statuunt, intrà animantis tabernaculum, flatuum generationem valdè minùs celebrari, vbi subiecta, & ex qua dicta materia, impensè frigida stabulatur, & in eam agens calor debilis, ac perexiguus est, cuius ignauia minimè alterata, nec commota materia spirationem non efflat, quemadmodum eiusdem nimio vigore, nimiaq. intensione, quæ mouetur, subleuaturq. ex succis frigidis, & humidis halituosa vaporatio illicò dissipatur, atque resoluitur; Ità siquidem etiam hoc de magno Mundo adstruit Aristoteles, sæuiente æstu, vel algore, aninemias, seu inuentositates, non è contrà aeris agitationes, ventis mediantibus, fieri, quoniam videlicet, per Aestatem calor, qui ingens viget, spirationes dissoluit, per Hyemem inten-

Idem noctu sæpiùs quàm interdiu, & matutinis, ac vespertinis horis, velut circà meridiem.

An hoc ordine processerint in Vesuuio, ac locis vicinis.

Agricolæ de Terræmotuũ temporibus opinio laudatur.

Eadem doctrina confirmatur Medicorum placitis.

Flatuum generatio in humano corpore vnde.

In magno Mundo.

ſus rigor, eaſdem cohibendo, non euocat. Non diſſimiliter terræ motus per Aeſtatem, & Hyemem ſopiuntur, raroq. excitantur, ſed exaduerſo magis Vere, & Autumno, quòd in illis temporibus ceſſent, in his verò augeantur exhalationes; vt, quod de fulminibus cecinit in hunc ſenſum Lucretius lib. 6. mirè quoque quadret Ariſtot. ſermoni de terræ motibus:

Ex Lucretio, vbi de fulminibus.
Ex Ariſtot.

Autumnoq. magis Stellis fulgentibus alta
Concutitur Cæli domus vndique, totaq. tellus,
Et cùm tempora ſeueris florentia pandunt.
Frigore enim deſunt ignes, ventique calore
Deficiunt.

Et paulò poſt:

Prima caloris enim pars, & poſtrema rigoris
Tempus id eſt vernum, quare pugnare neceſſe eſt
Diſſimiles inter ſe res, turbareq. miſtas.
Et calor eſtremus primo cum frigore miſtus
Voluitur Autumni quod fertur nomine tempus.

Ex Galeno.

Ponamus quæſo Gal. verba de flatuum generatione 3. de Sympt. cauſ. 3. quibus promiſcua hæc doctrina medica, & meteorologica inſimul dilucidatur: *Flatuum generatio eſt in ijs locis, qui in ventre ſunt, ſuccis quibuſdam pituitoſis, vel alimentis à deficiente calore in halitum ſolutis, quippè ſincera frigiditas prorsùs halitum non facit, quod ſcilicet ea non attenuat, neque alimentum diſſoluit; fortis autem calor cùm longo interuallo nutrimentum ſaperet ampliùs quàm pro generando halitu, id attenuat, niſi tandem id flatuoſum ſit natura; quod idem in rebus externis fieri videmus: ſiquidem Cæli conſtitutio tum frigidiſſima, tum calidiſſima aerem purum efficit; mediæ verò conſtitutiones nebulas pariunt.* Ità etiam crebriùs ſentiuntur terræ motus noctu, quia, præ antiperiſtaſi tunc frigoris vi facta, ſpiritus in vnum collectus, & in anguſto poſitus, dum ſui expanſionem tentat, obnitentem terram mouet, & quaſſat. Sed cur in meridie, ſi hæc diei hora Aeſtati correſpondet?

Terræ motus cur noctu ingruunt magis.

Cur in meridie cũ dubij ſolutione.

det? An quia Solis calor magnam tunc vim obtinens, exhalationes suscitat, & in maiorem raritatem distrahit, sed tamen non dissipat, magis valens ad mouendum, quàm ad resoluendum. Neque enim par ratio est de exhalationibus subterraneis, ac de extrinsecis, & superficialibus, quippè has Sol disijcit, sed illas euocat magis, & suscitat, quàm dissipet, quæ ideò terram subindè mouent, vt idem met Sol in superficie sit causa tranquillitatis, intrà cauernas, & viscera seditionem promoueat. Ideò etiam ab eodem Aristot. Sol dicitur ventos excitare, & discutere, vt potè qui eorum materiam oriens, & occidens è terris suscitet, eosdem verò sedat, quia, meridianus præsertim media Aestate, eorum materiam absumit. Quoniam verò etiam propinqua luce, & circà diluculum, tum Plinius docet, tũ experientia monstrat, crebros esse terræ tremores, hoc inde fieri potest, quia Sol ad nos rediens terræ cogit frigiditatem, quæ naturali stipatione rimas obturans exhalationibus, in causa est, vt hæ postmodùm magna vi, magnaq. celeritate commotæ terram concutiant.

Quomodo Sol dicatur ventos gignere, & dissipare.


Cur circà diluculum.

Arist. sententia de Terræ motuum causis vlteriùs comprobatur: Cur loca montosa magis, campestria verò minùs; item cur minùs Septentrionalia, quàm ad Aequatorem posita contremiscant. Vtrum in Vesuuio hodie alij, præter vetustos, noui facti sint hiatus, &, si facti, cur nunc, iuxtà quorundam relationem, minimè appareant: Aegyptus cur nunquam, vel raro tremat; Ac demùm quatuor soluuntur Quæsita; Primum, quot modi potiores sint terræ motuum. Secundum, quomodò hi per consensum longinquioribus locis communicentur, vti nunc Maiellæ monti, Narnensi

Vrbi,

Vrbi, atque alibi, vbi de triplici Simpathia in morbis è Medicorum placitis agitur. Tertium, Vnde tanta aquarum è Vesuuij faucibus eructatio. Quartum denique; Cur mare retroceßerit, & pisces ad littus mortui sint. Vbi de subterraneis torrentibus, amplissimisq; tum frigidis, tum calidis fluminibus, deq; eorum origine disseritur, & historia de Alphæo ex Achaia in Siciliam ad Arethusam desinente, contrà opinionem Strabonis, confirmatur.

CAP. VIII.



PROSEQVITVR magnus Stagyrita suam de terræ motuum origine sententiam superiùs relatam valentiùs adhùc comprobare, & firmiùs fulcire, argumento elicito ab altero fundamento, iacto super locis, & regionibus, in quibus terræ motus magis fiunt, quoniam quæ loca intùs fungosa sunt, foraminulenta, & concaua, cum proindè in ipsis magna exhalationum copia, & ventorum quoque multitudo gignatur, concipiaturq. crebrioribus motibus conquassari solita sunt, quod item non euenit in locis campestribus; In exemplum nobis sint, pro vna parte, montosa loca, sicut, pro aduersa, campestria, & plana; quippè in montibus, cùm tumores quidam sint terræ, & velut in hominibus capita, quæ, medicarum cucurbitularum instar, ad sese humores, halitusq. alliciunt, plures existunt specus, pluresq. cauernæ, cuiusmodi etiam in capite sunt, quàm re vera sint in plano solo, necesse ob id est, in eis copiosiores gigni, ac introcludi ventosos spiritus, qui dum egredi luctantur, terram contremiscere faciunt. Comprobatur hoc Medicorum doctrina, & facta in humanis corporibus obseruatione, intrà quæ, vbi loca per-

Quænam loca sint magis obnoxia terræmotibus.

Comparatione humani corporis.

stant

ſtant concaua, veluti in ſtomacho, ventre, inteſtinis, vtero, pectore, & capite, magniſoni rugitus, ſtrepitus, ſtertores, crepituſq. vel etiam à quoquopacto diſtantibus auditi, qui ſcilicet ibidem partim ab aqueis humoribus, quibus aqua in terræ cuniculis cum fragore decurrens correſpondet, partim verò à concluſis flatibus hùc illùc ſpatiantibus, & inter ſe colluctantibus, partiumq. illarum continuitatem extenſione ſcindere nitentibus, quaſi & hi viam, vnde egreſſus pateat, quæritare videantur, quemadmodum in terra, venti agitati, & commoti à lucta non quieſcunt, donec hiatum, aperturamuè per continui ſolutionem fecerint: Quæ cauſa eſt, cur, poſt terræ motum, ſubindè in partibus terræ patentes hiatus relicti demonſtrentur, quòd terra, excitato in viſceribus, & in interaneis mæandris ventorum turbine, atque tumultu, dirumpatur, ſicq. nonnunquam euidens remaneat fractura, quę, ſi aliquoties poſt vehementiſſimum terræ concuſſum non apparet, id fortè contingit, quia ſemel motu illo diſſoluta, rursùm in ſeipſam, partibus coeuntibus, recluditur. Vnde cogitaui aliquandò, an idem in motu, & incendio Veſuuiano accidere potuerit, cum in narrationibus, & litteris impreſſis, & exaratis notatum à quibuſdam fuerit, tam globos igneos, quàm ardentium aquarum gurgites, non omnes à ſummo montis vertice, & à magno eiuſdem cratere erupiſſe, ſed à diuerſis infrà locis, cuiuſcunque lateris, ex varijs terræ aperturis violentèr, ac repentè natis promanaſſe, adeò furente, adeoq. tremiſcente Veſuuio toto. Quod ideò dico, quoniam nunc à multis, qui diligenter, & accuratè omnia, & ſingula in monte ipſo rimati ſunt, partim ſcribitur, partim etiam oretenus refertur, tales hiatus, taleſq. aperturas minimè cerni, præter antiquam ampliſſimè hodie dilatatam voraginem, nam licèt paulò ſubter ſitum eius ab exordio incendij, fumi, & ignis nubes denſiſſimæ eructari incęperint, attamen non valdè poſt, conſumptis, & exeſis supereminentibus terræ partibus, fumariola illa in eandem met

Poſt terræ motus cur terræ hiatus apparent.

An varij in Veſuuio hiatus facti ſint, & cauſa cur multi non cernuntur.

aper-

aperturam velùt in immanem caminum concessere. A quibusdam tamen scriptum est tractatibus impressis, in ambitu montis inferiori aperturas inueniri, è quibus calidi efflantur halitus. Accedit pro Aristotelis sententia, quòd in Septentrionali plaga terræ motus rariùs sentiuntur, quàm in plagis ad Aequatorem vergentibus, cuius rei testes sunt Albertus lib. 3. tract. 2. cap. 20. & Olaus Magnus lib. 10. cap. 13. Cuius euentus rarioris causa congruit cum non multò ante allata de anni, ac diei temporibus, quandoquidem in frigidiori illa regione ob nimij frigoris excessum difficillimè in terræ latebris gignuntur exhalationes, quæ in alijs diuersa ex causa faciliùs excitantur, præterquàm in locis, aut regionibus impensè calidis, quæ & ipsæ carent terræ motibus, saltem magnis, & crebris; inter quas Plinius lib. 2. cap. 80. Aegyptum connumerat, sicut diuersam ob rationem Gallias, quas ait minimè quati, quòd in his Hyemis causa obstet, in Aegypto Aestatis: Attamen, & Aegypti terram contremuisse interdum Seneca testatur. Rariùs autem cur tremit, non ea solùm causa esse videtur, quam ex Plinio assignauimns, quòd nimirùm spirationes ibi genitæ, cum tenuioris, leuiorisq. substantiæ sint, vix enatæ, & pullulantes æstu nimio disgregentur, & absumantur, quam quidem causam cōmunem habet Aegyptus cum Aethiopia, alijsq. plagis feruidissimis, verùm etiam alijs magis proprijs, & specialibus accepta est referenda; in primis verò, quòd regio illa sit plana, & campestris, non alta, & montosa, quippè huiusmodi erectum solum vti fistulosum, & cauitatibus refertum ad concipiendas, gignendasq. exhalationes, nec non ad ventos interiùs cludendos, maximam obtinet commoditatem. Quibus istiusmodi structuræ locis nisi Cælum pateat, quo liberè præconceptum spiritum expandere, & efflare valeant, ingentes profectò, & crebros patiuntur terræ motus, qui non antè cessant, quàm spiritus, & venti colluctantes, rimas & scissuras terræ inuenerint, è quibus prosiliant, quemadmodum

Septentrionalis Regio cur sit minus obnoxia terræ motibus, quàm ad Aequatorem vergens.

Aegypti, & Galliarum Regio cur rariùs tremat.

De Aegypto quatuor assignantur rationes.

I.

II.

similiter non ante abeunt, ac euanescunt in stomacho, vẽtre, & hypochondrijs dolores, quàm flatus, aut per crebras eructationes, aut per crepitus tam obscuros, aut silentes, quàm sonoros, (ità namque eos nominat Hippocrates) erumpant, ac dissoluantur. Alia tamen insuper de III.
Aegypti regione afferri potest ratio, quia scilicèt mediterranea est, nec prope mare sita vt plurimùm, nam loca quæ ad mare perstant, quæque vndique à salo circumaluuntur, vt pro exemplo Sicilia est cum Vulcanijs Insulis ab ea non valdè seiunctis, cæteris paribus terræmotum crebriùs patiuntur, quoniam in illa faciliùs ventorum spiramina subintrant; Vnde Plinius lib. 2. cap. 80. *Maritima*, inquit, *maxime quatiuntur*, & Homero Neptunus vocatur ἐνοσίγαιος. Demùm de Aegypto alia etiam affertur ratio, in IV. Super qua Auctor dubitat, & cur.
qua ego hæsito, quia nimirum plaga eius dicitur esse partim à nonnullis arenosa, partim ab alijs limosa, at si primum verum est, ergò, vt reor, non secundum; quandoquidem aliud est aliquod solum arenosum esse, & aliud limo esse concretum, & veluti compactum, vt verisimile est esse Aegyptium, præter Senecæ testimonium, propter limum, quem turbido affluxu Nilus affert, sed qualisqualis sit, vbiq. expedita ratio adest. Nam loca arenosa vel nunquàm, vel rarissimè terræ quatiuntur motu, quoniam sub eis, vt putà non continuatis, sed seiunctis, spiritus absque renitentia, & obice, libertate inuenta, vltrò, citroq. commeat; limosa verò à tali motu præseruantur, tum quia cauernis, & fistulosis meatibus carent, quòd continuata sint, minimèq. intermissa, vnde ventorum, & spirituum receptacula non habent, ex quo Seneca lib. 6. cap. 26. Quæst. Nat. *Aegypti terra* (inquit) *nulla interualla habet, accrescente in solidum limo, nihil inane, quod interueniat, & spiritum includat*. Tum etiã quia istiusmodi terra spiritui subtercurrenti, exilireq. tentanti non admodum obsistit, imò tanquàm minùs solida, aut lapidea, minusq. ponderosa, ventorum, & spirituum insultibus facillimè cedit. Ità ergò de mente Ari-

Dubitatio quomodo solui possit.

stotelis, cui & Peripatetici, ac Medici propè omnes assentiuntur, terræ motuum generatio contingit ab exhalationibus, aut spiritibus iuxtà modum, & rationem abundè hactenùs expositam. Vbi tamen animaduersione dignum censeo, quòd & ignes subterranei, vt in Vesuuio, Aetna, cæterisq́. flammiuomis montibus clarè cernitur, nec non similiter ventus, seu is à superficie terram subintret, seu in antris eius, & specubus gignatur, terræ motum edunt, vt tria significata æqualem ferè vim, & facultatem ad mouendam terram obtineant, dum quodlibet eorum aduersus propriam, quæ repugnat, naturam motui inhiantem, intrà angusta terrę viscera coercetur, & extrà prosilire incassum obnititur, illam propterea quaquauersum mouet, & concutit. Quibus omnibus, quasi coronidis loco, quatuor addenda remanent soluenda Quæsita, quæ hoc in loco promoueri solent, huic, de qua agitur materiæ, mirum in modum conferentia: Primum est de modis potioribus, quibus terræ motus eueniunt. Secundum, quomodò eodem tempore per consensum fiant in locis longè remotis ab eo, in quo per essentiam, & primariò generantur. Tertium, quomodò ex profundo Vesuuij tot aquarum gurgites, ijq́. feruentissimi emerserint. Quartum, de maris à terra retrocessione. Quoad primum tres esse modos potiores inuenio, quibus contingunt terræ motus: Alius quando magna exhalationum copia extemplò gignitur, vel antè genitæ recens & noua portio sub ea qualitate adiungitur, vt loci pressuris contineri non valeat, quippè tunc exhalatio faucium meatu per quem expiret, intercepto, & pro arbitrio foras erumpere non valens, reuoluta in se se, & inde fortior reddita, pugnam cum obnitente terra aggreditur, eamq́. quassat, ac sæpè sæpiùs verberando vulnerat, atque discindit: Alius, cùm terra vi frigoris astringentis constipata, exhalationem ipsam ab vno loco ad alium exprimit, quæ, dum hac illac refugit, terram identidem ferit; Alius demùm, quando pariter exhalatio, oppo-

Quæsita IV. proponuntur ac enodantur.

I.

II.

III.

IV.

Solutio primi.

nente se frigore, per antiperistasim insimul intrà loculos coacta, adhùc fortior euadit, & mox rarescit. Quoad secundum, sciunt Medici, in malis nostri corporis multum referre, pro futuri euentus iudicio, & curatione ritè peragenda, non ignorare, vtrum pars laborans re vera ex se laboret protopathico, vel idiopathico affectu, an consensus nomine, & per simpathiam vocatam. Nam constat experimento, partem consensus gratia malè affectam non difficulter liberari, & vbi parti primò laboranti primùm succurritur, quæ condolebant, illa percurata, conualescere. In exemplum sumatur epilepticus insultus, qui concussiui motus gratia cùm terræ tremore magnoperè consentit. Hic à varijs infernis partibus ortum ducere solet, per mediam quandam auram venenata præditam qualitate, quæ ex illis sursum in cerebri ventriculos expirans, facultatem irritat animalem, quæ, ad rei noxiæ exclusionem insurgens, motum illum deprauatum efficit, quem caput inprimis, & posteà, per neruos, & musculos, totum corpus incurrit: Repulsa autem, vel quomodolibet intercepta, aut etiam dissipata spiritali illa substantia, nihil ampliùs incommodi cerebrum patitur, quòd si ex primaria, & idiopathica affectione tam diro symptomate laboret, res aliter procedit, quia per interualla quædam, vti per Lunæ quadraturas, & in interclunio maximè, infandum id mali genus recurrit, ægrumq. identidem miserrimè affligit. Sed vnde hæc consensio, hæc mali communicatio, quandò idiopathicè non fit? Si confugiamus ad Hipp. sententiam in lib. de Alim. *Consensus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia*, nimis genericum responsum erit, prætérquàmquòd ità multò plura loca concuti simul oporteret. Dicamus itaque tribus modis vnam partem alteri compati, vicinia, operis, vel generis societate, & communione vasorum; ob vicinitatem vesica, & rectum intestinum condolent vtero, vicissimq. hic illis, vnde Tenesmi, Stranguriæ, & Ischuriæ consensus nomine. Ab inflammato recto

Solutio Secundi.

Comparatio medica, & præsertim cũ Epilepsia.

Epilepsię per consensũ ab aura venenata generationis modus.

Eiusdem per essentiam generatio.

De triplici partiũ nostri corporis cõsensu, quo mediante sibi ipsis compati solent, qui

etiam Vesuuiano malo adpta tur.

intestino, & vtero Stanguria, inquit Hipp. compatiente vesica. Læditur quoque respiratio, stomacho, liene, vel hepate laborantibus, quòd hæ partes sint spetotransuerso connexæ. Stomachus verò compatitur intestinis, & gulę propter continuitatem. Vt hinc constet, ad viciniam spectare contiguitatem, continuitatem, cohæsionem, quæq. medio aliquo copulantur. Hac ratione cerebrum consentit vtero per spinam cui alligatur, inde occipitis dolor mulieribus frequentissimus, quo modo & inguina vtero condolent. Operis societas est, quando mammæ vtero consentiunt, & pulmo auribus; inde Peripneumonia parotide salutariter terminatur. Generis societate, seu materiæ similitudine fit consensus, vt cùm venosum venoso, neruosum neruoso generi condolet. Ob vasorum denique communionem, cùm ventriculus cordi consentit, per aortam, & venam cauam, vnde syncope stomachica, cerebro per neruos non exiles sextæ coniugationis, inde capitis dolor per consensum ventriculi, & non rarò epilepticus insultus, sicut etiam vomitus cerebro vulnerato, aut læsis meningibus; iecinori per portam, lieni per venam melancholici humoris vectricem. Omnis autem compassio, aut positiuè fit, aut priuatiuè. Positiuè, re aliqua ex vna parte ad alteram delata, vt spiritu, vapore, qualitate, facultate. Ità cerebrum fumanti ventriculo compatitur. Priuatiuè autem, non affluente eo, quod affluere debet, quæ simpathia incompleta ab Auicenna dicitur. Terræ motuum igitur simpathiam hanc viciniæ primùm ratione factam nos dicere possumus, si Nolanos, ac Neapolitanos tremores consideramus; At si longinquioribus in partibus eodem tempore, quo in Vesuuio, editos, vti ad montem *Maiella* vocatum, ad Narnensem Vrbem, apud Camertes, alia de causa, quàm ob vicinitatem factos dicere necesse est. Vtrum ob generis similitudinem? nam & illa editissima loca fistulosa sunt, & cauernosa, spiritibusq. internis referta, imò *Maiella* mõtem flãmas, & ignes interdùm

Occipitis dolor in fœminis vnde frequens. Peripneumoniæ cur salubriter parotis superueniat.

Syncope stomachica quomodo à stomacho suboriatur, velut Capitis dolor eiusdem culpa, & epilepsia, ac vomitus ex cerebri vulnere.

Simpathia incompleta quæ dicatur Auicennæ.

dùm

dùm eructasse dictũ mihi fuit. Quid si pariter ad societatem operis id causæ redigatur, cũ ob vnum, idemq́.opus montes constructos esse suprà ostenderim? Quòd si non in omnibus, sed in nonnullis tantùm contremiscentia facta fuit, id fortè contigit, quia illac ob reseratum aditum, & patentiores fistulas subterraneas sibi consentientes, spirituosa materia commota in Vesuuianis antris, indeq́.motus principium adepta, per continuatos cuniculos permeabat. Quare ad communionem, continuitatemq́. vasorum, idest cauernarum internarum, quibus mediantibus loca longè dissita, & mari etiam diuisa, per latentes anfractus tam subter mare ipsum, quàm terram excurrentes, sibi inuicem, vt partes in nostro corpore, compatiuntur. Quantum ad tertium, mirantur sanè multi, & non temerè, vnde tanta aquarum, & frigidarum, & feruidarum illuuies in hoc Vesuuij tum motu, tum incendio, vt per campos illos ab omni montis latere non flumina, non lacus, sed & maria vagari visa sint, & modò videantur. Vnde etiam Seneca in Natur.Quæst.testatur, cùm terræ motus inualescunt, flumina noua emergere, vbi anteà non erant, & speciatim lib. *6.* cap. 25. *Ladon*, inquit, *flumen inter Elim, & Megalempolim medius est, quem terræ motus effudit*. Pro cuius Quæsiti solutione supponendum est antè omnia, terram vbique locorum, non modò vbi montes velut extuberantiæ quædam perstant, erectiq́. quasi nescio quæ cucurbitulæ cacuminantur, excauatam intùs esse, & multa cõtinere flumina, ac lacus, vt inter alios nos docet Plato in Phedone, scribens, quòd perennia flumina, & perpetuo cursu perindè ac suprà terram videmus, sub ima terra manare, addens esse amplissima, latissima, insigniq́. longitudine non solùm ex frigidis, sed & ex calidis, quin igneos esse amnes humoris quoque lutulenti, præcipuè sub solo Siciliæ, existimat. Quod item de Vesuuiano solo asseri cum ratione posse tot eius effectus nunc, & aliàs obseruati, & à me suprà cum Aetnæ euentis comparati, apertè nimis indicant. Quibus

Solutio Tertij.

Intra terræ specus, & cauitates flumina esse ingentia aquarum tam calidarũ, quàm frigidarum ex Platone.

fidem

fidem adstruunt oculatæ obseruationes intrà cauum montem aliàs quaquauersum factæ etiam à Medicis doctissimis, singula in eo, vt per Anatomicos fit in cadaueribus, diligentissimè rimantibus, qui, inter alia multa, referunt in nescio quadam parte ad mare, vidisse fistulosa quædam loca, è quibus venti perquam frigidi sibilando, assiduè exiliebant, deindè in eodem situ balneum quoddam aquæ adeò salsæ, vt coniecturam inierint, nil aliud esse, quàm venam salis. Insuper ab alia parte, Austrum versus, alterum balneum eiusdem amplitudinis aqua plenum egelida, sed insulsum, instar iusculi non saliti, sicut, versus plagam orientalem, tertium vidisse balneum alijs aliquantò maius, & ipsum tepidiusculum, sed cuius aqua gustata insignem præseferebat amarorem cum ingenti mordacitate, qualis est synceri nitri, cuius in eo itinere magnam vbique locorum illorum subterraneorum copiam obseruasse affirmant, sicut denique in infima illius Barathri planitie copiosissimam arenam maiori è parte atram, alicubi verò lucidam, mistamq. cum paruis laminibus Talcis, Salis, aut Vitri, eamque vbique grauem, ac ponderosam, cuiusmodi est ea, quam hodie eructauit. Turbatis etenim & subuersis intimis eius crateribus, atque speluncis, præ terræ commotione facta à ventorum turbinibus, ab exhalationibus aliquandò non incensis, sed impetuosè solùm concitatis, aliquandò autem, & maiori ex parte, ibidem, per mali videlicet initia, ignitis, ac inflammatis ob sulphureas, & bituminosas mineras, sursumq. ad patentes meatus, & ad antegressæ inflammationis vestigia retinentem apicem, manifestamq. voraginem copiosissimæ aquæ regurgitatæ fuerunt, indeque in subiecta loca, quemadmodum & viciniæ consensus nomine à proximis Auellæ montibus, ijsdem met terræ motibus conquassatis; Vt hinc opinio eorum minimè sit admittenda, qui ex profundo cratere montis Vesuuij aquis pluuijs tantùm repleto dictas aquas fuisse eructatas arbitrantur: Verùm, vt hanc doctrinam vberiùs adhùc enarremus, terræ antra, & hiatus

Cryptas olim in Vesuuio animaduersas fuisse varijs aquis refertas.

Quæ opinio non approbetur.

tus

tus ſubterranei intimiores inde nobis manifeſtantur, quòd ingentes fluuiorum aquæ abſorbeantur maiore impetu, ac fremitu, quàm ſi ſuper terram fluant, quodque interdum eiuſdemmet terræ cuniculis coeant, & in alia loca hominibus incognita, aut in fluuios alios, aut lacus, aut etiam maria emergant. Quæ conſentanea videntur eſſe ijs, quæ Ariſt. 2. Meteor. tex. 9. ſcribit, cui & Alexander in comment. aſſentitur. Vnde Surius cõment. ann. Domini 1501. de Rheno in Germania flumine ampliſſimo loquens ait. *Is non longè ab Schafhuſia Vrbe Germaniæ obtinens altitudinem quadraginta, aut quinquaginta cubitorum ruit præceps in imum; itaut aqua omnis in ſpumam, & nebulam resoluatur, quod ſanè eſt aſpectu horrendum.* Quanquam autem ibi abſcondi videatur, mox nihilominùs denuò inſurgit amænus, nitiduſq. aſpicitur fluere vſque in Oceanũ. Sic Strabo lib. 8. in fine. Auiam fluuium, iuxtà Pheneum, diù ſubterraneo curſu latere, deinde emergere, ampliſſimeq. ſeſe in campos diffundere memorat, quemadmodùm etiam lib. 9. tradit Cephiſum ſubterraneis meatibus fluere ad ſtadia triginta, poſteà reſurgere. Idem affirmat Plinius lib. 31. cap. 3. de aqua Martia, nam poſt longos excurſus ex vltimis Pelignorum montibus tranſiens Martium, & Fucinum lacum, in ſpecum demergitur, tandemq. in Tiburtina ſe aperit, nouem millia paſſuum fornicibus ſtructis in Vrbem etiam ipſam Romam perducta eſt. Verùm, quod mirabilius eſt, & ſermonem de cuniculis ſubter mare magis confirmat, narrat Pauſanias lib. 5. Alphæum flumen occultis meatibus ſubter labi vſque in Siciliam in Arethuſam fontem, ibiq. deſinere. Et ne quis de rei iſtius fide maneat in ancipiti, præſertim quia contrà ſtat idem Strabo, ea ſolùm permotus ratione, quòd talis fluuius nunquàm abſorbeatur, & eius oſtium pateat, præter Senecæ teſtimonium Natur. Quæſt. lib. 3. cap. 26. & lib. 6. cap. 8. vbi Alphæon agere ſub mare curſum ex Achaia vſque in Syracuſanum littus in Arethuſam fontem, teſtatur, Stobæum

Rhenus in Germania vbi deliteſcit, & poſteà reſurgit ex Surio.

Item vb Auia fluuius apud Strabonem.

Aqua ſimiliter Martia apud Pliniũ.

Hiſtoria Alphæi fluminis ex Pauſania.

Ex Seneca.

Stobæo.

ſerm. 62.

Solino, & Vbio. Ex Plinio, & Gregorio Nazianzeno.

serm.62. Solin.cap.9. Vbium sequestr.de flum. Plinius insuper, & B. Gregorius Nazianzenus idipsum similiter comprobant, quorum primus lib.2.cap.103. sic loquitur. *Si quid iactum fuerit in Alphæum, hoc in Sicilia redditur in Arethusa; nam per Olympum fluens Alphæus Peloponnesiaco littori infunditur, & in Arethusam peruenit*. Alter in Monodia sic scribit. *Alphæus fluuius, qui ex Archadia Peloponnensi ad amarum Arethusæ fontem in Siciliam per aquas marinas ingreditur, nec propterea ex eius dulcedine quidquam (mari se se commiscendo) amittit*. Quoniam

Solutio Quarti.

verò etiam (& hæc erit quarti Quæsiti solutio) tantarum aquarũ in cauernosis mõtibus ad mare positis copia salsis aquis illùc per continuatos in imo ductus non absurdè attribuitur, ideò causa retrocessionis, (nisi quis malit appellare defectum) maris ad Vesuuij, & vniuersæ illius oræ maritimæ situm referri debet accepta, non tantùm maximo incendio, maximæq. internæ flagrantiæ per aliquod spatium aquas ipsas marinas pingues, & inflammabiles deurenti, & absumenti, sed etiam absorptioni intrà canales cum mari continuatos, qui, ex tanta laticum propriorum euomitione, per montis fauces ad apicem præcipuè effecta, exinaniti, ne vacui persisterent, è mari aquæ vehementi vi impertitæ, ac suppeditatæ fuerunt, quibus repletis, exiguò pòst mare iterum vada occupauit, & quæ circumcirciter littus illius tractus loca inania, & ferè arida cum ingenti piscium mortalitate reliquerat, rursùm alluit, piscesq. vitæ capaces animauit. Vnde hinc obiter colligamus, latices fontium, fluminum, puteorumq. non modò generari intrà terræ specus à vaporibus, & halitibus elatis, & in superiori parte frigidiori densatis, ac in paruulas guttulas degeneratis, quæ successiuo quodam modo profundiores terræ meatus subeuntes, multumq. in ea adauctæ, fontes, & fluuios tandem progignunt, simili prorsùs ratione, qua producuntur aquæ per Alambicum distillatæ, quippè ascendens vapor à materialibus ad frigidam partem,

Piscium mortalitatis causa.

Fontium, & fluuiorũ origo vnde.

tem,

tem, & in guttas concrescens, stillatus in vas recipiens appellatum, quomodo fontes, & fluuij oriuntur à montibus tanquam ab Alambicis, quorum vaporum generationis intrà terram occasio partim ab aquis pluuijs, partim ab aere etiam subministratur, non solùm inquam tot fontes, putei, fluminaq. in terræ latebris modo dicto nascuntur, & augentur, sed a marinis quoque aquis originem, & incrementum sumunt, quæ continuè per subterraneos ductus, atque cuniculos sensum nostrum fugientes in intimas terræ specus se se indunt, ac insinuant, cui rei argumento sit, quòd si putei ad mare siti fundum effodiamus, salsam aquam inuenimus, sed quò magis à mari puteus distans est, dulcem, non aliam ob causam, nisi quia prope mare adhùc illa aqua non tam longè penetrauit, vt attenuari, purificariq. potuerit, sicut eidem contrà euenit, cùm per extensum spatium terræ angustos meatus subintrat, quo itinere crassiorem sui substantiam deponit, & consequenter genuinam salsedinem, dulciori, ac tenuiori retenta. Hinc cessat omnis prorsùs admiratio, cur apud Venetos Puteus satis amplus, & altus in littore ad D. Nicolai templum, qui vndique, & à sinus maris Adriatici, & ab appellatarum Lacunarum aquis salsis circumdatus mediocri interstitio, dulcissimis aquis perpetuò in communem nauigantium vtilitatem scateat. Sed, ne à proposita re procul nimis abscedam, Simon Portius in Puteolana flagrantia, in qua mare passibus ferè C C. tam ex eo, quàm ex alijs Scriptoribus recessisse constat, huius euentus causam fuisse refert, quòd exhalationes exitum quærentes, terram rarefecerunt, quæ gliscens, & veluti sitiens aquam per suas scissuras, ac rimulas hausit, vnde factum est, vt pars illa terræ, quæ priùs abluebatur, sicca remanserit. Suprà autem ex D. Augustino dixi, quòd vnà marinæ aquæ absumuntur per combustionem, vi torrentium aquarum ignitarum, quæ cum illis commiscentur, in quam pariter calorificam, imò adurentem aquarum vim retuli piscium

Fontium, & fluminum generationis modus.

Putei apud Venetos aquis marinis circumdati aqua dulcis vnde.


Recessus maris causa ex opinione Simonis Portij.

& D. August.

Piscium mortalitatis causa.

mortalitatem. Tanta enim alteratio ad contrarium de-repentè facta, dico à frigido & humido, ad calidum, & siccum, & è contra, subitariam necem inferre potest animantibus fortioribus; cuius rei exempla non desunt, sed breuitatis ergo omittuntur. Refert verò Georg. Vernherus Transiluanus de Baln. Pann. dum verba facit de Balneis Budæ, in his videlicet calidis pisces nasci, nutriri, & conseruari, qui si transportentur ab illis thermalibus aquis in frigidas, statim eos interire testatur. Quid ni ergò etiam, & multò magis, si in contrariarum qualitatum aquas subita fiat transmigratio? Quæ insuper tot prauis diuersorum mineralium qualitatibus amaris, acribus, & austeris, nec non fętidis odoribus infectæ, & contaminatæ sunt? Et hic finis Aetiologiæ Terræ motuum. Cui mox succedet altera breuior, flagrantiæ, seu incendio Vesuuij conueniens.

Aetiologia Flagrantiæ, vel Incendij montis Vesuuij, & primùm de causa, & modo generationis fulminis aerei, mox de causis intrinsecis, & extrinsecis Vesuuiani incendij, quod priùs iterùm definitur, aut circumscribitur. Vbi de Igne subterraneo, eiusq; continuitate disseritur, & cur tamen incendia deforis non continua, sed extemporanea sint; Atque cur, & quomodo mare ad incendia locorum maritimorum concurrat.



CAP.

CAP. IX.

QVONIAM superiùs, occasione Aetiologiæ Terræ motuum, plenè, vt puto, satisfactum est etiam sermoni de causis diuinis, quæ identidem, Deo ità mandante, cùm ad commouendam, & aperiendam, tùm ad accendendam, & inflammandam terram extemplò, terrificè, ac portentosè suscitantur, aut in scelerum vindictam, aut in nostram commonefactionem, vt à profundo veterno expergefacti, tot vitiorum generibus vel à mentis cogitatione procul ablegatis, ad ea, quæ in Cælis sunt, vnde migrauimus, non quæ in terris, è quarum fraudolenta amænitate, vt herbis, floribusq. aspectu quidem iucundissimis, sed citò occiduis, imò venenato chymo imbutis, præsentanea mors continuè imminet, seriò quærenda, strictoq. lacertorum cordis vinculo complectenda, libenti, ac sincero animo confugiamus, propterea statui illicò sermonem ad naturales causas dirigere, quatenùs hæ nimirùm è physicis, ac meteorologicis principijs depromi solent. Quemadmodum igitur in anteactis, priusquàm sermo inchoaretur de causis terræ motuum, allata à me fuit causa, & ratio generationis tonitruum, quæ cum terræ motibus mirum in modum congruunt, vt hinc patentior illis via planaretur, ità nunc de causa, & modo generationis fulminis, cum quo terrena hæc in Vesuuio edita coruscatio, & ignis, atque flammarum eructatio tantoperè conuenit, quàm breuissimè agam, moxq. de Vesuuiani Incendij causis potioribus orationem exordiar. Suprà igitur loquens de comparatione fulminis cælestis cum incendio terreno, & coruscatione de repentè ab aliquo loco, vt hodie è Vesuuio, emissa, dixi, fulmen nihil esse aliud, nisi exhalationem, non simplicem, sed ignitam è nube magno impetu excussam; Cui quidem exhalationi

Cur Deus portentosa signa aliquãdo immittat, inter quę tremor terrę est & incendiũ.

Fulmen quid sit.

Exhalationi vnde incensionis prębetur occasio.

nondum accensæ, sed tenui admodum, ac siccæ, ideoq. facilè inflammabili, incensionis occasio præbetur, ac suppeditatur vel à motu, quo ipsa velocissimè rapitur, vel ab antiperistasi, vnde in sese magis, contrarium fugiens, collecta, calidior, fortiorq. euadit; Et quoniam, vbi accensa est, vnà quoque rarescit, ac dilatatur magis, omni conatu in nube frigida, densa, diuq. reluctante aperturam quæritat, dumq. post luctam, nubem tandem disrumpit, tonitru edit horrendum, sed, si nubem ipsam ad inferiorem partem tanquàm tenuiorem ibi, ac debiliorem frangat, eodem met impetu, quo eam scindit, ad terras vibratur, nec in aere mox diffluit, & dissipatur, vt pleræque omnes exhalationes ignitæ, tum quia velocissimè erumpit, tum quia partibus benè coagmentatis, & inter se cohærentibus compaginatur, fulmen illud efficit, quod vel cum cuneo, vel sine cuneo tot damna sæpè ædificijs, arboribus, pecoribus, & hominibus infert, quot hodie Vesuuiana fulmina. Interdum verò fulmen, languidiori ictu iaculatum, non peruenit ad terras, sed in aere eneruatur, ac moritur. Quæ pauca de fulminis generationis modo in aere, ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ facta sunt in terra montis Vesuuij.

Quomodo tonitru edit.

Quomodo fulmen.

Licèt igitur ad terræ motuum generationem plerumq. exhalationes minimè accensæ, aut ignitæ concurrant, vt ex eo abundè patet, quòd ignium eructatio in quibusdam solummodò terræ motibus conspicitur, attamen in Vesuuiano motu apertè nimis visum, & obseruatum ab omnibus est, non simplices tantùm, sed & inflammatas, prorsùsq. igneas adfuisse è montis faucibus tanquam fornacibus, & caminis, instar fulminum è nubium fracturis iaculatorum, impetuosè vibratas, cum flammeis torrentibus, saxis varij generis torrefactis, ac exustis cineribus ferream, plumbeam, nitrosam, sulphuream, & bituminosam substantiam singulorum sensui offerentibus, vt nulli dubium esse possit, quin Vesuuianus ardor ab exhalatione accensa, inq. flammam versa, velut etiam à dictis mineris terræ

montis

montis ſpecubus occultatis, & ad concipiendum ignem ſuoptè ingenio diſpoſitis,inardeſcentibus , primariam cauſam è naturalibus intrinſecis,proximis, aut immediatis habuerit, ſuppeditata etiam interim prophaſi , ſeu extrinſeca, & procatarctica occaſione ab aquilonaribus ventis frigidiſſimis, qui Octobri menſe vertente ad plures dies,ante incendium, ſpirauere, ſuccedentibus mox è maritima plaga cùm alijs , tum præcipuè Auſtris , & Africis vehementiſſimis, quæ cuncta ad Veſuuij terram concutiendam, patefaciendamq. & ad ignium , fumorum , ſaxorum , cinerumq. denſiſſimas nubes inde euomendas , quantam vim habere potuerint, ex infrà diſſerendis vnicuique manifeſtum fiet, præterquàmquòd ſuperiùs etiam idipſum breuiter notatum à me fuit . Circumſcribamus ergò nunc , (ſi non exactæ definitioni ſubijcere nos volumus) Incendium hoc Veſuuianum, dicentes , nihil eſſe aliud , niſi magnum quoddam in Natura accidens , per longa , vt plurimùm , exurgens interualla , nimirùm, immenſum quendam ignis exceſſum, qui ab illius montis barathro ignium ſubterraneorum erumpens,ac pinguem,& combuſtibilem eiuſdem terræ materiam perſequens , per violentiam diruptis antiquis,& nouis quoque ab illi,non longè ſemotis terrę hiatibus , ac fumariolis , miras vnà & horrendas mortalibus ſuper terram ipſam flammas eiaculatur . Pro cuius deſcriptionis enarratione , vt cauſæ in primis materiales, & efficientes , mox verò etiam coadiuuantes iſtius flagrantiæ indagentur, ſupponendum eſt cum meliori philoſophantium ſchola, in totius terræ męandris , & præſertim montoſorum locorum, quæ ſpecubus, & antris abundant , mineralibus varijs , & copioſis exhalationibus refertis , quæq. maximè ad maris oras perſtant , ad quæ fluctus ſalſarum ſimul, & pinguium aquarum , nec raro procelloſæ tempeſtates illiduntur , igneam latitare ſubſtantiam,in perpetuo fomite minerarum combuſtibilium, ſeu ſit carbo , vel pruna, ſeu vapor feruidus, aut etiam flamma , vbi conflagrandi

Incendij Veſuuiani definitio.

Vbinam terrę męandris ignis potiſſimum latitet.

di ſpatio priuata non eſt. Et licèt incendia ipſa terrarum velut Veſuuij hodie, extrinſecùs ſemper non emicent, ſed extemporanea ſint, non hinc propterea eſt deducendum, ignem in ſubiectis terræ latebris, & caminis, cuiuſmodi nunc, poſt ceſſatum incendij paroxyſmum, in intimo Veſuuij barathro à viris fide dignis notati ſunt, perpetuum minimè ſubſiſtere. Cuius ſanè ignis continuati techmeria ſigna habemus quàm plurima, iuxtà Galeni teſtimonium lib. 5. Meth. vbi Veſuuij naturam affabrè delineat, dico fumũ, vaporem, & aeris montis teporem, præter aquas, quæ inde feruidiſſimæ eruperunt; Quales aquæ, paſſim thermales nuncupatæ, ex alijs multis Orbis terrarum locis citrà incendiũ ſcaturire ſolitę, eandem ignis continuitatem, ſatis superq. demonſtrant. Vnde experimento domeſtico, & cunctis accolis noto, atque vulgato conſtat, apud Patauinos, in Thermis Aponitanis, mulieres ad pullos gallinaceos, & columbinos deplumandos huiuſmodi aquis vti ſolere, vbi primùm è terræ meatibus pullulant: ità etiam, vt infinita alia loca taceam, ad Cimini montis radices ſitu boreali (vbi Viterbium) vis ignea ſub antris abſcondita aſſiduè manans manifeſtatur, dum in totam illam planitiem diffunditur, moleſtiſſimo Sulphuris halitu plena, nec non glebis paſſim aridis, & ſpongioſis, innumeriſq. fontibus prçcalidis circumalluta, quos inter Bullicanũ recenſent famoſiſſimum, ob feruorem intolerabilem. Verùm cur longè ſemota loca ad id comprobandum quærito? An non refert Ambroſius Nolanus vaporaria in Veſuuij montis vertice fieri, quò plerique valetudine affecti menſe Auguſto aſcendunt, vt per nimias curentur deſudationes? Qua de re ſcio etiam me eſſe locutum, dum montis huius naturam, & qualitates venabar. Calorem verò hunc talibus aquis thermalibus inſitum, nemo vnquam ſanæ mentis dixerit, à ſolari, aut ab interaneo calore vi Solis impertito telluri, communicatum eſſe, ſed ab ardeſcenti igne, qualis eſt vel in accenſo carbone, vel in flamma: quoniam ſcilicèt Sol nun-

Continui ignis intrà Veſuuij barathrũ ſigna.

Experimentum apud Patauinos in Thermis Aponitanis.

Apud Ciminum mõtem prope Viterbium.

Et Bullicanũ.

Vaporaria in Veſuuij cacumine deſudationis gratia.

Thermales aquæ vnde nam calorem acquirant.

nunquam ſtagnantium lacuum latices, quos ſæpè recta, & nullo interiecto impedimento, ſuis radijs ferit, adeò calefacit, nec interaneus calor tanti eſt roboris, vt aquas ſuaptè natura gelidas illac excurrentes, ad tàm magnum caliditatis gradum redigere valeat. Quòd ſi externa coruſcatio, aut incendium variare videtur, modò ſcilicèt ceſſans, modò reuertens, non eſt cur miremur, quoniam flamma, ſeu incenſa illa exhalatio foras ad tempus eructata, de natura accidentis eſt, tandiuq. durat, ac perſiſtit, quandiù combuſtibile adfuerit, quo ceſſante & ipſa ceſſat, donec noua, & recens, ex iugi intùs feruido vapore, feruidaq. caligine, materia repullulando proſiliat ad ſupernas cauernulas, quæ ceu fuligo in caminis terræ craſſiſſima ab exſuflante intùs ſpiritu, vel flatu concitatum ignem corripiat, ſicq. flammas iterùm nouas edat, ſed non homotonè 1. eodem ſemper, & continuato tenore, vt ſenſus indicat, & olim fuit in Veſuuio obſeruatum, poſt decantatiſſimum incendium Titi Veſpaſiani Imperio editum, quippè Dionis, & Vitruuij teſtimonio, vel quotannis, vel paucorum ſanè interſtitio annorum, Veſuuius ipſe incendebatur, nunc intenſiori, nunc remiſſiori flamma; nunquam tamen tam vehementi, tamq. terrifica, quàm Titi, & noſtra hac ætate. Siquidem natura tota in motu continuo perſiſtit, maioraq. vel minora promit id genus accidentia, pro diuerſitate diſpoſitionum, tum loci, tum materiæ accendibilis, tum & Ventorum in eam vrgentium, vt ante nos doctiſſimus Baccius annotauit. Tres namque hæ ſunt principales cauſæ, penitùſq. neceſſariæ ad huiuſmodi progignenda accidentia. Cuius doctrinæ veritas ex ſuprà non ſemel traditis, & enarratis nemini patere non poteſt. Et quoad locum, hic non vbique idem, eiuſdemq. diſpoſitionis eſt, ſed diuerſus, & vagæ, cum meatus, & cuniculi ſubterranei inæquales exiſtant, ac diuerſimodè labyrinthæis gyris fatiſcant, imò, vt non valdè antè probaui, ſub mare quoque certis in partibus ad loca non adeò longè diſſita, & proximiores Inſulas

Coruſcatio, vel incendiũ cur modò ceſſet, modò repullulet.

Quot, & quę nam cauſæ concurrant ad diuerſitatem faciendam in Incẽdio.

Ratione loci.

ſubten-

subtendantur, vimq. ignis exinde communicent, perindè ac terræ motiones, per eosdem met ductus prosilientibus exhalationibus. An non in Puteolano sinu, assertore Plinio, & duce experimento, aquæ miro feruore exiliunt, & non multos ante annos medijs eius fluctibus visa sunt erũpere incendia? Ad quam locorum dispositionem, diuersitatem magnam in cunctis incendijs generantem, respiciens sæpè citatus Agricola ait, manifesta montium incendia si perpetua sint, intelligere nos nullam esse obstructionem viarum, per quas modò quasi fluuium quendam ignis, modò flammas, nunc verò tantùm fumum euomant. Sin per temporum interualla increscunt, internis vijs occlusis, eius viscera nihilominùs ardere; Superioris autem partis incendia, propter fomitis inopiam, nonnihil ad tempus remittere. At vbi spiritus vehementior rursùs, reclusis vijs ijsdem, vel alijs, è carcere magna vi erumpit, cineres, arenam, Sulphur, pumices, massas, quæ ferri habent speciem, saxa, aliasq. materias foras eijcere. Cuius rei exemplum sit non modò, vt idem notat, montis Aetnæ, & montis noui, qui ad Auernum, sed & Vesuuij omnibus patentissimum hodiernum incendium. Quoad materiam, hæc profectò necessaria est causa, sed nec ipsa semper vnum, & eundem tenorem seruat, vt nec eadem qualitate, ac quantitate perpetuò disposita est, nec etiam ità vegeta, vt excitare incendium valeat æquè in vna, ac in alia parte. Pro efficienti denique causa ponuntur exhalationes, ac venti (quæ ambo eandem cum Aristotele, non item cum Hipp. obtinent naturam, & sub eadem comprehenduntur specie) agentes, mouentes, excitantesq. in propinquo, ac benè disposito fomite flammas; Quinimò, vti sine huiusmodi spiritibus nequeunt terræ motus fieri, ità nec conflagrationes, vel incendia. Quod inde lucidissimè patet, quoniam signa, & effectus incendia ipsa anteire, & subsequi soliti, ab exhalationibus, & ventis manifestè gignuntur, quales in Vesuuiano monte conspecti sunt antè, & pòst eius flagran-

Agricolæ testimonio.

Ratione materiæ.

Efficiens causa terræ motus, & incendij,

grantiam. Subterranei quippè mugitus aliquandiù anticipare ſolent, vt olim apud Puteolos, & Ferrariam, prius quàm ignei globi è patefacta terra euomantur (ſicut neſcio quot retrò diebus, antequàm arderet Veſuuius) A quibus mugitibus exiguo pòſt tempore terræ motus varij, & inæquales edi conſueuerunt, deinceps fractis, quò maximè impetunt, rimoſis terræ locis, fumus, & ab eo mox craſſa emitti caligo incipit, tandemq́. flammarum, ac cinerum vortices horrificis modis in aera iaculantur. Quæ omnia ignitæ exhalationis, & venti impetuosè iactati manifeſti ſunt effectus, cùm ſæpiſſimè alijs in locis, tum hodie maximè in Veſuuio calamitosè editi. Verùm quia ſuprà loquens de Aetna potiſſimùm, & Inſulis, de quorundam mente, ac ſententia dixi, loca ad mare ſita valdè crebriùs tentari incendijs; vnde in Sicilia, præter Aetnam ipſum, ei quoque conterminæ Aeoliæ omnes, Iſchia, & Prochyta ad Neapolitanorum conſpectum in Campania, & præ cæteris, Veſuuius; extrà Italiam verò vna Cycladum in Aegæo mari, Inſula Islandia, & præſertim in ea mons Hecla, flagrantijs, ac tremoribus ſubiacent; ex qua obſeruatione deducitur, mare etiam concurrere ad ſuſcitanda incendia, ipſumq́. ſimul, ſi non re vera agentis, ſaltem coadiuuantis cauſæ nomine, ad id mali genus efficiendum conſpirare; idcircò, cum omnia ferè loca totius Orbis terrarum, ardoribus, vel incendijs obnoxia, à circumfluo mari alluantur, & præ hiatibus quoque, atque ſpeluncis ad illud patentibus, à procelloſis ventorum turbinibus ſubindè verberentur, nec non iugem inde, pro incendij nutricatu, alimoniam concipiant, nulli mirum eſſe debet, ſi & creberrimè, & vehementiſſimè ardent. Mare etenim, præter fluctuum ſuorum in ſubterraneas cauernas alliſum, quo vias illarum intimiores recludit, & ventis ab eo ſpirantibus aditum ad profundiores partes, in quibus exhalationes facilè inflammabiles, mineræ combuſtibiles, & fortaſsè etiam ignis ſcintillæ, aut flammulæ abſconditæ

Vndenam deducitur ad incendiorum generationé mare quoque concurrere.

Rationes.

ſunt, reſerat, atque dilatat, vt hac ratione velut principium quoddam ſtatui poſſe videatur incendiorum, initium motus præbens cæteris cauſis, quæ magis proximæ ſunt, pinguem quoque, & vnctuoſam ſui partem in propagationē materię incendij ſubminiſtrans.

Qualitates marinę aquę.

Quòd enim maris aqua, præter craſſitiem, & ſalſedinem, pinguis etiã, & vnctuoſa ſit, ità vt eiuſmodi qualitatibus cùm mineras ſulphureas, ac bituminoſas adaugere, tũ vel accenſam iam in illis flam̹mam fouere, & cõſeruare queat, nõ aliũde meliùs probari poteſt, quàm ab experimẽto Ariſtotelis, qui 23. ſect. Probl. ſcribit, tẽpore tepido ex mari oleum exudare: ἀπό γὰρ τῶν ἁλῶν ἔλαιων ἀφαιρεῖται. Et item oleum ſubſidere ſalſis: τοῖς ἅλασι ὑφιστάμενον τὸ ἔλαιον 31. ſect. Sic de mare tanquam rerum omnium progenitore loquens 3. de Gen. anim. cap. 11. ait: *Multò corpulentius aqua potulenta eſt, atque etiam ſua natura calidum eſt, vt particeps omnium partiũ videlicet humoris, aeris, terræ*. Iuxtà hoc faciliùs in mari, quàm in fluuijs na-

Natatio cur in mari facilior, quàm in fluuijs.

tamus, vnde Gal. 3. de ſan. tuen. admonet eos, qui natationibus aſſuefieri volunt, à marinis incipere. Inſuper marinæ aquæ, ob ſui pinguedinem, linamenta, ac veſtes in eis immerſas, & lotas commaculant, non abluunt. Quam rem docere nos volens Homerus, dum Vlyſſis naufragium ad Corcyram canit, introducit Nauſicaam Alcynoi filiam lauantem veſtes, cumq. ad mare eſſet prope ripam fluuij, non in marina aqua eam fingit veſtimenta ad abluendũ immergere, ſed in fluuiali. Quæ cuncta magis adhùc in proximis, ac ſubſequentibus capitulis confirmabuntur.

Lauatio veſtium in aqua marina cur damnata etiã Homero.

Ignis elementaris natura, & locus: Ignem in mixtis, & ſubterraneum in primis vocatum, manifeſtè dari, contra quorundam opinionem; Differentiæ ignis elementaris, noſtratis, & ſubterranei; Vbi Conimbricen-

bricensium, & Baccij opiniones ventilantur; & demùm, quæ de natura, & causis incendiorum Aetnæ, Vesuuijq́ suprà dicta fuere, auctoritate Pindari, Lucretij, Virgilij, Silij, & Auctoris Zodiaci vitæ hum. comprobatur.

CAP. X.

QVEMADMODVM suprà de communi Peripateticorum sententia statuimus, dari elementum ignis, quod vltrà cætera elementa, vt in proprio loco, ad Lunæ globum insidet, tanquam corruptibilium corporum purissimum, plurimum formæ, & minimum materiei participans, & naturæ Cæli non longè dissimile, vt idcircò inter purissimum simpliciter, quod est Cælum, & inter hæc nostratia non pura, id quod est minùs impurum his, & minùs purum illo, quasi medium quoddam corpus intercedere æquum fuerit, censeant quidquid lubet neoterici aliqui magni alioquin nominis, spectatæq. doctrinæ, quorum dux videtur fuisse Cardanus, cuius tamen rationes, & argumenta subtilissimus Scaliger abundè refellit in suis contrà illum Exercitationibus, sic cum Aristot. alijsq́. Philosophis, ac sensu ipso dubiarum rerum iudice asserendum est, intrà terræ viscera ignem, imò ignis fontes, velut aquæ, & flatus contineri iuxtà Platonis mentem in Phęd. & Aristotelis dictum in lib. de Mundo, quorum alij occulti sunt, & obscuri, alij respirationes, & quasi reflationes habent, vt Lypara, Aetna, Aeoliæ Insulæ, eosq́. subindè, & fluuiorum modo fluere, & massas, flammasq́. candentes promouere. De qua re, dico de igne, vel intestino calore ad meum hunc sensum, doctè, & argutè peragit Erastus in suis Epist. præter Georg. Agricolam, cuius doctrina nihilominùs libenter, quàm frequenter vtimur. Neque enim

Ignis elemētaris locus, & qualitates.

Contra eos qui negant ignem dari in terræ specubus.

Ibidem cur à natura collocatus.

Necessitas ignis subterranei ex Baccij opinione.

De discrimine ignium inter se se.

audiendi sunt ij, qui idcircò negant in intimis terræ cauernis talem igneam naturam adinueniri, quia diù ignis extrà sui elementi regionem esse non possit. Nam terrenus ignis non est ignis elementaris, sed, vt rectè determinat Aristot. mixtum quoddam naturale igneum, quod est ibi à natura collocatum, cùm alijs, tum duabus præcipuè de causis. Sicut enim in quolibet elemento sua reperiuntur mixta, animaliaq. & in summa aeris parte fiunt meteorologica, ex determinata materia, sic infrà terram mixta generantur terrestria, quibus pro materia inseruiunt vapor, fumus, ignis, aqua, totq. varia succorum genera, quæ sponte cuncta è terris effluere cernuntur; Quorum sanè terrestris ignis partim materia existit, vt in primis metallorum, ac mineralium, partim verò ceu aptissimum instrumentum videtur, maximèq. actiuum ipsius naturæ; in tot eius à nobis non perspectis, nec penetratis operibus. Quinimò eruditissimus Baccius, cuius doctrinæ hac in re præcipuè adhæreo, huius ignis necessitatem in tota natura inde argutè probat, quòd velut in artibus innumera sunt opera, quæ non perficerentur sine instrumento ignis tam necessario, ità prudentissima natura videtur hanc ignis sobolem infrà terram constituisse, vnde disseminato per opportunas immēsi istius corporis venas calore, tot mira perficeret rerum terrestrium mixta, vtq. aquas ipsas, diuino fermè instituto, ad salutem hominum, vno perpetuo temperamento caloris afficeret. Verùm, quod nam discrimen est inter ignem tam nostratem, & familiarem, quàm subterraneum, ac inter elementarem? Id puto esse præcipuum, quia elementaris in sua sphæra vndique se à contrariorum damnis amplitudine sua, inditaq. energia tuetur, nec illorum iniurijs lacessitur, vtpotè formæ plurimum continens, materiei verò minimum, vnde non tam regionis terminis, quàm propria natura Cælo affinis est, quippè qui & lucis vim, à nostro tamen visu, ob infrà adducendam rationem, minimè penetratam, in se continet, & multùm mobilis est, & corruptibilium

bilium corporum puriſſimus, parùm abſens ab eſſentia formæ cuiuſpiam, adeò quoque vt pro vera forma ab antiquis fuerit acceptus, vt ex varijs Ariſtotelis locis colligi poteſt, quæ cauſa eſt cur inibi paſtu non egeat; alij verò ignes, nempè etiam nobis domeſticus, familiariſuè, & ſubterraneus, tanquam à primo illo diuerſi, & alligati materijs, aduerſariorum iniurijs patent, & niſi pabulo, aut nutrimento ſubinde inſtaurentur, quemadmodum & calor noſter natiuus, facillimè corrumpuntur, ac pereunt, cui tamen corruptioni neceſſariò ob id contingenti, ſi nutricatus denegetur, pluribus modis, de noſtrate intelligo, occurrere ſolemus, quos tum natura, tum ars adinuenit, vt ignis ipſe denuò regeneretur; Quandoquidem gignitur ignis ab alio igne, attritu quorundam corporum, & coitione radiorum ſolarium. Promouetur nihilominus hac in re dubitatio ſilentio minimè tranſigenda, vtrum omnes ignes eiuſdem infimæ ſpeciei ſint, &, quod eò etiam vergit, an ignis ſubterraneus ab elementari, ac noſtrate quoque formaliter, & toto genere differat. Conimbricenſes de ſententia D.Thomæ 4.ſent.d.44. quæſt.3. art.2. reſpondent, quòd cùm ignis inter cætera elementa maximè actuoſus ſit, aliorum corporum ſublunarium materiam ſibi aſſumit, vt Ariſtot. 1.Meteor.cap. 3. docet. Itaque, aut in materia propria inuenitur, cùm nempè eſt in ſua ſphæra, aut alienam corripit, v.g. aeream, vt patet in flamma, vel terreſtrem, vt videre eſt in carbone. Quocunque verò modo ignis accipiatur, dummodò formam ignis habeat, eandem ſpecie naturam ſortitur, etſi ex parte corporum quæ abſumit diſcrimen ſit. Itaque etiam ignis inferorum cum noſtrate igne ſpecie conuenit; eſto ille neque adiectitia materia foueatur, neque luceat. Non enim iſtiuſmodi affectiones naturæ diuerſitatem arguunt, ſed accidentariam differentiam. Andræas verò Baccius doctiſſimus tum Medicus tum Philoſophus lib.4.cap.5. de Thermis rem hanc ità definit: *Hunc ignem ità conſtitutum in ventre terræ, ab elemen-*

Quot modis extinctus ignis ſuſcitetur.

Vtrum ignes omnes eiuſdem infimæ ſint ſpeciei.

Opinio Collegij Conimbricenſis de mente D. Thomæ.

Opinio Andrææ Baccij.

elementari, ac etiam communi igne differentem ponimus, non regione solùm, ac mole coacta infra terram, vnde per varios hinc inde meatus exhalet, ad circumferentia, ac calores diffundat suos, verumetiam differre vtrumque forma dicimus, ac materia, & toto genere. Quippe differt hic ignis terrestris ab elemento, vt compositum à suo simplici: illud enim materia communis, & pars vna componentium prima; hoc autem mixtum, & vel materia propinqua quorundam sui generis mixtorum, quæ diximus metalla, mineralia, lapides, vel instrumentum. Differunt & formalibus differentijs, hic etenim terrestris ignis feruens, sed caliginosus, ac expers luminis, ille verò luminosus, ac expers incendij. Vtramque naturam, quasi medius, participat communis ignis, quem artificialem vocamus, feruens incendio, ac luminosus in aperto aere. Porrò hunc ipsum, pro subiectæ materiæ genere, mistum, à prædominio sulphureum videtur, sed enim & etherogeneum dicendum, & de natura diuersæ substantiæ combustibilium rerum. Tum quia talem putandum est esse terram, quæ vti foris, ità intùs, imò intùs maximè diuersarum partium esse debet, vbi tota supponitur mineralis, & infinitè admista. Tum ratione exhalationum diuersæ qualitatis in cauernas ipsas, vnde perpetuum habet ipse fomes incrementum. Tum denique ob ignis vehementiã, qui in vnam congeriem, quò maiores ardendo acquirit vires, eò fortiùs quamque rem præuiam sibi conuertit in fomitem, mineras, montes, immania saxa. Quorum vltimorum verborum veritas corroborata est hodie, dum glomeratio ignis è Vesuuio monte foràs exorbitauit ad incendium. Atqui pro Baccij opinione videtur pugnare magnus ille Aphrodisæus, qui existimat ignem de hoc inferiore, ac de illo superiore, non vniuocè prædicari, quæ Alex. sententia suauiter accipi debet; nam substantia est eadem (quod tamen Baccius negare videtur) licet actiones per accidens, idest, per mistionem deprauatæ. Principium etenim, vt loquuntur,

Pro eadem an stet Aphrodisæus. Baccius in quo notatus.

tur, essendi hoc, quod sunt, vnum est, & vna ratio, quamuis modi diuersi. Exemplo sit Barbarus anthropophagus, qui homo tamen est, si substantiam spectemus. Eodem loquendi modo vtitur Auerroes in paraphrasi Ethicorum, dum scribit, hominem, vel insipientem, seu indoctum, & hominem doctum, ità differre, vt de ipsis natura hominis non æqualiter prædicetur. Qua ratione D. Thomæ, & Conimbricensium suprà notata doctrina magis probabilis esse videtur, ne taceam, quòd Baccius falsum assumit, dum vult elementarem ignem luminosum esse. Cur etenim effugeret oculorũ aciem splendor eius, quam non effugiunt siderales radij adeò distantiores, & tot Cælorum inuolucris intercepti? Existimo itaque talem ignem lucis quidem vim in se habere, quò si Baccius respicit minimè est arguendus, sed præ summa raritate, quam ibi obtinet, neutiquam splendescere, id quod clarum facit vel ipsum lucernæ lumen, quod in suo acumine non fulget, vtpotè rarius, quò tamen elychnio proximius est, eò clariori fulgore coruscat. At nihilominùs, si quid combustibile apici illi admoueatur, statim accenditur, vel aduritur. Nos autem prosequamur ostendere prædicta incendia, cùm in Aetna, & Vesuuio, tum in alijs quoque Auernis locis, iuxtà allatas causas excitata, affabrè à varijs Scriptoribus exprimi, atque describi, præsertim verò à Poetis, qui vnà tamen etiam rem physicè pertractant, soluta oratione vt viliori neglecta. Inter quos, post Homerum, apud Græcos, Pindaro primum locũ attribuam, qui sub fabulæ sepulchri Typhonis, seu Typhoci cum eodem Homero, quod in Sicilia supra Cumas ponit, velato, ac mythologico sermone, loci illius naturam denotat, cuius Lyricorum vatum principis hæc est μετάφρασις Pyth. Od. 1. *At quæ non amat Iupiter, turbantur cùm vocem Pieridum audiunt, per terram, atque per mare vastum. Quique in horrenda Tartaro iacet Deorum hostis Typhoeus centiceps, quem olim Cilicium educauit multi nominis antrum. At nunc & littora quæ sunt*

Allata doctrina de causis physicis incendij Vesuuiani testimonio Pindari comprobata.

sunt super Cumas mare coercentia, Siciliaq. eius premit pectora hispida, columnaq. cælestis cohibet niuosa Aetna per totum annum niuis acutæ nutrix. Quippe, vt à Strabone traditur, vniuersus tractus à Cumis in Siciliam vsque, Aetnamq. & Liparenses Insulas, Puteolanum, Neapolitanum, & Baianum agrum, Pithecusasq. Insulas, quasdam profundas, & in vnum coeuntes sub se solitas habet cauernas, quæ in Græciam quoque porrigantur, in quibus multa vis inest Sulphuris. Quapropter quibusdam temporibus, cùm, subterraneis ventis spirantibus, terræ motus in ijs locis frequenter fierent, & flammarum, feruentiumq. aquarum profluuia, ignisq. exhalationes, & cineres cum fauillis longiùs emitterentur, fabulati sunt veteres Typhonem illum Aegypti Tyrannum perpetuo supplicio damnatum sub ijs locis iacere; qui, quoties moueretur, ignes & cineres eructaret, terrasq. concuteret. *Cuius ex penetralibus* subditur in subsequentis strophæ metaphrasi, *eructantur inacessi ignis purissimi fontes. Fluuij autem ignis interdiu quidem effundunt vorticem fumi ardentem: sed noctu rutila flamma volutata saxa in profundam maris planitiem defert, cum vehementi strepitu. Illud autem Vulcani reptile gurgites valde horrendos eiectat. Prodigium quidem admirabile visu, miranda verò res & ijs, qui audiunt ab illis qui transierunt, &c.* Apud Latinos primus exurgat Lucretius cùm Poeta, tum Philosophus commendatissimus, præterquàm in eo, quòd est naturæ nimiùm addictus, veri Dei, naturæ & cunctarum rerum quæ in ea sunt opificis, oblitus. Hic igitur de Aetna, qui flammas eructauit Ser. Fuluio Flacco & Q. Calphurnio Pisone Cos. sic cecinit lib. 6. de Nat.

Pindari sensus mythologicus per Strabonem dilucidatus.

Typhonis Ægypti Tyranni fabula, vt accipienda.

Alia Pindari verba eòdem spectantia.

Lucretij testimonio.

---------primùm totius subcaua montis
Est natura ferè silicum subfulta cauernis.
Omnibus est porrò in speluncis ventus, & aer.
Ventus enim fit vbi est agitando percitus aer.
Hic vbi percaluit, calefecitq. omnia circum

Saxa

Saxa furens quà contingit, terramq. & ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem;
Tollit se, ac rectis itàfaucibus eijcit altè
Funditq. ardorem longè, longèq. fauillam
Differt, & crassa voluit caligine fumum,
Extruditq. simul mirando pondere saxa.

Post Lucretium Virgilius eadem euenta perbellè prosequitur lib. 3. Aen. carminibus superiùs etiam à me citatis, & à Phauorini apud A. Gellium notis, & cauillationibus vindicatis, quæ in hoc loco sunt iterùm decantanda. Auctoritate Virgilij.

---------*sed horrificis iuxtà tonat Aetna ruinis*
Interdumq. atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla
Attollitq. globos flammarum, & sidera lambit
Interdum scopulos, auulsaq. viscera montis
Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras
Cum gemitu glomerat.

Quibus accedit Silius Italicus, quem meritò Capacius hoc loco inferiorem nulli existimat, cum verborum, & sententiarum scateat proprietate, & magnitudine, addo ego, pro re mea, quia causas etiam naturales breuiter innuit, si non diffusè enarrat; Silij Italici.

-------*tellus atro exundante vapore*
Suspirans, vstisq. diu calefacta medullis
Aestuat, & Stygios exhalat in aera flatus,
Parturit, & tremulis metuendum exibilat antris,
Interdumq. cauas luctatus rumpere sedes
Antexire foras sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, lacerataq. viscera terræ
Mandit, & exesos labefactat murmure montes.

Quibus omnibus, me iudice, neutiquam cedit hac in re Stellatus Poeta lib. 11. Zodiaci Vitæ humanæ in Aquario ad finem; itaut idem Capacius, licet in hoc parùm accuratus, oculatusuè, istius carmina Lucretij esse crediderit, dum post Lucretiana de Aetna, illicò subnectit; *De vtroque* Stellati Poetæ. Capacij hallucinatio.

monte (nempe Aetna, & Vesuuio) ***sic eodem libro***; idem scilicet Lucretius: Qui Capacij error plures alios in eandem foueam traxit, dum & ipsi testimonio decepti tanti viri Lucretio attribuunt Auctoris Zodiaci vitæ hum. carmina, quibus causas cùm terræ motus, tum incendij Aetnę, atque Vesuuij, quàm doctè, ac eleganter exprimat ex subsequentibus vnusquisque facillimè iudicabit: Qua in re lapsus etiam est alius Scriptor, qui Hieronymo Borgio eadem attribuit, &, quod magis miror, testimonio ipsius Capacij, qui id nullibi, quod sciam, asserit, sed tanquam Lucretij versus ponit, ac citat.

Et aliorum quorundam.

Carmina Poetæ Stellati.

Propterea exponam paucis cur terra tremiscat
Quæuis tanta illam quatiat, cogatq. moueri.
Scire igitur licet innumeras, vastasq. cauernas
Sub terris esse, atque illic quandoque creari
Ingentes ventos, qui dum crudelia miscent
Prælia, concutiunt terram, nimioq. furore
Congressi euertunt totas cum mœnibus vrbes.
Donec parte aliqua erumpant facto agmine, & auras
Diffusi in vacuas non longa pace quiescant.
Gignuntur verò hi venti telluris in aluo
Ex fumis quos vicina trahit ignis ab vnda
Quippe ignes se multos, magnosq. perenni
Tempore nutrit humus (dictu mirabiles) sed non
Falsa tamen refero; credet qui viderit Aetnam,
Qui scatebras calidarum vsquam spectarit aquarum
Et qui vitiferi benè nouerit acta Vesui.
Hos agitant ventos qui subterranea regna
Dij manes habitant, cæcisq. morantur in antris
Non etenim nugæ prorsùs, nec inania verba
Sunt, quæ de Stygij rebus memorantur Auerni
Nempe locus nullus frustrà est, habitatur vbique
Sub terris, supra terras, inq. aere, & igni
In Cælo, & suprà Cælum, est vbi regia summi
Induperatoris, mundum qui possidet omnem.

Qui


Qui duo ſoli poſtremi verſus abundè nimis omnibus indicant, quantum à Lucretij mente, falſiſq. dogmatis longè abſit eiuſcemodi aſſertio, qui cuncta & ſingula in naturæ maieſtate ponebat tanquam Atheus, ac Epicureus, præterquàmquòd etiam phraſis diſſimilis eſt. At non errare, aut dormitare interdùm, eſt ſuprà hominis captum, ſapitq. prorsùs naturam diuinam. Quàm aptè igitur, quàmq. ex rei natura, & Phyſicorum more, Poeta hic & terræ motus, & incendij Veſuuiani cauſas, generationiſq. modum delinearit, ſermone vix dici poteſt, quando vniuerſam hanc materiam tam arduam, tamq. profundam duobus ſolùm ſuprà viginti verſibus exactiſſimè perſcripſit. Cum itaq. ex iam diſcuſſis de cõmunis, vel noſtratis ignis, ac ſubterranei, & elementaris diſcrimine conſtet quàm clariſſimè neceſſitas continuæ alimoniæ, & adiectitij fomitis, quibus priores ambo egent, perenniterq. (ſi ea non deſint) ſuſtentari ſolent, cęteròqui intrà anguſtũ tempus collapſuri, nunc ſupereſt, attentè videre, quidnam ſit eorum pabulum, & quinam fomes; Quod ſanè breuiùs quàm fieri poterit, in ſubſequenti capite perſtringam.

Lucretius, Atheus, ac Epicureus.

De pabulo, & fomite ignis in Aetna, atque Veſuuio, vbi variæ recenſentur opiniones, & probabiliores confirmantur Medicorum doctrina, & multa adducuntur de Sulphuris, Bituminis, Nitriq; natura, & ſingulorum energia in promouendis incendijs. In quo Sal, & Nitrum conueniant, & differant, Ariſt. & Plin. auctoritatibus. Cur Salomon in Prouerb. ait: Acetũ in nitro, qui cãtat carmina cordi peſſimo. *De ignis traiectione ad Naphtham. Quomodò ignes aliquandò per ſe, aliquandò ab externo principio ſuſciten-*

scitentur, & augeantur. Demùmq; vnde nam hodie cùm tremor, tum flagror in Vesuuio originariam occasionem nacti fuerint.

CAP. XI.



ICVT in crasi, & structura, nec non in variorum effectuum, & accidentium generatione plurimùm inter se se Aetnam, & Vesuuium conuenire superiùs demonstratum est, ità rationi consonum fit, in causis eorundem, velut fomite ignium, quos intùs alunt, & absconditos plerùmq. habent, per interualla verò etiam foràs impetuosè egerunt, magnam intercedere conuenientiam. Vnde acturus nunc de pabulo, & fomite huiusmodi ignium, qui interdùm ad tam horrifica incendia exorbitant, in medium antè omnia proponam opinionem Auctoris Lib. de Aetna, quem alij volũt esse Corn. Seuerum, alij potiùs Quintil. Varum, teste Scaligero 6. Poet. Qui quidem indagaturus propaginẽ materiæ tam vegetæ, quæ Aetnæ perpetuò suppeditet pabulum ad sempiternum ignem, & quanam ratione materia iam semel combusta instauret vires, & reuegetetur ad nouũ incendiũ, diuersam sanè cõgeriem pro causa affert Sulphuris, Bituminis, & quicquid succi in terris proritat ignem, sed tamen id potissimùm lapidũ generi tribuendũ esse concludit, Molari nempè, aut Pyriti:

Auctoris Lib. de Aetna, opinio de fomite ignis continui.

------------*quibus* (inquit) *custodia flammæ*
Vera, tenaxq. data est, sed maxima quippè molaris
Illius incendij lapides, sic vindicat Aetnam,
Quem simul, ac ferro quæras, respondet, & ictu
Scintillat calor, &c.

Cuius viri opinionem falsam, & erroneam esse inde probat Baccius, quòd illa lapidum genera non eam in se obtinent naturam ignium tenacem, & propriam; quippe Pyritis

Quam Baccius reijcit, & cur.

tis lapis inimicissimus ignibus est, nec vnquam incenditur, licèt ex eo tanquam durissimo excuti ignem attritione constet; Alterum verò genus, pumex quale est, semel exustum, ac omni prorsùs humore combustibili priuatum contrarios in Aetna, & extrà Aetnam effectus parere citatus Baccius ex Fazelo affirmat; siquidem extrà Aetnam, vt omninò expers omnis aptitudinis ad ignem, vbi aliquandiù senserit æstum, imbres, frigus, atque aerem, non solùm non ardet, immo etiam nouam aliam acquirit qualitatem, fatiscitq. in agris in genus cineris arenosum quidem, sed pingue, quod fęcundissimam reddit terram, & hoc est, quod superiùs, testimonio Strabonis, quoad Aetnam, & Cassiodori, quoad Vesuuium, cineres, & arenas ex amborum montium faucibus, tempore flagrantiæ, eructatas, (licet ab initio, &, dùm primò egeruntur, aridæ sint, & vrentes, & ex consequenti agris, & pecoribus, herbarum arescentia, ac minerali qualitate infensæ) tandem fertiles fieri, & soli fęcunditati, illius instar materiæ, quod letamen appellamus, conferre dictum est. Eiusmodi autem lapides Aetnæ incendio combusti, indeq. eiecti, & iterùm intrà Aetnæ salebrosa loca delapsi, ad tempus ardendi vim rursùs concipiunt. Quod est illud, quod Virgilius (aut quisquis fuerit auctor) miratur in Aetna, his in versibus:

Cineres ab Aetna, & Vesuuio vibrati quãdo aridi nimis, & sterilitatis causa, & quãdo pingues, ac fertiles.

Virgilij opinio de instauratione ignis in Aetna.

Cætera materies quæcunque est fertilis igni
Vt semel accensa est, moritur, nec restat in illa
Quod repetas; tantùm cinis, & sine semine terra est
Hic semel, atque iterùm patiens, ac mille perhaustis
Ignibus, instaurat vires, &c.

Cuius euentus reddens rationem Baccius ait hanc esse, non quia eadem prorsùs materia semel igne absumpta, ardeat iterùm, quod mirandum esset, ac impossibile, sed quia tam hi lapides, quàm pumices, ac reliqua materiæ congeries eius montis, quæ tota est porosa & laxa, nouum ad tempus concipit incendij fomitem. Quem quidem fomitem nihil aliud esse subiungit, nisi naturalem fuliginem

Ratio ex Baccio.

sulphu-

sulphurosissimam, quæ ex imis, immensisq́. Aetnæ (adde & Vesuuij) barathris, vi ignium iugiter, ac flatuum eleuata, congestaq́. in supernis veluti caminis, idest, in ea vastitate cinerũ, pumicũq́. ac lapidum poris, ab igne ipso vi flatuum subeunte incenditur, conflagratq́. ingenti flamma, eodem planè loco, ac materia, qua visum est conflagrasse prius. Sic itaque ignis accensus quam non sibi substernit pro pabulo materiã? qui vt in fornacibus crudos torrefacit lapides, & contumacissimum metallum eliquat in flammas, ità Aetnæ ignis vehementissimus vel exiguum nactus fomitem, in quamcunque rem præuiam, lapidesq́. ac cineres sequit, imò etiam montis iuga conuertit in pabulũ, cõbustaq́. ad summum egerit. An non pariter constat tantæ rei probabilitas exemplo nostri corporis, iuxtà decantatissimum Hipp. Aphorismum:

Medica doctrina, Crisiq. imperfecta, & Hipp. aphorismo res dilucidatur.

Quæ relinquuntur in morbis reciduare solent?

Crisi nimirum imperfecta, quam sequi solet recidiua, quando portio tantùm humoris morbum facientis excernitur, non perfecta, quæ morbum omninò tollit, planè vacuata morbifica materia. Quippe post putrefactionem humorum, ac eorundem combustionem in febricitãtibus sæpe remanent, ac stabulantur in venis, aut extrà, cineres, quasi mineræ fuliginosæ intimè igniculos concludentes, qui, si purgatorijs pharmacis non extrà ducantur, quauis leui suppeditata occasione, iterùm igneum concipiunt calorem, præsertim si noua ignitioni idonea, vel præ calore attrahatur, vel ab irritata virtute transmittatur materia, similitudine illorum cinerum, qui in furno, post omnem cessatam flagrantiam, depastamq́. lignorum congeriem, ex solo in ijs durante empyreumate, si quid facilè combustibile indatur, vel approximetur, vti palea, seu fœnum, ignem rursùs accendunt, ac flammas promouent; Nam modico fermento massa tota acescit. Verùm de hac re non ità post, cùm agetur si non de continuato incendio Aetnæ, saltem de interpollato, perq́. vices redeunte in Vesuuio,

suuio, exemplo in primis febrium continuarum cùm proportionatarum, tum non, velut etiam reuera intermittentium, quæ certis diebus, statisq́. circuitibus redintegrantur. Quoniam ergò tandem fuligo illa, quam pro fomite statuit Baccius, penitùs extingueretur, prorsùsq́. euanesceret, nisi à substrata minera foueretur, sicut etiam calor in foco reliquus, quod empyreuma dicimus, ignem denuò minimè concipit, vel edit, nisi minutissima, & aridissima ligna imponantur, in quæ tanquam in maximè idoneam, dispositamq́. materiam se insinuans, & agens, flammam rursùs renouat, ea propter de alimonia, & pabulo ignitæ fuliginis, à qua ignis perpetuitas, &, per interualla quædam, excandescentia, atque vomitio extemporaneæ emergunt, paucis nunc agere necesse est. Notatum itaque litteris inuenio omnes fermè, qui hac de re conscripsere, magis minùs, hanc habere sententiam, quod terræ incendia duplicem pro nutricatu substantiam obtineant, nimirum Sulphur, atque Bitumen, ad quas materias ignes ipsi, aut eorum fuligines, vt in caminis cernitur, adhærescentes conseruantur, & quibus deficientibus desinunt, ac extinguuntur, non aliter ac noster natiuus calor, qui humido vigente primigenio & ipse vegetus persistit, tabescente verò, statim fatiscit, ac deperit. Hac igitur de re loquens inter alios neotericos magni nominis, miræq́. doctrinæ Georgius Agricola lib. 4. de Nat. *eorum, quæ effluunt è terra* ignium subterraneorum pabulum, ac fomitem statuit, vt mox dicebam, Sulphur, atque Bitumen (sed hoc magis quàm illud) quorum primum (loquor de fossili, spontéq́. nascente, quod ἄπυρον, & viuum cognominant) colorem præsefert subcineritium in superficiali corpulentia, intrinsecùs verò, dum frangitur, subluteum, nitedulæ modo collucens, cuius sapor subpinguis esse fertur, at iniucundus, quemadmodum est etiam odor. Nam halitum vsque adeò fætidum efflat, vt, nisi antris vnde effoditur Cælum pateat, fossores ipsos repentè interimat. Effoditur autem cuni-

Fuligo in aceruo cinerum, & lapidum exustorum tâquam empyreuma, & fomes incendiorum.

De pabulo ignium in montium cauernis.

Quod Sulphur est, atq. Bitumen.

Quænam sit Sulphuris fossilis natura, calor, sapor, & odor.

Vbi copiosè effoditur.

cuniculis in Aeolijs præcipuè Insulis, inter Italiam, & Siciliam sitis, nobilius tamen in Melo inuenitur, & in Italia Neapolitano Campanoq. agro, in collibus, qui vocantur Leucoglæi, vnde Ouid. 1. de Arte:

Quid referam Baias, prætextaq. littora velis,
Et quæ de calido Sulphure fumat aquam?

Eiusdem cũ igne affinitas.

Cuius crasis, vel natura magnam cum igne habet affinitatem, quoniam calore, & siccitate simul pollet, vt eius propterea fragmenta lignis, vel carbonibus inspersa flammam ex interuallo ad se pelliciant. Quod sanè tantò promptiùs Sulphur præstat, ignem scilicet faciliùs concipiendo, ardescendoq. luculentiùs, quantò minorem continet admixtionem; ideoq. etiam eo vtuntur ad pyrium puluerem conficiendum, & multa componenda medicamenta, vt videre est apud Homerũ Odyss. 22. ad finem, pro aeris pestilentis miasmatis, è corruptis cadaueribus subleuatis, absumendis, ac dissipandis, apud Dioscoridem lib. 5. c. 83. atq. Gal. lib. 9. Simpl. c. 36. qui in asthmatica passione eo frequenter vtebatur; vnde etiam apud pharmacopæos diasulphur ad frigidos, humidosq. debellandos affectus facillimè reperitur; & deniq. apud Plinium lib. 35. cap. 15. vbi Sulphur terræ generibus assignat, quod alij inter metallica corpora enumerant. Secundum pabulum caloris subterranei, imò & materialis causa flagrantiæ partim ordinariæ, & perenniter in antris vigentis, partim foràs aliquandò validè erumpentis est Bitumen, cuius multa afferunt genera in præadductis locis Dioscor. & Plinius, sed id, quod ad rem nostram facit, est succus quidam pinguis admodùm, & calidus, substantiæ oleaceæ, & aereæ adeò, vt in Sicilia, Agragantino fonte inficiente riuum, incolæ vtantur ad lucernarum lumina, olei vice: vnde mirandum non est, si aquis innatet, in quibus composita ex eo tantum abest, vt extinguantur, vt potiores adquirant vires, vberioresq. flammas ex earum superficie iaculẽtur, quod Sulphuri, & ex eo cõcinnatis minimè contingit, quia Sulphur ad ignem alendum, diuq. ser-

Vsus in Medicina varius.

Bituminis qualitates.

Vbi vice olei ad lucernarum lumina vsurpatur.

Eiusdem proprietas Sulphuri denegata.

ſeruandum minorem, ac inferiorem vim obtinet, quàm Bitumen, quod ſuo pingui, lento, oleagineoq́. liquore, ſi non promptiorem, vberiorem certè, ac ſtabiliorem ſuppeditat fomitem, & alimoniam ad diuturniorem flammam vel in ipſiſmet aquis conſeruandam; vnde ignei globi, qui cum torrentibus aquarum è Veſuuio mouebantur, iure merito Bitumini potiùs quàm Sulphuri accepti referuntur. Sicut fuit ignis ille ſub Nerone in agro Oppidi Vbiorum exortus, agros & riuos exurens, cuius meminit Tacitus lib. 13. Ann. qui nec pluuijs, nec fluuialibus aquis, nec alio quouis humore poterat extingui, ſed ſaxis, & pannis, videlicet quia materia erat bituminoſa, cuius hæc eſt natura, vt rebus ſiccis extinguatur, aquoſis alatur. Ità enim etiam qui artificioſos ignes præparant aduersùs hoſtes, eorumq́. naues, atque triremes, ne aquis langueant, & pereant, ſemper eis aliquid Bituminis intermiſcent, cuius ope reuiuiſcunt, fortioreſq́. euadunt; Contra Sulphur citò conſumitur, & accenſum, ſi ei aquam inſtilles, emoritur. Quod quidem Bitumen & ipſum valdè affine, cognatumuè exiſtit naturæ ignis, quam cognationē potiſſimùm atteſtatur, & aperit peculiaris quædam Bituminis ſpecies, quæ Naphtha vocatur circà Babyloniam, & in Auſtagenis Parthiæ, profluens Bituminis liquidi modo, in quam ignem è longinquo tranſilire affirmat Plinius lib. 2. cap. 105. *Huic magna* (inquit) *cognatio ignium, tranſiliuntq. protinus in eam vndecunque viſam. Ità ferunt à Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igne rapta.* Naphtha quippe tunc ignem concipit ex calore per medium aerem vniformiter diformiter, vt aiunt, excito, qui aerem priùs accendit, (tametſi id, ob raritatem medij, non ità oculis conſpicuum ſit) donec in denſiorem Naphthæ materiam impingat, quam mox cognatæ qualitatis calorificæ, & ſimpathiæ vi alterat, ac incendit. Ità quæ in verubus aſſantur, ab eo, quem videmus, igni non tanguntur; ſed ab eo tanguntur, quem non videmus; adeò

Ignei globi in torrentibus aquarum Veſuuij bituminoſæ magis, quàm ſulphureæ mineræ accepti referendi cur ſint.

Ijdem, ſi ex Bitumine, cur ſaxis, & pannis extincti pereant, non item, ſi ſulphurei.

De affinitate Bituminis cū igne, & huius traiectione ad Naphthā.

verò tanguntur, vt ait Scaliger, & experimento constat, vt etiam crementur tandem. Concludatur itaque, quòd potissima, ordinariaq. materia, qua in terræ intestinis ignes introclusi fouentur, & aluntur, sunt Sulphur, atque Bitumen, vt inde similiter conuincitur, quòd loca, quæ istiusmodi flagrantijs obnoxia iacent, bituminosa, & sulphurosa esse deprehenduntur; Ideò rectè Cardanus ait lib. 2. de Subtil. *Fiunt hi ignes vbi Sulphur, aut Bitumen gignitur; plerunque autem iuxtà mare, quod Bitumen, & Sulphur à marinis sordibus, ac calore fomentum accipiant*. Vnde etiam suprà auctoritate Surij annotaui, prope Heclam, vnum è decantatis montibus igniuomis in Islandia, quorum cacumina perpetuò niue albicant, & radices perenni æstuant incendio, magnam vim Sulphuris adinueniri, quam inde in loca alia nauibus mercatores euehunt. Qui verò omnia tam in Italia, quæ multa sunt, quàm extrà, nosse cupit loca ignibus subterraneis ardere solita, adeat (post Plin. lib. 3. cap. 106.) inter neotericos Collegium Conimbricense com. ad Meteor. Arist. & Andræam Baccium de Thermis lib. 4. Verumtamen quia hoc in loco non modò quæritur, quodnam pabulum sit ignis subterranei quietè ibi morantis, nullumq. vicinis, imò nec accolis negotium facessentis, sed vnde, & quanā ex causa ille tam impetuosè fuerit è Vesuuio, vt sæpè ex Aetna, iaculatus, & quoniam pariter ex cinerum multiformium historia superiùs enarrata, quasi ab excretis in re medica obseruatis, eorumq. contemplatione, quæ ad scientificam ferè magis, quàm ad coniecturalem partem spectare videtur, manifestè cuique constat, mineras non vnas, sed plures esse oportere, pro quarum diuersitate tam in cineribus ipsis diuersitas, quàm in igne violenta eruptio facta est, propterea non debemus esse contenti Sulphure tantùm, atque Bitumine, sed etiam inuestigandæ sunt aliæ mineræ, quando harum quoque clara adsunt indicia, & quibus forsitan tam violentæ, impetuosæq. vorticum ignitorum vomitionis primaria causa assi-

Sulphur atq. Bitumen cur ad mare precipuè nascũtur.

Impetuosa ignis eruptio cuinam è mineris attribuenda sit.

assignanda erit, non solis Sulphuri, atque Bitumini, quando hæc corpora, aut mixta, vel per se sola, aut simul etiam copulata, & quàm maximè ardentia talem, tantumq. impetũ parere haud posse videntur, eo quòd amborum totũ simul corpus minimè incẽdatur, sed in sola superficie tãtũ; Licèt enim doctissimus Baccius non neget, imò apertè cõcedat, huiusmodi ignes pro materia, & pabulo varias posse habere mineras, quando natura modò vno, modò alio cõbustibili mixto, quinimò subinde multis, vti assolet, sic vt in hodierno Vesuuiano incendio euenisse constat, iuxtà nimirùm illud, quod hac eadem in re tradit Franciscus Fabricius de Baln. Aquisgr. c. 2. *Materiæ in quibus subterranei ignes accenduntur, sunt Sulphur, Alumen, Sal, Nitrũ, terra carbonaria, Bitumen, Chalcanthum, & id genus metallica dicta*: attamen, propter allatas suprà rationes in Sulphure, huic principatum, & palmam libentiùs cõdonat per illa verba: *Porrò hoc ipsum pro subiectæ materiæ genere mixtum à prædominio sulphureum esse videtur; sed enim & eterogenum dicendum, & de natura diuersæ substantiæ combustibilium rerum. Tum quia talem putandum est esse terram, quæ vti foris, ità intùs; imò intùs maximè diuersarum partium esse debet, vbi tota supponitur mineralis, & infinitè admixta. Tum ratione exhalationum diuersæ qualitatis in cauernas ipsas; vnde perpetuum habet ipse fomes incrementum. Tum denique ob ignis vehementiam, qui in vnam congeriem, quò maiores ardendo acquirit vires, eò fortiùs quamque rem præuiam sibi conuertit in fomitem, mineras, montes, immania saxa*. Contra quem nihilominus eruditissimi insurgunt viri, Septalius, & Libauius, quorum primus constare tradit ex fide dignis historijs, subterraneos ignes carbones esse ignitos, non flammas; sed Sulphur non carbones producit, verùm solas excitat flammas, præterquàmquòd Sulphur ipsum in tam magna copia, quæ continuè sufficiat pro materia ingentis admodum flagrantiæ, gigni vix potest, cum Sulphur suoptè

Baccij opinio.

Francisci Fabricij testimonium.

Septalij, & Libauij opiniones contrariæ.

genio promptissimè ignem excipiat, at quò faciliùs ignescit, eò etiam citiùs consumitur. Ità pariter Libauius tom. 3.Singul. lib. 1. de Bitum. in genere cap. 14. in Schol. contra eundem Baccium asserit, non modò solum Sulphur minimè esse principale pabulum ignium terrestrium, sed potiùs illud ab vnico Bitumine subministrari, cuius opinionis est etiam præ cæteris Io: Langius lib. 2. Epist. 53. Surius in Hecla monte Islandiæ, vbi tot horrifica, immaniaq. incendia, si non continua sunt, saltem creberrimè excitantur, narrat loco à me alibi adducto, infinitam Sulphuris copiam reperiri, quam mercatores nauibus inde in longinquas transuehunt regiones, nulla de Bitumine facta mentione. Dalecamp. ad Plin. lib. 18. cap. 2. Phlegræi campi nominis ratione reddens, sub quo vniuersa Campaniæ regio continetur, tametsi inprimis Puteolana, ità scribit: *toto illo tractu passim ignis emicat, scaturiuntq. calidi fontes, Sulphurq. conficitur, & tanquam accenso sub terris Sulphure deflagrat ea regio*. Præterea pro parte Sulphuris stat Aristoteles sect. 24. probl. vlt. thermalium aquarum causam indagans, quam vnà cum Aponensi in Com. Sulphuri assignat, quemadmodum & Fallopius de Metall. cap. 5. quibus omnibus fauet quoquo pacto in casu nostro Plinius nepos epist. 16. dicens;

Pro parte Sulphuris historia Surij.

Imò & Arist. & Conciliator.

Fallopius, & Plin. nepos.

Flammarumq. prænuntius odor Sulphuris:

nec non iam dictum Surij experimentum: Quod si è longinquo nimis petitũ alicui videatur, adeat hic eũdem Baccium 4. de Thermis, vbi ad Puteolos, Viterbium, aliosq. locos, Sulphur ardescere, è terra pullulare, ac veluti exsudare, & ad eius periphæriam à subiacente igni exciri affirmat. Rem puto ab euentis, ac locorum diuersitate, esse dirimendam, quippe vbi ignei vortices in torrentibus, & fluuijs aquarum è montibus flammiuomis scaturientium, non solùm non extinguuntur, sed fortiores, luculentioresq. fiunt, quis negare audebit Bitumen, si non superiorem, certè non inferiorem locũ tali in incendio obtinere?

Differentiæ conciliatio.

re?

re? Hæc ſiquidem eſt Bituminis proprietas, vt, accenſum, innatanſq.aquis calore ardeat intenſiori, Sulphur è contra aquis aſperſum ignem amittat, & ad extinctionem properet. Præſertim verò id eſt Bitumini aſſignandum, dum circumſita loca è multis faucibus inflammatum Bitumen, & in aquis ardeſcens eructant; iuxtà quod etiam ipſemet Baccius de Aetna loquens, ait bituminoſum flumen, non ſulphureum ab eo excerni, quod interdum euenire concedendum eſt, velut etiam narrat Plinius lib. 2. cap. 106. de Nymphæi cratere apud Apollionates, ſcribens;

Bituminis proprietas. Eadem Sulphuri denegata.

Augetur imbribus, egeritq. Bitumen, &c.

at ſi alij effectus conſiderentur, vti fumi, cineres, aquæ, & alia ſulphuream mineram teterrimo odore, ac ſapore redolentia, nequeo intelligere, quomodo Sulphur etiam pro pabulo, & fomite ignium ſubterraneorum non inſeruiat, & forſitan primo loco, vt præter Baccium, autumaſſe videtur Fallopius, qui conſiderans non omnes thermales aquas odorem, ſaporem, ac ſubſtantiam Bituminis poſſidere, concludit, non cunctos ignes, ſed nonnullos tantùm Bitumine ali, atque foueri. Quoad locorum varietatem, hinc ſimiliter naſcitur diſſidium, quoniam Agricola, Libauiuſq. de Germaniæ incendijs intelligunt, quæ paſſim ab omnibus in bituminoſo carbone ardeſcere cognoſcuntur, vbi neſcio quibuſdam in locis illud euenire audio, quod Plinius loco nuper citato recolit de campis quibuſdam Aethiopiæ iuxtà Heſperu montem, qui ſtellarum modo noctu nitent; niſi dicatur etiam, quod Agricola vniuersè loquitur, exiſtimans reuera omne ignis pabulum pingue, oleagineum, facilèq. inflammabile eſſe debere, quas quidem qualitates ſoli Bitumini inditas putabat, quoniam in mineris Bitumen flammas valdè procul diſſitas ad ſe ſe attrahit, vt apparet in Naphtha, præſertim ad Babyloniam, & ſæpè obſeruatum eſt in Mutinenſi agro. Quinimò idem Agricola agens de cauſis calorum, ac feruore montium, & ignem ponens in terris, & in aquis actualem, ſcribit huic Bitumen pro pabulo,

Agricola in hac differentia primatum dat Bitumini.

Ignis traiectio ad Naphtham apud Babyloniam, & Mutinam.

bulo, & materia propria esse, quoniam Bitumen solum ignem simul cum aquis compatitur. Cuius opinio refellitur à Baccio lib. 5. de Ther. Baccij verò ipsius sermo est de igne in Aetna, atque Vesuuio connutrito, & vnde aliquando impetuosè nimis euomitur, cuius materialis, & alimentalis causa mentis aciem effugit, super qua tamen argutè suam in medium profert sententiam, primum locum Sulphuri attribuens, secundum Bitumini, alijsq. eterogeneis corporibus combustibilibus. Sanè Fazelus, quē idem sæpè citat, in Aetnæ vastissimam voraginem introspiciens, aliud se non vidisse testatur, nisi muros, aut parietes illius barathri copioso Sulphure obductos, atque crustatos, cuius mixti Vesuuiano in incendio hodie veluti prædominantis certissima signa ex suprà allatis eliciuntur. Sed quoniam duplex hæc materia, sulphurea, & bituminosa, valet potiùs ad ignium perpetuitatem fouendam, & conseruandam, quàm ad ignes ipsos impetuosè ex se vibrandos, cū tot cinerum, fluuiorum ardentium, & immensæ molis lapidum protelatione, ideò sum & ego eiusdem opinionis cum viris doctis, qui antè me suos de hac re libros ediderunt, minerale aliud intermisceri, quod cum Sulphure, ac Bitumine mixtum, & accensum, impetuosa sua actuitate incendia violenta producat in anfractuosis montium specubus, cum strepitibus, bōbis, & clangoribus horrificis in exitu, quemadmodum euenire cernimus in eruptione accensi ignis in pyrio puluere, intrà Bombardæ oblongam, sed angustam cauitatem coacto, vbi ignis adhibitione incensus, ac rarefactus, ampliоremq. ob id locum requirens, & non inueniens, foràs, qua data via, tanto cum fragore erumpit. Attribuitur autem inter mineras vis hæc potissimùm Salnitro appellato, aliter Salpetræ, quia igne cōcepto, alia puluerem illum componentia vehementer titillando, ad impetuosum exitum impellit; vnde Lemnius de Occult. rer. mirac. lib. 2. ad finem. *Huius* (inquit) *qualitas illum in bombardis strepitum efficit: nullo autem sonitu, nec tam validè explodi*

Fazeli obseruatio intrà Aetnæ specus facta stat pro Sulphure.

glandem contingit, si is eximatur. Non multùm enim distat Nitrum à Salis ammoniaci specie, cuius calefacti, & incensi potentia quanta sit, pete à Chymicis, qui ad aquam ardentem distillandam eo vtuntur, nonnulliq́. existimant Nitrum esse Salis genus. Sicut etenim Salem in littore maris feruor conficit Solis, durando in petram aquas marinas, ità in nitrarijs, vbi Aestate pluuiæ prolixiores telluri infunduntur, ardor nimius aquas excoquit in petram Sali simillimam, quæ, iuxtà naturam Salis, durare in caliditate, & nubiloso aere fluere, ac liquescere solet. Ideò non desunt, qui Salnitrum vulgò nuncupatum inter Nitri species numerandum censent, quo Pharmacopolæ pro Nitro vtuntur, decepti, vt quidam aiunt, corrupta Plinij lectione lib. 31. cap. 10. *Salnitrum Sulphuri concoctum in lapidem conuertitur*. Ità enim vulgò legitur, cum tamen castigatiora exemplaria sic habeant: *Sal & Nitrum Sulphuri concoctum*. vnde verisimilius esse putant, Salnitrum vocatum veteribus fuisse incognitum, nouitiumq́. esse inuentum, non ità pridem ad bellicorum tormentorum vsum excogitatum. At Nitrum, cuius (sicut & Salis ammoniaci, à quo vix differt) venæ intrà Vesuuij speluncarum moles perreptant, est quod fossile dicitur, quodq́. Dioscorides magis celebrat, tanquam leuius, & sine pondere, roseo colore, aut albo, & spongiarum modo fistulosum, cuius fragmenta è Vesuuiano monte ardescente Romam his temporibus perlata fuisse audiui. Verùm, si Sal, & Nitrum eiusdem ferè naturæ sunt, vt Plinius testatur lib. 31. cap. 10. vndenam obsecro fit, vt non semper fermè similes promant effectus? Nam Sal ignem reprimit, & extinguit, Nitrum intensiorem reddit, ac impetuosiorem; sed, vt arbitror, dum clusum est; Plin. citato loco ait, Nitrum vri in testa opertum, ne exultet, aliàs igni non exilire. Præterea ibidem subdit, nihil gignere, aut alere, cum tamen in salinis herbæ gignantur, & in mari tot animalia, non tantùm algæ. Vnde & apud Arist. sect. 1. probl. 38. dum querit; cur αἱμωδίαν dentium

Nitri, Salis ammoniaci, & Salnitri vires, ac differentiæ.

Plinij locus variè acceptus.

Nitri venæ intrà Vesuuij speluncas.

Dubitatio.

tiumuè ſtuporem Sal tollere poteſt,legitur,ſalem lentorem illum macerare, liquefacereq. atque ità acorem quoque extrudere; ſed in ſubſequenti,quærens,cur hoc idem facere Nitrum nequeat,reſpondet, quòd ob ſuam acerbitatem adſtringit, non liquefacit. Ità namque acida illa humiditas imbibita potiùs compingitur intùs, & magis quàm antea retinetur, nedum extrà trahitur. Plinius tamen præaducto loco tradit maiorem acrimoniam ineſſe Nitro, quàm Sali, vt argumento eſt, quod nitrariæ calceamenta protinùs conſumunt, aliàs ſalubres, oculorumq. claritati vtiles. *In medicina*, ſubdit, *calfacit, extenuat, mordet, ſiccat, ſpiſſat, exulcerat. Vtile his, quæ euocanda ſint, aut diſcutienda, & leniùs mordenda, atque extenuanda*. Quare eo Medici ſalubriter vtuntur cum aceto miſto ad purulentas aures, & ſonitus earum, teſtimonio Dioſcor.lib.5.c.89. & Archig.apud Gal.3. de comp.med.ſec.loc. efficax ſanè remedium, ſed mordax, atque moleſtum. Quò alludens Salomon cap.25. Prouerb. *Acetum*, inquit, *in Nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo:* proprijſſima comparatione. Quippe,vt Acetum in Nitro per initia mordet acriter exulceratas aures, ſed eas poſteà, deterſis ſordibus, & ſiccitate introducta, perſanat, ſic exhortationes, & increpationes, ei, qui corde eſt peſſimo, à principio moleſtæ nimis ſunt, tandem verò exterſis, & elutis animi ſordibus, illum conuertunt, & ſaluant. E quibus hactenùs examinatis facile eſt cognoſcere, quot & quænam ſint mineræ fouentes, alenteſq. ſubterraneos calores, & ignes; & quænam præcipuè impetuoſæ flãmarũ eruptionis,impetuoſiq.incendij primaria cauſa exiſtat. Supereſt, vt breuiter cõnectamus principale agens incendiorũ, quod principiũ motus ad ardendũ præſtat iam aſſignatis mineris. Acceptum id alij referunt calori à Sole, alijſuè ſyderibus,interuentu,lucis emiſſo, ſed quàm aptè viderint ipſi; quippe vltrà terræ ſuperficiem in abdita eius ſaxoſa antra non peruadunt procùl cæleſtes radij, nec calor ab ijſdem productus tam altè penetrat, aut

Vtrum maior Nitro,an Sali inſit acrimonia.

Topicũ Medicis familiare ex Aceto, & Nitro, in purulentis auribus.

Salomonis locus dilucidatus.

Principale Agens Incendiorum.

tanta cum vi, & intenſione ad loca Sulphure, ac Bitumine ſcatentia peruenit, vt ignem excitare valeat, quando experimento compertum eſt, vt ingenioſè monent Conimbricenſes, Sulphur nec in terræ ſuperficie poſitum, niſi rarò admodum, ex repercuſſu ſolarium radiorum inardeſcere. Quamobrem dicatur, tales ignes, vel per ſe ſolos intendi, & excandeſcere, vel aliunde ſuppeditato primordio; Per ſe tantùm, vigore antiperiſtaſis, (quam in Veſuuianis fornacibus vi Borealium Ventorum, menſe antè quàm flammas euomerent, permagnam extitiſſe reor) vt non rarò apparet in fœno, quod intrà fœnilia non benè ſiccatum, ſed aliquantiſper humidum aſſeruatum, intrinſecùs occluſis, ideòq. addauctis tum calore, tum vapore, exitium ſibi, & vicinis rebus ſubita flagrantia affert. Quò forſitan reſpexit Maro, cùm 3. Georg. cecinit:

Quomodo ex ſe ignes interdum oriantur, & mox adeò intendantur, & excandeſcãt. Exemplo fœni.

---------- *nec tota claudas fœnilia bruma:*

Pari ratione in aceruo ſtercoris Columbini, quod cauſticum eſt, & vlcera in parte cui admouetur excitat, & ob id inter metasincritica poſitum medicamenta, ſicut in letaminis appellati congerie etiam aeri expoſita, tantò magis concluſa, per ſe igneus calor inceditur, abſque vllo penitùs imaginario fomite eum conſeruante, qui licèt imbecilliori inhæreat principio, ſæpè tamen verè igneſcit, ac in magnam mox latitudinem egerit flammam, ſi hæc venti flatu tanquam flabello agitata fuerit, velut in ſubterraneis ſpiritus internus, à vento, vel concitatis maris fluctibus expergefactus, in fuligines ſulphureas, bituminoſaſq. in vaſtitate cinerum, pumicum, ac lapidũ poris abſconditas agens & inſufflans, ardorem, flammaſq. in ſubſtratis mineris repentinas, & magnas exſuſcitat. Ab accidentaria verò cauſa, & aliunde communicato principio huiuſmodi ignes, taliaq. immania incendia exorbitantur, non aliter, ac ſuprà in generatione coruſcationis aereæ, ſeu fulminis dicebatur, cum quibus terrena hæc veluti fulmina magnam habere congruentiam ibidem oſtendimus, nempè vt illa fiunt

Stercoris Columbini.

Fimi iumentorum.

Ignium ſubterraneorum accenſio à ſpiritibus internis quomodo fiat, & ab aliũde cõmunicato principio.

ex violento densarum nubium motu, vehementiq. præ inclusis spiritibus hac illac exilire conantibus, collisione, sic ista ab internis exhalationibus magnopere in terræ specubus adauctis, valde nimis commotis, minerasq. varias ignium feraces agitantibus,& cum solidiori solo colluctantibus; quasi ex percussu duri illius lapidis, qui silentem intra se ignem seruat, qui attritu, collisuuè foras excutitur; πυρίτης Græcè dicitur;in quo lapidis genere multi etiam fomitem intestinorum terræ calorum, & incendiorum collocasse visi sunt, vt suprà notaui. Huiusmodi verò exhalationes hodie in Vesuuij locis intimioribus tantò concitatiores factæ sunt, quantò verisimile est, præ antiperistasi facta à ventis frigidissimis, qui ad finem Octobris per plures dies tam Neapoli, quàm Romæ spirauere, profundiùs fuisse repercussas, omni ad exteriora aditu intercluso, cui extrinsecæ occasioni acceptum refero hodiernum cùm tremorem, tum flagrorem terræ montis Vesuuij, perinde ac solent huiusmodi Aquilonares Venti, si diù, validèq. spirent, nostro in corpore excitare Pleuritides, Peripneumonias, febresq. Ardentes, stegnosi, ac densitate meatuum cutis, qui terræ hiatibus correspondent, humorum, vaporumq. effluuio præpedito ex internis adauctis obstructionibus. Vnde humores ipsi magis incalescentes, magisq. efferi redditi, si è venarum cauitatibus non exorbitent, Ardentes tantùm febres promouent, at si extrà fluant, in locis, quæ occupant, Inflammationes, & Erisypelata terræ incendijs non dissimilia progignunt. Quibus quidem ventis cessantibus illicò superuenerunt Euri, Noti, & Africi, impetuosè nimis cũ procellosi maris fluctibus intrà montem per subterraneas cauernas ingruentes; Quorum quanta sit potentia in subitarij incendij promotione, superiùs Aetnæ exemplo, & summorum virorum testimonio demonstratum est. Quinimò quod ad tremorem in primis, videor mihi posse asserere idem quod accidisse narrat in Meteor. Aristot. in Achaia, vbi inter se colluctantes Borea-

reales, & Auſtrini flatus, & his vincentibus, illis verò terram ſubingreſſis, ac penetratis, cum facta fuiſſet in aere tranquillitas, tremor terræ factus fuit, cuius Borealis ventus non ſimpliciter, aut per ſe cauſa fuiſſe dici poteſt, ſed per accidens, quatenus exhalationes ad profundiores partes commotæ, & magis adhùc ab exteriori vento repulſæ in intimiora loca, exiliendi aditu penitùs intercluſo, tremorem ipſæ effecerunt, & exterior ventus illud idem præſtitit, quod aqua, & fluxus maris, dum terræ meatus occludit, & exitum intercipit exhalationi, ſed, vt nõ dicimus aquam terræ motum facere, ità ſimiliter non dicemus ventum exteriorem, ſimpliciter eundem producere. Quæ & pauca & ruditer concinnata, ſatis amabo pro tempore ſint candido Lectori, in rem tam ardua, tantiq. momenti, cui ſubſequens nullatenùs cedit.

Quam ob cauſam Veſuuianum malum inchoatum modò intendatur, & modò remittatur, & de eiuſdem poſt multa ſæcula periodicatione. Tremores terræ vnde nam fiant longiores, vel breuiores, quemadmodum & morbi aliqui. Chronicorum, & acutorum morborum ſolutio quomodò fiat. Veſuuij morbus aſſimilatur febribus acutis per decidentiam vocatis. Quænam ſymptomata acutas, & mali moris febres concomitentur. Dubitationum, & Quæſtionum trium ad tremorem, & ardorem Veſuuij pertinentium ſolutio. Mineræ Veſuuij multiformes quid pariant. An, & quæ finalis cauſa tam in Veſuuiano morbo, quàm in alijs detur.

CAP. XII.


D caput nimis durum accidendum stylo nimiùm molli me accingo. Res etenim tam difficilis, prouinciaq. tam salebrosa occurrit, quàm quæuis alia hactenùs in Vesuuio ardente pertractata, quæ nimirùm est de causis non dicam continuitatis incendij, vt in Aetna potissimùm cernitur, de quibus suprà nonnihil ex Baccij auctoritate, atque doctrina dictum fuit, & de quarum notitia plura si quis cupit eundem adire potest lib. 4. de Thermis. Quippè continuitas aspectui manifesta, & euidens (si fides Capacio, & alijs præstanda est) in Vesuuio monte minimè datur, quandò per annos antè præsens incendium nulla penitùs flamma, immo nec vllus omninò fumus ex intimis eius cuniculis, ac fumariolis prosilire, aut expirare visus est; Verùm de causis malignæ suæ indulgentiæ, qua inquilinos decipit, cum quibus, post fictam diù pacem, iucundissimumq. prouentum, rursùs excandescens, ex improuiso bellum redintegrat, cuncta, & singula sub ignis forma depascens, locorum faciem mutans, & immanis instar belluæ, ad maritimum littus exporrectæ frontis, intrà patentissimas fauces absorbens, ac deuorans. Est autem hæc prouincia duplex: Vna, cur huiusmodi Vesuuianum Incendium iam inchoatum, ac vehementissimè sæuiens, interdum remittat impetum, & mitefactum appareat, sed, non ità post, iterùm desæuiat, ac intendatur, vt quieti, quam aliquandò præ se fert, nullo pacto fidendum sit; Altera, cur periodicatione vtatur varia, iuxtà Historicorum notationem, interuallo scilicèt nonnunquàm facto multorum sæculorum, velùt primis illis temporibus, antè Incendium, Titi Vespasiani Imperio, editum, aliquandò breuiori spatio recurrens; quandoquidem post illam sub Tito flagrantiam, modò quotannis apud Dionem, modò aliquibus

Cur Vesuuianũ incendium iam inchoatum, & valdè sęuiens interdum remittatur.

Cur varia vtatur periodicatione.

bus

bus interiectis, apud Vitruuium, excandeſcebat, identidem tremens, atque ardeſcens; Sed, vt reor, ac veriſimile ſit, imminutis, crebritate, & frequentia incendiorum, mineris, ac pabulis, valdè remiſſiùs, quorum tamen reliquias vel vſque ad Galeni ætatem, & alias ſubſequentes perduraſſe non dubito, tum per ea, quæ ipſius Galeni teſtimonio lib. 5. Meth. conſtant, tum per ea ſimiliter, quæ non itá pòſt à rei natura depromentur, iuxtà Medicorum placita, in paroxyſmorum febrium, ſtatis circuitibus, renouatione: Puto ſi quidem rem hanc adeò arduam, & intimis ſepultam receſſibus, non poſſe planam fieri, & dias in luminis oras exciri, abſque comparatione intenſionis, ac remiſſionis febrium, & repetitionis earundem, pòſt interuallum quoddam. Vbi tamen ſimilitudo interpretanda ſic erit, vt diſcrimen conſtituatur inter corpus animatum, quale noſtrum eſt, cui ſæpè (exemplo veterum Philoſophorum) Veſuuiana incendia non incongruè aſſimilamus, & inter corpus inanime, cuiuſmodi terræ moles exiſtit; Ideò laxa quadam ſignificatione talis ſumatur comparatio, quæ tamen ad tantæ rei difficultatem dilucidandam magnoperè (ni fallor) conducet. Reſpiciet autem eiuſmodi explicatio, qualiſcumq. futura ſit, cùm tremorem, tum ardorem, ambo hodie mala in terra Veſuuij mirum in modum furentia. Quapropter de vtroque nunc communiter agens, dico, quoſdam terræ motus, ſicut incendia quædam, longiùs, quoſdam verò breuiùs terminari, & alios continuato motu ad finem vſque, alios interciſo ſentiri, exemplo morborum corporis, quorum nonnulli chronici ſunt, ac tardi motus, nonnulli verò perbreues, & acuti, ſicut alij perpetuò affligentes, alij intercalares, & quidam erronei, vagiq. quidam ſtabiles, & homotoni. Quæ conditiones licèt in neſcio quibus alijs reperiantur morbis, attamen ad febriles quàm maximè pertinent, de quibus nos quoque potiſſimùm intelligi volumus. Pro natura itaque, copia, & exiguitate humorum, proq. vario diſcrimine, &

Reliquiæ eiuſdem ſub Tito editi ad Galeni vſque ætatem, & ſubſequẽtes permanſere.

Similitudo intenſionis, & remiſſionis paroxyſmorum febrium cum Veſuuianis quomodo accipienda.

ſtatu

ſtatu partium tranſmittentium, quæ in febribus potiſſimùm eſſe ſolent ventriculus, iecur, lien, cerebrum, & ſuſcipientium, vbi fomes, aut aliqua relicta eſt intemperies, ſeu aliquod empyreuma, aut quiuis alius innominatus affectus, quò illi propterea in intercapedine accumulati confluunt, ſi non trahuntur, quaſi ſuppetias vnà cum ſanguine allaturi; Vnde Galen. lib. 11. Meth. cap. 15. vel in intermittentibus febribus miſſionem ſanguinis commendat, ad reuulſionem, ne ſcilicèt in foco illo, ſanguis detruſus, reliquijs putridis immixtus, & minimè difflatus, computreſcat; & demùm pro virium, ſpirituumq. vitalium ægrotantis robore, aut imbecillitate, diuerſitas in cunctis iam dictis enaſcitur.

Cur Galenus in febribus intermittentibus ſanguinis miſſionē commendet.

Ità ſiquidem pro multitudine, aut paucitate, nec non & qualitate ſpirituum agitantium, ac impellentium ſolent terræ tremores durare; Nam maior exhalatio ſeriùs abſumitur, quàm minor, & quæ tenuis eſt, citiùs craſſiori; Itemq. pro maiori, minoriuè terræ repugnantia, quæ exhalationibus obuiam facta, earum reprimit conatus; Hæ etenim interdum liberum, & patentem aditum confeſtim inueniunt, cedente ob raritatem, aut mollitudinem terra, vt de Aegypto traditur; interdùm verò in eius craſſitudine, ſoliditateq. perfringenda diù colluctando laborant. Vt plurimum autem, vnus continuatus motus breui deſinere ſolet, quamuis interpolatis vicibus nonnunquam diutiùs perſeueret. Ità & in Medicina morbi, qui celeriter mouentur, celeriter etiam ſua tempora ſeu fęlici, ſeu infęlici euentu pertranſeunt; Cuiuſmodi ſunt febres Synochæ appellatæ, quæ celerrimè mouentur, ad exitum, & ſolutionem intrà quartam diem properantes: Sed qui tardè, ac ſegniter, in longum valdè tempus protrahuntur, quippè quia, vt Hippocrates ait in lib. de Præceptionibus: *Tranquillitas in morbis longitudinem portendit.* Nam morbi longi finiuntur λύσει, aut cocta paulatim, aut vacuata, aut inſenſibiliter reſoluta materia, contrà acuti iudicantur κρίσει, nempè inſigni, & repentina aliqua euacuatione, vt Hęmorrhagia

Tremores terræ vnde nam fiant lōgiores, vel breuiores.

Quinam morbi, & cur celeriùs mouētur, & citiùs deſinunt, & è contra.

Morbi chronici, & acuti quomodo ſoluantur.

rhagia ſuperueniente, Diarrhœa, Sudore, Vomitu critico, menſibus, hæmorrhoidibus; Aut aliò translata materia, vt à parte nobili ad ignobilem, quæ criſis perabſceſſum, ſeu κατὰ μετάϛασιν, per translationem dicitur, ni potiùs per diadochin, illa verò κατὰ ἔκκρισιν, per excretionem. Bilioſas febres, ardentes, & peracutas accendit incenſa ex putredine bilis, (niſi etiam citrà putredinem, vt aliqui contendunt) humor in ſanguinea maſſa exæſtuans, quem meritò Hippocrates lib. 2. & 3. de Morbis comparat Sulphuri ignitarum exhalationum, quæ intrà terræ venas latitant, & magnam cum bilioſis febribus analogiam habent, fomiti, ac pabulo. A quo humore prodeuntes morbi citò fiunt, & citò etiam terminantur; nam bilis eſt eiuſdem naturæ cum Sulphure, quod (ſicut in antecedenti capite diximus) vt facilè ignem concipit, ità promptè, igneæ violentiæ cedendo, conſumitur. Sed contrà, qui ab humoribus pituitoſo, & melancholico ſegnioris naturæ, aut frigidioris, craſſioriſq. ſubſtantiæ, ſicut tardè mouentur, ità ſerò quoque finiuntur: Exemplo ſint Quotidiana, & Quartana legitimæ. Quemadmodum verò febres omnes, vbi inregrè educti, ac expurgati ſunt humores, & nullus in foco cinis, vt vulgò aiunt, vel nullum penitùs empyreuma, aut inquinamentum in mineræ loco remanſerit (cuius relicti indicia Hippocrati ſunt, ſitis, oris amaror, inappetentia) ſalubriter finiuntur abſque vllo reciduæ metu, ſic in terræ tremore, atque incendio cùm Veſuuij, tum alterius cuiuſcumque loci ſimilis, aſſeri cum ratione poteſt, vbi eorum pabula, aut mineræ, in quibus fomites, & fuliginoſi igniculi conſeruantur, quæcumq. illæ ſint, ſed maximè ſulphureæ, bituminoſæ, atque nitroſæ, vberes perſeuerant, è quibus ignei globi impetuosè iam emicant, non ità ſubitò, nec adeò facilè extingui poſſe incendium, ac terræ tremorem ceſſare. Donec etenim materia, ex qua, & iam incenſa proprio igne combuſta, inq. cineres omninò conuerſa non eſt, perſeuerante cauſa, & effectus perſiſtat oportet. Poſtquàm autem per

Empyreumatis in parte relicti, & recidiuæ cauſæ quænam ſigna ab Hippocrate ponantur.

Vndenam Vesuuij morbus ab initio adeò furens mitefactus posteà fuerit.

per varios hiatus, variasq. telluris scissuras, exhalationes spirauerint, & minor reddita materia fuerit, è qua eleuantur, partim consumpta igne, partim foràs vndique cinefacta quoquouersum proiecta, nulli dubium, quòd vehementia præsertim continuata mitescere incipit, & lætiora cuncta apparent, vt nuperrimè est ab omnibus animaduersum in hodierno hoc tremore, & incendio terræ Vesuuij. Ab initio enim quinam scribere valeat, quanta vtriusque fuerit sæuities, ac terribilitas, qua Cælo, & Mundo extremam ambo ruinam minabantur? Post aliquot tamen dies, hoc est, septimam, & multò magis, post vndecimam, decimã quartam, & vigesimam, mitiora visa sunt omnia tam in mõte, quàm in finitimis, tum campis, tum Oppidis, & Vrbibus, sed remissa, non abolita symptomata, quippè etiã post quadragesimam mugijt, tonauit, fumauit, flammasq. egessit, (velut nunc etiã post menses octo) similitudine eorũ morborũ, qui acuti per decidentiam nuncupantur, qui circà tertiam, vel quartam diem excandescere incipiunt, visceribus præcipuis, corde, cerebro, & stomacho, à furente, maliq. moris materia oppugnatis; quo tempore horribilia multa obseruantur in ægris, quæ vel generosis medicis terrorem incutiunt, vt de funesto magis tunc exitu pauescant, quàm de fęlici sperent, cuiusmodi esse solent pulsuum casus ad carpos, & penè syncope cardiaca, ingens delirium, aut etiam phrenesis, cum iectigationibus; oris ventriculi morsus, vel cardialgia, syncopeue dicta stomachica, quibus corporis totius irrequietus motus associatur, & denique alui fluor non raro sintecticus, quorum malitia interdùm vsque ad vigesimam, & vigesimam septimam, imò & vlteriùs quandoque perseuerat, &, nisi interim ægrum abripiant, tunc cuncta mitescere quoquopacto incipiunt, sed morbus tamen, mutata in longitudinem sæuitie, vsque in centesimam, & centesimam vigesimam protrahitur, si vires ferẽdo morbo idoneæ fuerint, vt in Heropyto, & alijs Epidemiarũ Hippocr. ęgrotantibus, quos dignos memoria esse

Assimilatus febribus acutis per decidentiam vocatis.

Symptomata verè acutas, & mali moris febres ab initio concomitantia.

Mutatio sæuitiei earundem in longitudinem.

dicit

dicit in Comment. Galenus, quòd propter virtutis robur graues, ac lethales morbos ſuſtinuerint. Quippè tunc morbus reuerſiuo quodam modo inuadit, ac ceſſat, iterùmq. pullulat, quòd eius cauſa nondum penitùs debellata vigorem reſumat, & luctam denuò cum natura aggrediatur, ſed incaſſum, quia in illa, ſeu apirexia, ſeu endoſi, reuegetantur vires, quæ nouos poſtmodùm inſultus contemnunt, tandemq. morbi magnitudini ſuperiores euadunt. Nunc quatuor aguntur menſes (dies enim decimaſexta currit menſis Aprilis 1632.) quibus Veſuuiana flagrantia foràs erumpere cępit, quæ interea temporis rediuiuas habuit intermiſſiones, ſeu parùm fidas quietes, vtpotè ad intenſiones quaſdam iterùm redeuntes. Quare Neapoli, & Nola nunc ſcribitur, vel menſis huius iſtis diebus poſtremis Veſuuij apicem è ſolito, & antiquo cratere adhùc fumum, eructare, atque intùs mugire, ac ſubtremere, & circumſitum aerem ſubinde tetrum exhalare odorem, & qualem prorsùs ignitum Sulphur emittere ſolet. Prout ergò incendium hoc, circùm exordia, ob copioſam adeò congeſtam in tàm longo interuallo materiam, arſioni, & igni idoneam, furens admodùm, & immane apparuit, ſic, pòſt eiuſdem materiei incinerationem, & pòſt aquas ardentes, lapideſq. ignitos, vbi igneæ intendebantur flammæ, ex intimis cauernis excreatos, quaſi exuſtos, bilioſoſq. ſuccos, ſudores, vrinas, & calculos per Diarrhæam lapidoſam, quam Franciſcus Pedemontanus obſeruauit, & curauit, vel per Dyſenteriam, è venis, ventreq. deturbatos, à quorum deiectione, interna corporis mala non obſcurè vim acutiei deponere, longitudinem verò inchoare conſueuerunt, ſeuitieſq. eius mitior in dies fieri obſeruatur, & continuitas remitti, proximèq. accedere, ſi non ad apirexiam, ſaltem ad non contemnendam endoſim, donec ſubſtratæ mineræ ſecundùm alias ipſarum partes, quæ in iam cępta accenſione, ad igneam flammam concipiendam non ſic paratæ, diſpoſitæuè erant, calorem recipientes ſucceſſiuè ex-

Morbus reuerſiuus.

Veſuuiũ hoc etiam menſe Aprili liberum prorsùs non eſſe à tremoribus, & fumis.

Quinimò paucos ante dies Menſ. Aug. præteriti valdopere contremuit, fumos, cineres, & aquas egeſſit.

Diarrhęa lapidoſa.

candeſcunt, & flammas iaculantur, cauſis fortaſsè etiam ignitionis, nempè impetuoſis exhalationibus, & ventis, ac mare ipſo inæqualiter ſæuientibus; Sic etenim ferè in maſſa humorum contingit, dum febres continuæ, quarum minera in cauitate vaſorum ſtabulatur, & quarum præterea verum characteriſmum Galenus 2.de Criſ.6. eſſe vult, quando putredo fit in venis, modò remittuntur, modò exiguò pòſt inualeſcunt. Parti ſiquidem ſanæ humorum ſemper contigua eſt pars putrefacta, cumq́. omne, quod tangitur à putrido, putrefiat, facilè fit, vt putredo longè, lateq́. propagetur, & ex conſequenti febris perduret; vt nulli mirum eſſe debeat, ſi huiuſmodi febres interdùm exacerbantur, interdùm non; quia, tametſi pars ſana, & ægra humoris ſint veluti coniunctæ, nihilominùs aliquando euenit, vt vna pars humoris putrefacti ex toto finiatur, altera verò nouam induat putredinem, ex quo deinceps ſequitur, vt appareat quoddam quaſi ſpecimen remiſſionis febris, & renouationis eiuſdem, id quod in continuis aliqua ratione proportionatis contingit, quamuis non me lateat apud Hippocratem, & Galenũ in Epid. libris, pro malignitatis febriũ ſigno notari, quando febris ipſa continua modò remittitur, modò ſubitò exacerbatur. At vbi nihil putrefacti humoris diſſoluitur, neque noua putreſcit materia, ſed quidã veluti continuatus fluxus conſeruatur, tunc febres fiunt cõtinuæ improportionatæ, quæ eædem ſunt ſemper à principio vſque ad finem ſolutionis. Doctrinam hãc reperio mirè explanatam à Gal. 1. Epid. ſect. 3. Com. 2. Qui de veterum Medicorũ ſententiã ſcribit, febres nonnullas verè eſſe continuas, quales Synochæ ſunt, in quibus nullæ cernuntur acceſſiones, quaſdam minùs verè cõtinuas appellari, quæ, etſi nunquàm intermittunt, aliquas tamen habent acceſſiones, cuiuſmodi febres inter verè continuas, & intermittentes quodammodò mediæ ſunt; Quoniam ſi comparentur cum Synochis, intermittentes, ſi autem cóparentur cũ intermittentibus, continuæ vtcumque poſſunt nominari. Quantum ad

Febrium cõtinuarũ characteriſmus.

Eędem cur intendantur, & interdùm remittantur.

Signum malignitatis febriũ ab Hippocr. & Gal. poſitum in Epid.

Febres quę verè continuę, & quænam potiùs intermittentes, tametſi continuę dicantur à Galeno.

ad alteram difficultatis partem, quæ erat de periodicatione morbi Vesuuiani, cui videlicèt mons ipse, vel ab antiquis sæculis, per nescio quæ interualla modò longiora, modò breuiora, obnoxius esse videtur, & hæc comparatione cum febrilium proxysmorum recursu, clara, & manifesta aliquo pacto euadet, præsertim si causa circuitus eorum, iuxtà Galeni, & melioris notæ Medicorum mentem accipiatur. Quoniam autem locus hic minimè opportunus est data opera pertractandi hanc controuersiam de paroxysmorum circuitu in febribus intercalaribus, quanàm scilicèt ratione febris tempore intermissionis multas horas, & dies integros lateat, deinde, certo prorumpat tempore, & hominem inuadat; quædam singulis diebus, quædam tertio, aliaq. quarto quoque die habens accessionem, quinimò, apud Hippocratem, 5. 6. 7. & 9. periodicè insolescens, & quia similiter talis quæstio de illarum numero censetur, quas Galenus 3. de Locis affectis 1. Logicas appellat, eo quòd nihil ad curationem conferant: vnde, vel à Medicis doctissimis, qui praxim docent, & merę solùm intenti sunt curationi, prætermittitur; Ea propter, tot, ac tantorum virorum posthabitis opinionibus, ei solummodò, quæ probabilior mihi videtur, quæq. cum Vesuuiani incendij periodicatione magis congruit, inhærebo, & eandem afferam in studiosorum, & curiosorum lectorum gratiam. Sed in hac etiã secunda difficultatis parte dubitatio triplex continetur. Prima, cur febris redeat. Secunda, cur pituitosa febris (loquor autem de simplicibus, non complicatis, aut coniunctis) citiùs redeat, tardiùs biliosa, & melancholica. Tertia, cur statis diebus febres reuertantur, pituitosa quotidiè, biliosa die tertia, melancholica quarto. Primæ respondet quæsitum fieri solitum, quamobrem Vesuuianus tremor, & ardor soleant redire, postquàm cessauerunt. Secundæ alterum, quam ob causam ijdem aliquibus temporibus per longissima interualla nonnullis verò alijs per valdè breuiora reuersi fuerint, prout

Vndenam periodicatio incendij Vesuuiani iuxtà Medicorum placita de periodicatione febrium.

Quæstiones Logicæ quæ Galeno dicantur.

Dubitationes tres. Prima, & Secunda.

Tertia.

Quęsitum ad tremorẽ Vesuuij pertinens.
I.
II.

ſuprà ex fide dignis hiſtoricis retuli. Cum qua Tertia, quoad Veſuuianum malum, coincidere videtur; neque enim adeò ſtata, & ordinata in eo monte flagrantia hactenùs à tot ſæculis obſeruata fuit, cui propterea ſtatim aliud

III. ſubnectam quæſitum: Cur Veſuuiani morbi acceſſio interdùm longior, interdùm breuior fuerit animaduerſa; nam tempore Titi (vt ex Plinij nepotis Epiſt.20. colligitur) acceſſionis impetus, & vigor valdè breuior fuit hodierno.

Solutio primæ dubitationis. Ratio ergò, cur febrilis redeat, affertur à Galeno ſect. 4. Aphor.63. nimirùm, ſi, finita acceſſione, nullum relinquatur vitium in membro, non remeat acceſſio, ſi relinquitur, contrà: Veruntamen hoc ineſt primam inter & ſubſequentes acceſſiones diſcrimen, à putreſcente materia emanans, id quod idem Gal. docet de Differ.febr.lib.2.cap. vlt. quia in prima acceſſione materia, quæ putreſcit, vnica eſt, ſicut in Tertiana, bilis flaua, ſed in ſuccedentibus paroxyſmis putredinalis materia triplex exiſtit, vna quidem præcipua, veluti materia billioſa in Tertiana, pituitoſa in Quotidiana, melancholica in Quartana. Secunda eſt putrida ſuperfluitas, quæ propriè inquinamentum dicitur Galeno 3. de Pulſ.cap.7. & 10. in antegreſſa acceſſione, relicta in parte, videlicet extrà venas. Tertia eſt ſanguis confluens à reliquis partibus in partes debiliores, qui ſimiliter computreſcit, vt ſuperiùs dixi.

Solutio quæſiti primi Veſuuij. Veſuuianus ideò morbus, poſtquàm ceſſauit etiam totaliter, quoad aſpectum, & ſenſum noſtrũ, reuerſiuo quodam modo rursùm inſurgit, quia relicto inquinamento ab incenſis, & exuſtis mineris, ſeu ſint fuligines cum Baccio ſuprà dictæ, in illa cinerum vaſtitate, & pumicum, ſaxorumq. aliorum poris immerſæ, ſeu igniti quidam carbones ibidem latitantes, &, poſt antecedens incendium, reliqui, vbi idoneæ, ac fertiles igni materiæ ſulphureæ, bituminoſæ, nitroſæq. & aliæ, tempore longo, in tam magno, & vaſto corpore denuò genitæ, & congregatæ à ſuis cauſis, & impulſoriæ quoque cauſæ, vti venti, aut intrinſecæ exhalationes vehementer commotæ, ac ſepultum

intrà

intrà illos fomites ignem flabellantes accesserint, iterùm ardores, tremoresq́. progignuntur. Ad secundam, (omissa nunc Platonis opinione in Timæo, vbi ad motũ respiciens vult febres continuas fieri ex igne, pituitosas ex aere, qui celeriùs mouetur, quàm aqua, biliosas ex aqua, melancholicas è terra) dico accessiones redire, quoniam noua putrescit materia, vnde citiùs redit accessio, quando adest materia, quæ citiùs putrescit, sed in febre pituitosa causæ putredinis sunt validiores, minùs in biliosa, adhùc minùs in melancholica: Ergò pituitosa febris velociùs redit. Quæ quidem facilioris putredinis causæ in copia, & qualitate materiæ consistunt, materia verò quædam regeneratur, quædam in priori accessione relinquitur, & quantum ad eam, quæ regeneratur, hæc sanè citiùs quàm bilis, & melancholia colligitur in ea copia, qua nouam possit accessionem inferre, quia scilicèt pituita oritur è portione ciborum frigida, humida, & viscida, produciturq́. à ventriculi calore, qui longè minor est calore hepatis. Quamobrem fit, vt talis materiæ portio exigua dissipetur, quia & mobile viscidum est, & mouens est calor remissus, vnde copiosa relinquitur. Bilis gignitur potissimùm in hepate, & dixi potissimùm propter bilem porraceam, cuius generatio in ventriculo fit è cibis calidioribus, vt constat ex Galeno 2. de temper. cap. 6. cuius agens est ventriculi calor plus æquo intensior, ex quo fit, vt non tam celeriter, vt in pituita, iusta bilis copia queat colligi, quæ febrem excitet, nam maior fit dissolutio, quia & mobile est calidum, & mouens est vehemens; Bilis verò, quæ in hepate generatur, pro materia è qua, partem habet tenuiorem ipsius chymi, pro agentē verò eiusdem hepatis calorem, qui intensior est calore ventriculi, à quo pituita producitur; Vnde fit materiæ dissolutio, vt tam citò, quàm pituita cumulari minimè valeat. Melancholia tandem nascitur è chyli portione crassiori, quæ pauca admodùm existit in chylo. Etenim quæ crassa sunt in fęces abeunt; agens verò est hepatis calor,

Secundę dubitationis solutio.

Platonis opinio.

Pituitę generatio vnde.

Bilis porraceę, & flauæ generatio vnde.

Melancholiæ humoris generatio vnde.

lor, qui intensior est calore ventriculi. Quapropter fit, vt melancholia, quæ sufficiat ad febris excitationem, nisi longissimo tempore, non regeneretur; materia enim, è qua debet fieri, exigua est, & ratione caloris aliqua fit dissolutio. Et hæc quoad quantitatem materiæ. Quo verò ad qualitatem, pituita frigida est, humida, viscida, & non rarò crassa; bilis contrà calida, sicca, tenuis; melancholia frigida, sicca, crassa; Quocircà tametsi bilis ob sui calorem, ac tenuitatem magis fluxilis sit pituita; attamen, quia seriùs regeneratur, propterea etiam seriùs accessionem facit, sicut melancholia omnibus modis tardiùs mouetur, quoniam cùm exigua est, tum frigida, & crassa. Quantum ad portionem relictam in antecedenti paroxysmo, quam ex Galeno propriè inquinamentum vocari dicebamus, hæc sanè in febre pituitosa copiosior est, quàm in biliosa, & melancholica, auctore Galeno lib. 2. de Differ. febr. c. 4. Quapropter cum in febris pituitosæ accessione non parum inquinamenti remaneat, festinat magis secunda accessio, quàm in alijs febribus. Demonstratum autem superiùs abundè fuit, materias, quæ accenduntur, in terræ flagrantijs, & præsertim in Vesuuio, multiformes esse, ac inter sese per omnia non vndecunque similes, quæ pariter non vno, & eodem tempore cumulantur, sed varijs, vt priusquàm in vnum coeant, simulq. dispositæ sint ad ignem tum concipiendum, tum foràs impetuosè iaculandum, multum plerumque temporis intercedere oporteat, ideoq. malum eius, nisi per longissima spatia, non reuerti asserere possumus. Quod si aliquandò breuiore interuallo recurrerit, vti suprà, post magnum illud sub Tito Vespasiano editum, aliquandiù accidisse ostendi testimonio Dionis, atque Vitruuij, id profectò remissius valdè erat, & forsitan citrà incolarum molestiam, quoniam materiæ illæ combustibiles in minori erant copia, & crebrioribus consumebantur incendijs, vt quasi reliquiæ à magna antecedenti flagrantia superstites essent, eæq. sulphureæ potiùs, ac bituminosæ, quàm nitrosæ, à qui-

Eorundem morborum qualitates.

Mineræ Vesuuij multiformes quid pariant.

Vesuuiana perturbatio cur longissima habeat interualla; seu secundi quæsiti solutio.

Cur aliquando perbreuia.

quibus impetus in incendijs principium magis dependet, quàm ab alijs. In febribus verò causa fixarum periodorum nulla alia multis esse creditur, quàm propria humorum natura, seu, quæ aliter dicitur, occulta proprietas. Atqui si humor aliam induit naturam, accessio quoque variatur, testimonio Galeni 2. de Differ. febr. cap. vltimo. veluti cum bilis flaua mutatur in atram, accessiones, quæ priùs fiebant tertio quoque die, mox quarto reuertuntur, quod sæpissimè animaduertimus in biliosis febribus æstiuis, & maximè instante Autumno, qua tempestate Tertianæ cùm simplices, tum duplices, & continuæ, ex assata bile, cùm aerei, tum febrilis ardoris causa, quartanæ sæpè spuriæ, prauæq. naturæ exoriuntur. Attamen sunt qui hanc proprietatem ab huiuscemodi causis longè ablegant, quoniam in re hac adsunt causæ quàm manifestę, vt frustrà quærãtur occultæ. Præterea quia, si tales circuitus fierent ab occulta humorum proprietate, numerus circuituum numero humorum responderet, quod videtur esse falsum, eo quòd tres solùm sint humores efficientes circuitum, pituita, bilis, melancholia; at circuitus sunt multò plures, cum non modò sint quotidiani, tertiani, & quartani, sed etiam quintani, sextani, & reliqui iam dicti, apud Hippocr. notati. Denique quoniam, quod ex proprietate nascitur, tale etiam ex forma est, quod autem ex forma est, perpetuò est; sed circuitus non sunt perpetui, sicut inde facilè probant, quia sæpè circuitus in febribus antecedunt, postponunt, & nullum penitùs ordinem seruant, prout scilicèt ægri benè, aut malè vtuntur sex rebus non naturalibus, præsertim cibo, ac potu, & vi vtriusque maiorem, vel minorem humorum copiam cumulant, quibus accessiones in ijs per multas antè horas anticipant, diuq. perdurant, vt propterea quantitas, & qualitas nouæ, & cumulatæ materiæ, non occulta humorum proprietas, circuituum paroxysmorum causæ statuendæ sint. Quæ similiter causæ in Vesuuiani morbi periodicatione, & per nescio quæ interualla recursu, locum magis

Tertiæ Dubitationis de statis febrium periodis solutio.

Antedictæ causę secundùm aliquos reprobatio.

Quantitas, & qualitas minerarum ad Vesuuij incendium promouendum magis facit, quã alię causæ.

fæ, vti in febrium circuitibus quantitas, & qualitas humorũ.

magis habere videntur, quàm alia quæuis causa, vt paulò antè scribebam, quemadmodum & in vltimo quæsito, videlicet, cur incendia Vesuuij aliquandò visa sint breuiora, aliquandò longiora. Galenus enim in febribus causam collocat in materia, virtute, & habitu corporis lib. 2. de Differ. febr. cap. 3. 5. & vlt. Materia siquidem est longitudinis causa, si sit copiosa, frigida, crassa, viscida, breuitatis, si pauca, calida, tenuis, quia citiùs dissipatur. Virtus, si sit robusta, breui tempore materiam expurgare potest; vnde breuis accessio; at si debilis, longam accessionem efficit. Habitus corporis densior in causa est longitudinis paroxysmorum, rarior, breuitatis, quia in corpore perspirabili vix colliguntur morbificæ materiæ. Prior & vltima causa hoc in loco adesse facilè potest, & de illa quidem iam dictum abundè fuit. Quoad alteram, meatus sanè terræ montis tam præ ventorum illorum, quos suprà dixi, intensa frigiditate, anniq. etiam tempore iam hyemali (vnde notatum alibi à me est, in Vesuuij cacumine niuem per initia incendij ab Incolis visam fuisse) constipati fuerunt, sicut enim per Aestatem dehiscunt, & per eos interanei spiritus, aut exhalationes exsiliunt, rarissimèq. per id tempus mineras accendunt, & tremorem terræ faciunt, quia perspirant; ità per Hyemem, Borealibus præsertim ventis aliquandiù flantibus, constringuntur, sicq. vt intrà specus vnà vapores omnes, ac exhalationes retrocedant, in causa sunt, quæ dum foràs liberè permeare nequeunt, intercepto itinere, &, præ antiperistasi, repercussæ, violentiùs in intimis mouentur, terram quassant, & substratas combustibiles mineras agitando, ad flammas vsque, & incendia parienda promouent. Qui finis erit Aetiologiæ flagrantiæ Vesuuianæ. Vbi materiales & efficientes causæ potissimùm consideratæ fuerunt, quæ apud Medicos non semel confunduntur, promiscuèq. vsurpantur, posthabitis alijs, & præsertim finali, quæ sanè in morbis nullum habere locum videtur, vt nec in præsenti Vesuuiano, licèt non desint, qui hìc eundem esse finem autu-

Meatuum montis densitas, vel raritas, in causa etiam esse potest longitudinis, aut breuitatis incendij.

Finalis causa an in morbis consideranda & cõsequenter in Vesuuiano.

autument, qui eſt cæterarum ſimilium impreſſionum in aere, vel terra factarum. Id quod mihi parùm probatur, ſi modò bonum, & finis reciprocentur, vt Plato aſſerit in Philebo. Quo argumento reprehenditur Euripides ab Ariſtot. 2. Phyſ. quòd ſcripſerit, mortem eſſe finem rerum omnium. Et ratio eſt, quia, non quidquid agit, habet certum finem ſuæ actionis, ſed quidquid agit naturaliter. Scio equidem dari morbos nonnullos, quorum exortu alij occultantur, ac finiuntur, de quibus Gal. in Com. illius poſtremæ ſentẽtiæ Epidem. *Pro quibus quinam morbi.* & alibi cùm ibidẽ, tũ in Aphoriſmis: vbi, ſi frigidis, & flatuoſis in cerebro, neruis, ac vẽtre malis febris ſuperueniat, eos omninò tolli, ac diſſipari traditur. Ex quo factũ, vt Medici nõ vereãtur in frigidorum ſymptomatũ curatione ad validè calefacientia, vel cũ febris excitatione, deſcendere. Verumtamen in re hac nihilò minus Natura, quàm Medicus infęlix, quòd illa nequeat, hic neſciat, morbũ niſi morbo depellere. Vndique enim anguſtiæ. Qua de re alibi diffusè egi. Sed ne à præſenti caſu remotiùs abſcedam, &, vt curioſis ſatisfaciam, dici poteſt, cauſam materialem in terræ motu, eſſe ipſam met terram, quæ concutitur, quæq. etiam apud Medicos pro ſubiecto ſumi ſolet, formalem verò attendi penès varias tremoris ſpecies, quas duas tantùm ponit Ariſt. plures verò alij, vt ſuperiùs annotaui, efficientem verò propriè dictam, duplicem aſſignari, alteram vniuerſalem, magiſq. remotam, alteram ſpecialem, ac magis propinquam. Ad priorem rediguntur Sol, Sydera, & Cæli, quæ tria ſuo irrequieto motu, quinimò & aliquid elementaris ignis in inferiora dimittendo, calfaciunt, vim ſcilicet caloris terræ ſpecubus communicando, cuius poſtmodùm virtute eleuatur exhalatio terræ motionis cauſa, quæ cum ea ſit, quæ illam immediatè gignit, idcircò iuremerito efficientis terræ motuum nomine donatur. In flagrantia pro materiali cauſa ſtatuantur mineræ ſignificatæ, pro formali ignis, & flammarum coruſcatio, atque combuſtio, efficiens

Euripides in quo reprehẽſus ab Ariſt.

Qui morbi aliorum morborum exortu ſanentur.

Quando Natura, & Medicus infęlices.

Materialis cauſa quę ſit in terręmotu.

Formalis.

Efficiens duplex.
Vniuerſalis.

Particularis.

Materialis cauſa flagrantiæ.

Formalis.
Efficiens.

Finalis causa, piè re considerata, quænam esse possit.

verò est exhalatio ignita, antequàm erumpat, & dum actu mineras incendit; quippe vbi iam prorumpere cępit, tunc formalis etiam euadit. Quid si hac in Aetiologia piè quoque dicamus, finalem causam eorum, quæ in aliqua Mundi plaga, si non vniuersè, præter consuetudinem, aut raró, vel prodigiosè nimis eueniunt, in alto Dei consilio latitare, qui huiusmodi portentosos, mortalesq́. euentus, sicut pestem, famem, bellum, quæ nuper omnia, intrà adeò breue tempus, floridissima aliòquin Italia penè tota miserè passa fuit, identidem suscitari facit, tametsi medijs principijs naturalibus, quæ illi soli seruiunt, & obediunt, vt his terrificis signis, funestisq́. cladibus vigiles redditi, iniquitatibus renuntiando, ac pœnitentiam delictorum iuuentutis faciendo, mentium nostrarum aciem ad cælestem patriam, verum salutis scopum, intendamus. Absolutæ autem Aetiologiæ omni in subsequentibus Cap. sermonem de Signis tam ad terræ motus, quàm ad incendia pertinentibus iuxtà inchoatum ordinem, ac destinatam methodum subnectemus.

Σημειωτικῆς *duæ partes* διαγνωστική, & προγνωστική *an, & quomodo considerandæ sint in præsenti casu. Prognosticorum signorum partitio, & quare Medici signorum sindrome indigeant. Quinam morbi exactiori Diagnosi non egeant, sed statim ex se pateant. Quomodò aeris intempestiua tranquillitas futuros terrę motus indicet, vbi contradictio in verbis Aristotelis conciliatur, aliaq́ examinantur signa varia terræ tremores, & generatim, & speciatim in Vesuuio antecedentia, cùm aliorum Auctorum, tum Plinij Nepotis, & Cassiodori testimonio. Vesuuianum hoc malum*

Aucto-

Auctori cur idiopathicum, non simpathicum videatur, aduersùs contra sentientes.

CAP. XIII.

POST causas, ad signa calamum verto, nimirùm quia, ab illis, tanquàm effectus, qui continuò suas causas insequuntur, signa ipsa procedunt. Vnde quicquid ab aliquo velut à causa deriuat, id etiam illius esse signum alibi hoc in opere dixi, testimonio Gal. 5. de Loc. aff. 7. & 6. Aph. 16. quo pariter auctore de Opt. sec. 8. plerumque symptomata causarum signa dicuntur. Verùm quia, vt in priore libro annotaui, non vna sunt signa, sed varia, & multiplicia, potissimùm verò, (ne trahar ad Scholas, in quibus talia pleniùs examinantur) quæ non tantùm euentum morbi prædicunt, videlicèt, sit ne conualiturus æger, an moriturus, sed etiam quæ ventura sunt, vt deliraturum ægrum, præcognoscunt, prodroma vocabam. Ambo siquidem sub prognostica parte comprehenduntur, Gal. auctore Art. med. cap. 7. licet primo loco posita propriè, & quadam nominis prærogatiua prognostica nuncupentur, velut quæ nos prædocent, sit ne futurus morbus longus, an breuis, quando sit futura crisis, & illa quidem bona, vel mala, perfecta, an imperfecta, salutaris, an exitialis expectanda sit. Quæ signa crisima appellantur, sicuti quæ breuitatem, aut longitudinem morbi ostendunt, peptica, eo quòd coctione potissimùm, aut cruditate humoris morbifici, longitudo, aut breuitas morbi indicatur. Quædam verò alia signa sunt sub diagnosi considerari solita, præsentem morbū attestantia, eiusq. naturam aperientia, παθογνωμονικά appellata, perpetuò morbum concomitantia, hoc est, cum eo incipientia, & cum eo desinentia, similitudine vmbræ corpus insequentis, quorum quidem insimul collectorum Sindrome

Prodroma signa, & Prognostica dicta, ambo sub Prognosi cōprehendūtur. Gal. testimonio.

Signa crisima, & peptica quænam sint.

Pathognomonica.

Medici Sindrome signorum, Philosophi summis rerum proprietatibus vtuntur.

morbi speciem necessariò conuincit, quia Medici vtuntur, vt Philosophi summis singularum rerum proprietatibus, cuiusmodi sunt, risibile hominis, hinnibile equi, ex quibus solis speciem necessariò concludunt. Quicquid enim ridet homo est, &, quicquid hinnit, equus. Medici verò multiplicatis & vnà coniunctis signis morborum speciem, naturamq. venantur. Siquidem non protinùs Phreneticus est quicunque delirat, quia etiam Melancholici delirant, sed quicunque delirat, simulq. febricitat; Sic Pleuriticus habetur, non qui in latere punctorium sentit dolorem, sed si vnà insuper febri acuta laboret, tussiat, difficulter anhelet, & serrinum pulsum habeat. Quæ postremo loco recensita signa non sunt, me iudice, nunc recolenda, duplici ratione. I. Quia superiùs in primo libro sub nomine Paralleli effectuum, accidentiumq. montis Vesuuij cum alijs igniuomis, ac tremescentibus locis abundè relata fuerunt, & ad pensum ducta. II. Quia Medici contemplari ea solent, quando morbi, & eorum natura non vsque adeò patent, indigentq. ob id exarctiori Diagnosi, vt internoscantur. Quæ necessitas longè abest à presenti Vesuuiano malo, quoniam per se nimis notum, nimisq. manifestum existit, simile prorsùs nonnullis nostri corporis, quæ certis non egent notis, quibus agnoscantur, vti pro exemplo sunt in capite Epilepsia, ac Sternutamentum, in neruis, & musculis Conuulsio, & Conuulsiuus motus, Tremor, atque Paralysis, in stomacho Singultus, Vomitusq. & Cholera, in pectore Tussis, quæ symptomata mirè congruunt cum terræ motibus, quemadmodùm & in corde quæ fit Palpitatio, quiq. tam sæpè in eodem, & ab eo in reliquo corpore viget Febrilis calor, & extrinsecum Erysipelas, quæ ambo ad flagrantiam spectant, & deniq. in ventre Ascites, vel Tympanitis, sicut in carne Hyposarca, Anasarca, Leucophlegmatiauè, quæ vnam & eandem Hydropis speciem cũ Galeno sonant, tametsi aliter Aretæus, & in cuti Aurigo, Arquatusuè morbus tam niger, quàm citri-

Phreneticus qui dicatur, & qui Melãcholicus.

Pleuriticus qui vocãdus.

Pathognomonica signa in Vesuuiano malo cur nõ sunt exactiùs nunc inquirenda.

Vesuuij morbus per se notissimus exemplo quorundam nostri corporis. Epilepsia, Sternutamentum, Cõuulsio, Tremor, Paralysis, Singultus, Vomitus, Cholera, Tussis, Palpitatio, Febris, Erysipelas externũ, Ascitis, Tympanites, Hyposarca, Aurigo.

citrinus. Quæ ſingula mala, abſq. vlla ſymptomatum collectione, ſtatim ſenſu deprehenduntur, veluti Veſuuianum. Quippe illicò ac mugire, tremere, flammas euomere, totq. cineres, ac lapides eructare cępit mons Veſuuius, taliſq. in eo morbus, qualis Cholera propriè dicta, apparuit, inquilini & propinqui populi, quantumlibet idiotæ, ac illitterati, & penitùs ruſtici, vt ſileam Viros nobiles, Principes, & ſtudijs operam nauantes, quemadmodum & Medicos Oppidorũ eiuſdem mõtis, qui non ancipites, aut dubij fuere de eſſentia mali, quoniã ſenſu viſus, & sẽſu tactus, qui ambo in rebus cunctis certiſſimam fidem præſtant, longè latèq. ſuperant vim ſignorum illorum, quæ techmeria vocantur, Galeno 12. Meth. Pleuritidem, & Dyſenteriam indicantia, quàm citiſſimè intimam tanti caſus naturam antè oculos poſitam penetrarunt, cum alij de mutilatis membris quererentur, alij ibi vitam cum morte aceruatim cõmutarent, & alij, qui citam arripuere fugam, damna quàm magna perpeſſi ſint, in Oppidis dirutis, in ædificijs quaſſatis, & auulſis, ac pecoribus interemptis, agris, vinetis, oliuetis, caſtanetiſq. à feruidis arenarum, & cinerum globis, aquarumq. ignitarum torrentibus, obrutis, combuſtis, & auerruncatis, vt, quæ tam diù fęlix ab eo tractu Campania floruit, ac fuit opus gaudentis naturæ, hodie contrà infęlix iaceat, eius tumulata hilaritate. Ad quæ ſigna pertinent Epiphœnomena appellata, quæ morbis ſuperueniunt, poſtquàm geniti iam ſunt, cuiuſmodi in Veſuuiano præſertim tremore paſſim animaduerſa fuere, de quibus non eſt cur agam diſtincto ſermone, tum quia magna ex parte cum cæteris confunduntur, tum quia ſuprà etiam ſermo de ijſdem habitus fuit. Proponamus itaque, ac breuiter expendamus accidentia, ſeu ſigna illa potiſſimùm, quæ inter Prognoſtica quoque connumerari dicebam, Prodroma à me ſolita vocari, mala ſcilicet præindicantia, vel, priuſquàm exoriantur, vel orta, acriùs adhùc ſæuitura, niſi interim (de morbis corporis accipiatur) inde moniti eorum impetum

Signa thecmeria, quæ indicant Pleuritidem, ac Dyſenteriàm apud Gal. Et malum hodiernum Veſuuij.

Epiphœnomena cur etiam nunc omittantur.

Dictum Gal. de seipso iam floccos in morbo colligente.

tum compescamus. Iuxtà quod Galenus ægrotans clamabat coram Medicis: *Cauete ne me Phrenitis arripiat, quia, postquam facta est, curationem non admittit*. Iam enim colligebat festucas, carpebatq. floccos, quod Prodromon signum est impendentis Phrenitidis. Quæ in Vesuuio orta symptomata crudeliùs fortè etiam in Neapolitanos, aliosq. vicinos populos debacchata fuissent, nisi Deus suam deposuisset iram, intercessione in primis S. Ianuarij Neapolitanæ Vrbis Patroni, cuius sanguine miraculoso intrà vitream pyxidem seruato ab Eminentissimo, & Pijssimo Pastore frementi, ignesq. euomenti monstro à Porta dicta Capuana opposito, illicò furor eius & impetus mitescere visus est.

Impetus Vesuuiani furoris quando cępit mitescere.

Inter signa igitur notata à Scriptoribus, quorum consideratione tremores terrę præsagiri, ac præsentiri quodammodo possunt, primum locum sortiri hoc videtur: Si magna, & intempestiua sit aeris tranquillitas. Ità enim refert Seneca 5. Nat. quæst. cap. 12. antè eum terræ motum, qui Neronis tempore in Campania accidit, & cuius suprà etiã ex Plinio, & Tacito meminimus, multis diebus serenitatem fuisse. Rationem assignant hanc, quoniam tunc copiosa exhalatio, in terræ sinu contenta, nec in aerem euocata terram propediem quassabit. Sed his reclamare videntur, quæ alibi de mente Aristot. attulimus, nimirùm generari terræ motus in Vere, & Autumno, ac temporibus, quibus vberes de Cælo pluuiæ cadunt, quippe tunc exhalationes, & venti dominari cernuntur, terræ motuum causæ, vnde tales motus per illa tempora crebriùs, & vehementiùs sentiuntur; Quod si verum est, quomodo contrarium è diametro non erit, absolutè asserere, tempore serenitatis in aere tranquilliori terræ gigni tremores, & longam aeris quietem eos præsagire? Quinimò Aristot. id posse fieri apertè negat; nam vbi rationem reddit, quamobrem Aestate, & Hyeme terræ motus minimè fieri solent, eam esse dicit, quòd per huiusmodi tempora tranquillitas adest in aere, ventiq. silent, perinde ac si diceret, serenis, pacatisq.

Signa præindicantia terræmotum. Aeris intempestiua tranquillitas tremoris terrę prænũcia cur sit. Signum I.

Contra dictũ signum dubitatio, & contradictio Aristot.

tem-

temporibus terræ tremores non perſentiri. Dixerim ergò ad tollendam hanc contradictionem, quæ primo aſpectu in verbis Philoſophi ſubeſſe videtur, tranquillitatem aeris ſumi hoc in loco debere tanquam ſignum indicans tantum modò exhalationes in terræ ſpecubus coercitas, è quibus probabiliter expectari terræ motus poteſt, ſi non proſiliant, ſed,non extrà eas ſpirare,tanta in aere tranquillitas apertè nimis oſtendit, vt Ariſtotelis ſenſus ſit, quòd in iam dictis temporibus, quibus facilè generantur exhalationes, facilè quoq. terræ tremores ſentiantur, in ijſdem met verò ſi qui venti in aere validè flare deberent, nihilominùs quieſcant, ſpirareq. deſinant, aere admodùm quieto perſeuerante, argumento nobis aliquandò eſſe poſſe, quòd illa exhalatio, quæ foràs non exit, ſed in ſinu terræ continetur inuita, non valdè pòſt terram ipſam concuſſura eſt. Solut'o dubij, & conciliatio Ariſtotelis.

Secundum, quòd tempore, quo terræ motus imminent, Sol, tametſi Cælum nubiloſum non appareat,velut ſubobſcurus intuentium oculis offertur, cuius euentus hæc videtur eſſe cauſa, quia cùm tota exhalatio, quæ parere tremorem debet, intrà ſpecus & anfractus terræ includatur, nec portio eius tanta in aeris regione adſit, quanta neceſſaria iudicatur ad rarefaciendos, ac diſſoluendos vapores iugiter è terra eleuari ſolitos, Sol talium vaporum interiectu nitidiſſimum ſuum lumen liberè impertiri nequit. Solis tempore non nubilo,ſubobſcuritas cur fiat. Signum II.

Tertium ſignum ab Ariſtotele ponitur 2. Met. cap. 7. & Plin.lib.2.cap.81. nempe, ſi interdiù, vel paulò poſt occaſum Solis, ſereno Cælo appareat tenuis linea nubeculæ, in longum ſpatium extenſæ. Cuius ratio eſt,quia iſtiuſmodi nubes, aliquandiù præſertim perſeuerans, planè indicat ne minimam ſpirare auram, proindeq. cuncta ſilere, & tranquilla eſſe,omni intrà terram halitu,ſpirituq.cohibito. Tenuis linea nubeculæ ſereno Cælo apparens cur terræ motum prenuntiet. Signum III.

Quartum attribuitur Solis, ac Lunæ Eclipſi, quòd,per huiuſmodi deliquium,calore abeunte,aerem frigus ſubeat, & ingrediatur, vi cuius terræ meatus conſtringuntur, & vnà exhalationes in eius viſceribus cohibentur, quæ pro exitu EclipſisSolis, ac Lunæ quo modo terræ tremores preſagiat. Signum IV.

cum

cum soliditate terræ luctantes eandem quassant, ac tremere faciunt. Hanc sanè causam, vnde signum tale promanat, puto habuisse locum in hodierno Vesuuij motu, & incendio, quia mense Octobri Eclipsis eiusmodi facta fuit, quo præthereà venti Boreales frigidissimi per totum hunc Romanum, & Neapolitanum tractum multis diebus spirauere. Quintum signum aliquandò nobis exhibent alites hùc illùc volitantes, nec vllibi pedes sistentes, quasi mox collapsura loca subodorantes, quo astu, & signo ferunt Anaximenem Philosophum terræ tremorem præuidisse. Quomodo autem brutæ animantes hæc, & consimilia certiùs, quàm homines præsentire, ac præsagire valeant, superiùs notatum à me fuit. Sextum esse volunt, quòd æquor nauigantes si quid leuissimi ponderis digitorum nexu comprehendant, aut patente manu contineant, tremiscere illud intuentur, non aliam ob causam, vt aliqui opinantur, nisi quia nescio quæ paruæ exhalationes subleuantur, quæ leuissimæ rei motum quendam suppeditant; Cui tamen signo non multùm fidendum est; quoniam, si omnia impendentis terræ motionis indicia spectare eò debent, vt spiritus, seu exhalationes intrà terræ viscera coercitas esse demonstrent, profectò signum hoc parùm fidum esse videtur, quippè quod argumentum est, spiritus è terra prosilire incipientis, & ex consequenti terræ motus neutiquam affuturi. Septimum, quando mare absque flatu repentè intumescit. Tunc enim ille tumor ex magna exhalationis copia, confertim egredi tentante, & particulatim per venas exeūte, efficitur. Quod signum similiter non adeò efficax esse creditur apud eos præsertim, qui terræ motum in mari nonnisi difficillimè excitari posse existimant, præterquamquòd, dato, ibi eum posse fieri, vix dignosci nihilominùs posset, vndenam illa maris tumescentia oriretur. Octauum sit, si in puteis turbetur aqua, & hæc tetrū inhalet odorem, ac peregrinum aliquem admiserit saporem, absente aliaquauis causa manifesta. Hoc signum conturbatę aquæ licet

Alitum inconstans volatus, aut mora terræ motionem quare pręostendat. Signum V.

Mare nauigantium manu si quę leuissima res detineatur, et tremiscat, quomodo indicet impendentem terrę motum. Signum VI. Obiectio aduersus huiusmodi signū.

Maris intumescentia absq. manifesto flatu qua de causa terræ motum pręcedere dicatur. Signum VII.

Turbatio aquarum intra puteos, pręsertim si vnà adsit malus odor, quamobrem immi-

ante motum, & flagrorem Vesuuij neglectum, præcessisse in puteis quibusdam montis, ex relatu accolarum sunt, qui scriptis impressis annotarunt, velut nonnullos exsuccos, aut exhaustos penitùs visos fuisse. Quo signo legitur Phecidem, magistrum Pythagoræ, futurum terræ motum prædixisse, pòst nimirùm haustam è puteo aquam. Oritur enim talis turbatio, odorq. ex multo spiritu è cauernis conanti exire, & terram Sulphuri admixtam eructanti. Nonum signum, si in puteis ipsis subulliant latices, atque ascendant, quod ab eadem causa proximè allata emanat. Flatus enim ex imo subiens terram, atque adeò aquam superpositam in sublime effert. Id ipsum accidisse legi antè insignem terræ motum, qui anno 1570. Ferrariam concussit. Quo similiter tempore Padus cùm turbidus, tum ampullis in aerem exsiliens fluxit, cum piscium mortalitate. Decimum, si media Aestate insolitum frigus ingruat; & hoc rationem habet cum his quæ suprà dicebam in Eclipsi Solis, & Lunæ, ac ventorum Borealium spiratione. Siquidem tunc exhalationes præterito calore in cauernis progenitæ, per antiperistasin introrsus se se colligunt, terramq. collidunt, modo sæpè superiùs explicato. Vndecimum, si soni aliquot ex recensitis à me in superioribus audiri incipiant, quales bombi sunt, mugitus, clangores, quorum diuersitas tum copiæ spirituum, aut exilitati, tum variæ anfractuum, per quos emittuntur, formæ, atque figuræ, nec non eorundem humiditati, vel ariditati, similitudine variarum vocum in homine, accepta referri debet, prout alibi demonstratum est. Qui tamen soni fieri etiam quandoque solent, tametsi tanta non adsit spirituum copia, quanta ad motum terræ faciendum necessariò requiritur, quippè ad sonum formandum minor valdè spiritalis substantiæ quantitas sufficere potest. Duodecimum, Meteωron quoddam instar columnæ igneæ in aere apparens, quoniam magna cum sit exhalationum sursum ascendentium vbertas, incendi hæ facilè possunt, formamq. induere

nente ostendat terrę tremorem. Signũ VIII.

Subullitio, & ascẽsio aquarum intrà puteos cur similiter indicent terrę motum affuturum. Signum IX.

Aestate media frigore ingruente quare de terræ motione timendum. Signum X.

Quare soni, & mugitus audiri præcedant terrę motum. Signum XI.

Meteωron ignitum figurę columnæ in aere apparens terręmotũ portendit. Signum XII.

impressionis oblongæ, quæ specimen columnæ præbeat; quo signo Calisthenes terræ motum præsagijsse traditur; super quo tamen eadem viget dubitatio, quæ non adeò antè suscitata fuit in exspiratione exhalationum è terra, qua oppositum potiùs suadetur. Decimumtertium, aliud Meteωron, nempe Crinitum sydus, quod terræ motum antecedere interdùm est animaduersum, quemadmodum in Achaia accidit, Aristotelis testimonio; vbi, priusquam tremore quateretur, & diluuio inundaretur, Cometa apparuit. Quod signum, velut duodecimum, quid aliud nobis signat, quàm tempus ad producendas exhalationes idoneum? imò non ordinarias exhalationes, sed igni conciendo aptissimas, vt propterea Crinita stella effatu dignæ magnitudinis, quæ supra Vesuuianam voraginem per plures dies emicabat, cùm effectus esset ignitarum exhalationum è montis barathro in sublime eleuatarum, tum signũ euidentissimum vtriusque mali non modò affuturi, sed inchoati iam, & facti; Quæ signa cuncta, & indicia caue putes certò præmonstrare terræ motus, & incendia, cum eorum nonnulla absque illis nascituris fieri possint, & aliqua etiam non tam futuri, quàm iam cępti mali vtriusque, sed nondum tamen sæuientis, argumentum præbeant. Ne taceam, quòd si prædicta accidentia, vel omnia simul, vel saltem plura coniunctim non apparent, per quæ in vnum collecta quædam velut techmeriodes conficiatur demonstratio, vacillans nimis coniectura, & iudicium difficillimum hac in re erit. Sed quænam reuera signa erunt Vesuuianum incendium præindicantia? Vbi aliquo in loco per interualla tremores vnà cum flagrantia suscitari solent, puto equidem ambo mala communia habere indicia; Concesserim tamen libenter leues tremores, boatusq. aliquos nonnunquam in monte hoc, sicut etiam fit in Aetna, persentiri, audiriq. posse, absque eo quòd vlla inde emicet coruscatio, aut flammarum erumpat euomitio, sed non ingentes crediderim fieri tam motus, quàm strepitus, præ-

Ad Criniti Syderis apparitionem quare subsequatur terræ tremor.
Signum XIII.

De Crinita Stella supra Vesuuium.

Cautio habenda in horum Signorũ contemplatione.

Signa quæ proximè antecedere solent Vesuuianum incendium.

sertim

ſertim ſi pòſt longum temporis curſum excitentur, quin præ foribus iam ſit horrificum incendium; cuius ideò impendentis ſigna innuens Caſſiodorus lib.4. Var. epiſt. 50. ſic ait: *Præmittit ſigna grauia, vt tolerabiliùs ſuſtineantur aduerſa: tantis enim molibus rixante natura montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam ſpiritus grandiſono fremitu vicina terrificet.* Antè quem Plinius nepos Epiſt.20.lib.6. ſimiliter ſcripſerat: *Præceſſerat per multos dies tremor terræ formidoloſus.* Vt ambo hi celeberrimi Scriptores pro indicijs iam affuturi incendij notent, quando terra mōtis tremere, ac fremere incipit, & licet Plinius, de ſonis, bombis, & mugitibus nō loquatur, fortaſſe tamen eos innuit ſub formidoloſis terræ motibus. Atqui eos non tacet Dio, qui intrà Veſuuij cauernas tonitrua, ſupra terram verò mugitus tam ingentes, & ſonoros editos fuiſſe narrat antè eius flagrantiam, vt vel à Capuanis audirentur. Sic & Fazelus notat aliquandò Aetnæ incendia præindicata eſſe ab huiuſmodi clangoribus, atque fremitibus, quales per totam Siciliam auditi fuerunt anno 1537. per 12. dies, quibus ex abrupta voragine reiectæ flammæ ſuperuenere. Quæ ergò in Veſuuio ſuoptè genio flammiuomo terræmotum præindicant, eadem breui eum arſurum eſſe ſignificant. Hodiè tamen ſigna hæc ab aliquibus, vt dixi, obſeruata, temerèq. neglecta, & nimis obſcura pleriſq. fuere, & nimiùm vicina flagrori, cuius propterea repentè ingruentis impetum, funeſtaſq. plagas effugere, aut præcauere multi non potuerunt. Symptomata, quæ pro ſignis ſunt apud Medicos, tam Veſuuij, quàm alterius cuiuslibet loci tremorem, & ardorem concomitari, & ſubſequi ſolita, quæ ob id ad Pathognomonica, & Epiphœnomena referri quodammodo poſſunt, perquammulta litteris, relationibus, & tractatibus editis hodie (ſicut & olim apud Hiſtoricos, qui de antiquioribus egere incendijs) annotata inueniuntur, præſertim fumoſarum nubium, ignium, & flammarum eruptio, cinerum, arenarum, & la-

Ex Caſsiodoro, & Plinio nepote.

Signa partim Pathognomonica, partim Epiphœnomena.

pidum multiformium, nec non aquarum feruentium euomitio; ad quæ tot ædificiorum, imò integrorum Oppidorum demolitio, tot hominum interitus, & brutarum quoque animantium, sicut deniq. fertilissimorum locorum calamitosa strages; Quæ omnia & singula cũ à me fuerint superiùs non semel commemorata, iterum hoc in loco decantanda minimè sunt, proindèq. ad Prognostica propriè dicta breuiter percurrenda descendo: Si priùs coronidis loco addidero, in serie horum signorum, illa quoque prætermittenda non esse, quæ malum indicent, vel protopathicè, vel sympathicè factum, præsertim quia non desunt, qui scriptis mandarunt, Vesuuianum hoc sympathicum prorsùs esse, & aliunde monti communicatum; sed horum opinio redarguitur consideratione medica. Quotiescunq. enim pars aliqua consensus nomine laborat, semper anteire solent signa particulæ primariò laborantis, quæ vbi sanata est, illicò pars in consensum tracta incolumis apparet; Verùm in hoc casu contrarium cernimus, quia statim in Vesuuio obortus est, nocte solùm antecedente magna in eo facta perturbatione, iuxtà illud fortasse; *Nox, quæ accessionem antecedit, grauior:* nec antè, vel pòst vlla tanti mali signa obseruata fuerunt in circumsitis, & vicinis locis flagrare alioquin solitis, quales sunt Aenaria Insula, Cumæ, & Puteoli.

Redarguitur opinio existimantium malum hoc in Vesuuio sympathicum esse, cum idiopathicum sit.

Quę signa Medicis indicent morbum, vel idiopathicũ, vel sympathicum esse.

De Prognostico, in quo antè cętera ostenditur, quot & quænam in eo Medici contemplentur; & deindè quomodo Vesuuiano morbo, laxa quadam similitudine, adaptari possint. Quomodò sit intelligendus Hippocrates, vbi signa peptica ait securitatem, & crisis celeritatem indicare, & ex altera parte damnare ea videtur, si statim à morbi initio appareant. Vtrùm

in acutis morbis temporis consideratio desumenda sit ab Historia dierum, aut morbi Prosthesi, ex Hippocratis, & Galeni doctrina. Quæsita duo soluuntur, alterum quandiù soleant perdurare terræ motus, alterum, an, iuxtà Aristotelis mentem, quadragesima dies pro termino eis præfigi debeat. Morbi tam acuti, quàm chronici, quot, & quibusnam modis soluantur: Et qualium acutorum more Vesuuianus iudicatus sit. An recidiua timeri possit, & hæc Vesuuiana perturbatio, maiora, ac sæuiora adhùc mala impendentia portendat. Quænam Astrologia sit vtilis in Medicina, & quænam passim tam ab Ethnicis, quàm Sacris Scriptoribus damnetur.

CAP. XIV.

IN Prognosi morborum tria in primis soliti sunt Medici rimari. I. Euentum, siue bonum, siue malum. II. Tempus, quo id euenturum est, breue ne, an lõgum futurum sit. III. Modum, per quem morbus, vtrumuis finem sortiatur, ad exitum veniet. Quæ triplex cognitio, & ad Medici eudoxiam quàmmaxime facit, & ægrotorum commodo, ac saluti acquirendæ non parùm conducit, pro auxilijs ritè, atque ex methodo instituendis, præsertim verò, pro victus ratione, ne fiat in ea error, qui sæpè ægris exitio est magis, quàm morbi qualitas. Primum autem assequuntur potissimùm, comparando vires cum morbo, quia vbi illæ, nempè animalis, naturalis, & vitalis, robustæ apparent ex proprijs functionibus, vt cerebri motricibus, sensitricibus, atque principibus appellatis rectè se habentibus, iecinoris, ac venosi generis, ex coctionibus benè actis,

Quænam Medici in præsagiendo considerent.

Comparatio virium animalium, naturaliũ, & vitaliũ cum morbo, vt fieri debeat tam ad bonũ, quàm malũ euentũ indagandum.

actis, exeuntibus non adeò à naturæ consueto immutatis, cum appetentia, nam & hæc ad naturale munus pertinet; ac denique cordis, ex pulsibus ad carpos magnis, & firmis, parùm crebris, & frequentibus, nec ità inæqualibus, sicut ex calore ab eo in pectus, ac totum corpus dissеminato non multùm acri, & molesto; Et ex altera parte offertur morbus non adeò magnus, ex obseruatione mitigationis accidentium eius, seu de censu sint eorum, quæ morbum ipsum perpetuò ad finem vsque concomitantur, siue quæ posteà superuenire solent, mali magnitudinem, ac prauitatem attestantia, ex horum simul comparatione, & intimo examine inita coniectura artificiosa, fęlicem euentũ habiturum esse morbum pronunciant; contrà, si tres illæ nostri corporis gubernatrices virtutes in dies magis pati, ac imbecilliores in inditis muneribus, & assignatis organis, effici videantur, intereà temporis morbo, cum suis satellitibus, inualescente, ac virium robur, & arces fortiter oppugnante, calamitosum, ac funestum exitum instare præsagiunt. An hæc autem prognosticandi ratio in Vesuuiano morbo locum habet? Cum de corpore agatur inanimi, quodq. ab infallibili tantùm vocata intelligentia, sicut cæteri montes, regitur, equidem non video quomodo talis præsagitio illi possit adaptari; Vniuersè tamen, & laxa quadam similitudine dici poterat vel per initia tremoris, & incendij, tum monti ipsi impendere diminutionem, tot suæ molis partibus exedendis, & per ardentissimum calorem cunctis eius humoribus absumendis, ac dissipandis, vt hectica febri, post causonidem, laborantibus accidere cernitur, ideòq. eum in interioribus, & exterioribus partibus tam in magnitudine, quàm vigore indicibilem cladem subiturum, tum verò etiam infinita damna accolis, & propinquis, vt aliàs fecit, illaturum, tractis in consensum ob nimiam viciniam; quam Maro deplorat pro sua Patria nimis proxima Cremonæ, tametsi nostra hac ætate totum contigerit oppositum, quando Mantua præ nimia vici-

Prognosis ad Vesuuij malum.

vicinitate Cremonensibus tres acutissimos morbos communicauit, pestem, famem, bellum. Quoad secundum, nempè tempus, quæritant in eo Medici, & adhùc magis ægroti, nisi mens laboret, aut eorum affines, ac assistentes non consanguinei, velut Aulici, quo tempore morbus, seu fęliciter, seu infęliciter id euenturum sit, terminandus erit. Qua in re, præter supradictum examen ad virium tenorem, & morbi magnitudinem, aut paruitatem pertinens, ad peptica signa confugiunt, ducta è notis coctionis, vel cruditatis, quoniam quæ ostendunt pepasmum, & morbi securitatem, & crisis celeritatem præmonstrant diuino Seni 1. Epid. & Gal. passim. Quæ quidem signa quouis tempore apparentia, bona sunt, veluti, si nubecula in vrina quarto die appareat, septimo expectanda crisis est, lib. 4. Aph. 71. &, si ineunte Pleuritide expectoratum illicò cernatur, & appareat, prout apparere debet, morbum breuem futurum arguit; quippè si intrà quatriduum ptyelon apparet coctum, æger septimo die liberabitur. De quibus signis intelligi non debet Hippocr. quando sect. 2. lib. 1. Epidem. scripsit: *Quæ in melius decernunt, & iudicant, non statim apparere debent*. nam falsum doceret, sibiq. contradiceret, sed de illis criticis signis, quę apparere subindè solēt ad speciem veræ crisis affuturæ, quæ bona censenda non sunt, nisi primùm signa, quæ ad tempus apparent, præcesserint. Pro exemplo, si, inuadente, vel ineunte morbo, facies rubore suffusa cernatur, & marmarygæ adsint, malum; at si, post peptica signa, talia superuenerint, Hæmorrhagia iam iam crisin adferet. Quæ signa ad tempus apparentia, & è notis coctionis, vel cruditatis deprompta, illa sunt, quæ aut celerem, aut tardum in morbis præsertim febrilibus motum adaperiunt, vt inde Medici non in mera, ac simplici, sed Dogmatica praxi versati facilè colligant, vtrum morbus in 4. 7. 11. 14. 20. & vlteriùs finem inuenturus sit, nec ne; facta hac consideratione non cuilibet medicinam factitanti manifesta; nempè, dierum numerum non tam ad histo-

Tempus quo terminandus morbus est quomodo dignoscatur.

Signa peptica.

Hipp. locus Epidem. declaratur.

historiam morbi, quàm ad prosthesin, seu excandescentiam esse referendum; ad quam qui primùm languere morbus videbatur, exiguos pòst dies in acumen, & vehementiam explendescit. Quæ vehementia interdùm prima die exilit, nonnunquam quarto, aliquandò septimo. Vnde fit, vt quidam morbi decimo septimo die ad crisin veniant, alij vigesimo, immaculato persistente Hipp. Aphorismo 23. sect. 2. *Acuti morbi intrà quatordecim dies iudicantur*. Quare, si morbus admodùm peracutus fuerit, tertio, vel quarto die iudicabitur, si peracutus solùm, aut quinto, aut septimo crisin subibit. Verùm si acutus simpliciter sit, &, si ab initio morbi, vehementia quædam adsit, is decimoquarto iudicabitur; Quòd si is vsque ad quartum diem modestè afflixerit, ac dein acerbiùs, finem decimoseptimo inueniet; sin repserit absque acutie ad septimum vsque diem, ac tunc cęperit vis eius emicare, is ad vigesimam prouehetur. Si verò acerbior aliquantulùm præcesserit acutus per initia morbus, vndecimo die iudicari poterit, vel etiam nono. Ideò collineanda semper mens est ad magnitudinem morbi, & motum eius; *Nullus* etenim *morbus est, qui*, vt Gal. ait in Comm. citati Aphorismi, *cùm primùm inuasit, celeriter mouetur, decimum quartum diem superauit*. Quippè vltrà hunc terminum natura illam acerbam vexationem pati nequit; sed si se remiserit, excurrit longiùs, quoniam, de eiusdem Gal. mente, sunt quidam morbi, qui inęquali filo mouentur, qui scilicet diebus quibusdam nimis vrgent, sed mox eam pressuram exuunt. Quorum quidem morborum exempla, & historiæ plures leguntur in Epidemijs, quarum nonnullas superiùs notaui, dum febres memorabam reuersiuas, quæ post primum continuatum impetum, vel vsque ad decimum quartum diem, dein sæuitiem ad tempus deponunt, quam nihilominus per interualla breuia rursùs induunt, ideòq. tali filo intercisò excurrunt ad centesimum, & centesimum vigesimum. Medici autem, qui solis intenti sunt morbi historiæ,

Quinam acuti morbi reuera decimā quartam non transcendūt.

ac dierum numero seipsos, & alios confundunt, longeq́. à recta prognoseos meta abscedunt, generalia tantùm quædam vel mulierculis notissima effutientes. Hanc me docuit doctrinam Galenus cùm alibi, tum in Comm. 3. sect. 1. Epid. ad historiam Erasini iuxtà Bocotæ torrentem habitantis, cui quintam diem supremam, & fatalem fuisse tradit Hipp. qui nihilominùs in Prognosticis prædixerat: *Febrium iudicationes eisdem numero diebus fiunt, & ex quibus homines euadunt, & ex quibus moriuntur: deinde, simplicissimas ac signis firmatas securissimis quarto die vel ante desinere; & mox dixit: Malignissimæ verò & quæ cum grauissimis signis fiunt, quarto die, vel ante perimunt.* Rationem verò reddens Galenus cur Erasinus, quanquam grauia omnia haberet, ad diem tamen quintum productus fuit, respondet, *quòd primo die mediocriter haberet. Scripsit siquidem in eo ad verbum ità: Primus dies quietus. Quintus itaque dies*, subdit Gal. *quo defunctus est, quartus est, si primum non connumeraueris*. Iuxtà hanc ergò considerationem, cum Vesuuianus morbus, dum primùm incepit, vehemens admodum esset, magnoq́. cum impetu, ac celerrimo motu ingrueret, ob ignitarum exhalationum, & minerarum variarum vnde illæ emergebant, multitudinem, atque turgentiam, argumento esse poterat magnitudinis, ac terroris eius, sed tantam vehementiam æquali acumine diù mansuram non esse, nisi intercalari, ac reuersiuo quodam modo; similitudine febrium illarum, quæ, cùm statim nascuntur, vehementissima inuehunt symptomata, sed, non multos post dies, tanta earum acuties mitescit, præsertim ab excretione aliqua facta, etiamsi symptomaticæ; rursùs tamen erumpentes, ac sæuientes; qua vicissitudine, & in quadragesimum vsque diem, imò aliquandò & in centesimum, ac vlteriùs proueuntur. Vnde terræ motus, incendiumq́. Vesuuij valdè acutorum morborum in morem primis diebus debacchari omnes obseruarunt, sed post septimam, & vndecimam

Erasini Ægroti historię consideratio.

Vesuuiani mali impetus intercalaris.

Similitudine quarundam febrium.

Ratio adducitur.

diem manifestæ remissionis signa dedere, multóq; magis post decimamquartam, & vigesimam, ob factam excretionem tot, ac tam diuersi generis excrementorum, quæ in adeò longa periodo intrà suas venas, cauitates, & viscera collegerat; Interim tamen denuò per vices excandescendo, quoties mineræ aliquot ibi ab antegresso incendio superstites, aut à fuliginibus igneis, aut ab alio empyreumate ibidem relicto inflammantur, & cum illis exhalationes, quæ post conceptum ardorem velocissimè cientur. Nam & hodie, nempè die 10. mensis Maij, adhùc fumos expirat, qui matutino, ac sereno tempore candidas æmulantur nubes, aliquantisper mugit, & tremulos edit motus, sed rarissimos. Quamobrem hac occasione soluendum est Quæsitum, de quo etiam nonnulla superiùs, quantum videlicet durare, aut protrahi terræ tremor soleat; & alterum huic annexum, an quadragesimus dies vltimus ei terminus præfigendus sit, vt visus est sentire Aristoteles. Ante omnia itaque dicerem, certam rei huic limitationem assignari non posse, probabiliter tamen, diù, aut breui terræ motum durare, prout magna, vel parua est exhalationum, ac internorum spirituum copia, & iuxtà faciliorem, aut difficiliorem ad exitum datam facultatem, nec non pro varia terræ dispositione nunc magis, nunc minùs ad eos progignendos apta, & idonea. Quare, cùm terræ motus, dum primùm sentitur, magnus, & vehemens est, copiosam exhalationem intrà viscera terræ adesse demonstrat, & proindè verisimiliter præsagiri potest, nō adeò breui tempore cessaturum esse, imò sæpè, ac sæpiùs exhalationes intrà specus abditas, & iam commotas terram esse quassaturas. Quod quàm verum sit, patet clarissimè in Vesuuio, cuius terra post menses quinque, & vlteriùs imò etiam nūc tremere per vices non desinit, & è cuius crateribus fumorū quoque nubes assiduè eleuari videntur. Vnde censeo per plures adhùc menses, annosq́. fortasse etiā, tanti mali hodiè in Vesuuio editi indicia eiusmodi duratura esse, sed citrà inco-

Quæsitum; Quandiù soleat perdurare terremotus.
Aliud, An quadragesimus dies illi sit pro termino præfigendus cum Aristot.
Auctoris sensus, & solutio.
Iudicia præsentis incendij Vesuuiani non

incolarum eius detrimenta, & clades, cuiuſmodi ab initio passi ſunt, dico modeſtiſſimè, nec tam noxia foràs erũpente materia. Ità enim etiam Galenus 5. Meth. ſuo ſæculo fumos euidentes, & ſcintillantes ignes intrà Veſuuij profundum viſos fuiſſe, ac emicaſſe narrat, in quos pariter aeris illius teporem, ſiccitatem, ac ſalubritatem magna ex parte refert; id quod euenit poſt decantatiſſimum incendium T.Veſp. Imperio editum, aliaq. deinceps identidem, ſed valde minora, obſeruata, vti ſuprà ex Dione, Vitruuio, Plutarcho, & alijs oſtendimus. Vixit enim Gal. Romæ Traiani, Antonini, & Commodi ætatibus, quibus reliquiæ adhùc tam immanis, & horrifici incendij penitùs extinctæ non erant. Sed & in re hac decidenda difficillimum eſt iudicium, ideoq. dicamus cum Simone Portio; ***Nec ſciri aliter poſſe, niſi librata materia, qua ignis ille alitur.*** Loquitur enim de Puteolano incendio, quod à Veſuuiano præſenti vix differens erat. Ad ſecundarium Quæſitum de quadrageſima die terræ motui ab Ariſtotele præfixa reſponderim, hanc Philoſophi aſſertionem non eſſe æternæ veritatis, ſed, vt plurimùm, veluti ſunt Medicorum placita, & Aphoriſticæ Hippocratis ſententiæ. Vnde varij tremores terræ obſeruati ſunt intrà quadraginta dierum limitem, quod tempus Gal. poſtremum acutorum, ſed per decidentiam dictorum, principium verò chronicorum ſtatuit, finem inueniſſe, qualis inter cæteros fuit, qui anno DLVI. in Conſtantinopolitana Vrbe viguit; Verùmtamen ſi intrà huiuſmodi tempus non finiatur, perſeuerare quoque poterit in vnum, duos, vel tres etiam annos, prout ſcribit Auerroes ætate ſua accidiſſe Cordubæ, circà annum MDLII. Siquidem cum diſpoſita iam terra ſit ad nouam continuè producendam exhalationem, dum in intimis eius loculis portio quãtumuis exigua adeſt, hæc tanquam principium quoddam anteà iam commotum reliquas vicinas exhalationes facilè ad ſe ſe allicit, perindè ac æſtiuis diebus non ſemel videmus ad puſillam nubeculam in aere mo-

itá breui terminanda vnde Auctor colligat.

De quadrageſima die ab Ariſt. præfixa terræ motui, quid ſentiendum.

Cordubæ terræ tremor ætate Auerr. quandiù perdurarit.

mento temporis propinquos aduolare vapores, è quorum concursu, & coalitu mox paruulæ nubis corpus in immensam augetur molem, & peramplum Cæli spatium dicto citiùs occupat, omnesq. Solis radios obnubilat. Quod siquispiam à me quærat causam, quam subticet Aristoteles, cur tremor terræ vsque in quadragesimũ diem durare queat, imò in vnum, duos, ac plures annos, fortasse dici posset, id propterea euenire, quia, cum gignatur plerumque terræmotus, vt suprà ostendimus, in Autumno, & Vere, tanquam temporibus maximè idoneis ad pariendas exhalationes, cessetq. ille, vt plurimùm in Hyeme, ac Aestate, nisi cesset, vel desinat citò, imò sæpiùs ingruat, verisimile fit, exhalationem ipsam multo indigere tempore ad exitum, vt interim aliqua superueniat ex illis anni tempestatibus, quæ aut imbecilliores reddunt exhalationes, aut eas penitùs disijciunt, qui terminus quadraginta circiter dierum curriculo circumscribitur. Quandoquidem, si terræ motus suscitetur in Autumno, transactis quadraginta diebus, iam Hyems rigere incipit, qua tum frigora, tum humiditates præualent, à quibus infirmantur exhalationes; &, si verno tempore fiat, Aestatem ingredimur, à cuius calore gelu soluitur, & terræ meatus rarescunt, sicq. liberum foràs exeundi aditum exhalationibus præbet; Verùm si hoc post tempus perseueret, credendum est, tantam exhalationis copiam terræ subesse, quantam ventura Hyems, & Aestas dissipare, ac resoluere non valeant; vnde, pro exemplo, dum transitus fit ab Autumno, nec per totam Hyemem terræ motus cessat, Ver superuenit, quo facillimè noua generari potest materia, quæ impetum, ac violentum motum alterius, quæ inibi remansit, subsequens, in causa erit, vt continuus fiat, ac inualescat hac ratione tremor ad aliquot etiam annos. Considerent id obsecro nũc in Vesuuiano casu viri speculationi deditis magis, quàm sim ego. Quippè vel mense nuperrimè egresso, cui nomen Augustus, Vesuuius, & fumos densissimos, ac cineres egessit,

Responsum Auctoris ad numerum dierum 40.

An timendũ à præsentibus continuis, lõgisq. squalloribus.

ſit, imò & aquas copioſiſſimas, & frequentes etiamnum tremores non contemnendos patitur, faxitq. Deus, ne per finem Autumni, & initium Hyemis, rursùs deſæuiat, redintegratis viribus, adauctiſq. per id anni tempus exhalationibus, quæ in præſentibus tam continuis, longis, magniſq. ſiccitatibus, & aninemijs, intrà terræ fortaſſe ſpecus cohibitę sũt, nec forás efflantur, tẽpore magis congruo debacchaturæ, niſi, poſt Deum, ea, quæ mox afferam, ſubſidio affutura ſint. Poſtremò, quantum ad tertium, quod Medicos dicebam conſueuiſſe ad penſum adducere in Prognoſi, erat modus, quo morbi, vtrolibet euentu terminandi, iudicari ac ſolui ſolent. Sed ſciendum hoc in loco eſt, morbos duobus modis fęliciter terminari λύσει, aut κρίσει; chronici finiuntur λύσει, acuti κρίσει. Siquidem morbi longi ſoluuntur, aut cocta paulatim, aut vacuata, aut inſenſibiliter reſoluta materia, acuti verò iudicantur inſigni, & repentina aliqua euacuatione ſuperueniente, vt Hæmorrhagia, Diarrhœa, Sudore, Vomitu critico, lotijs vberibus, menſibus, hæmorrhoidibus; Aut aliò translata materia, nempè à parte nobili ad ignobilem, quæ criſis per abſceſſum, vel κατὰ μετάστασιν per translationem dicitur, ſicut illa κατὰ ἔκκρισιν per excretionem. Quæ per abſceſſum fit, criſis eſt imperfecta, nec morbum vndique ſoluit, imò nouus morbus tametſi leuior priori ſuccedit: optima & perfecta criſis eſt illa, quæ morbum planè tollit, & ſymptomata eius. Veſuuij tremor, & ardor verè acutorum morborum more à primo exortu progredi viſi ſunt, ideóq. Veſuuianus morbus vt acutus iudicatus eſt, & licet ſymptomatica potiùs criſis fuerit, ſtatim videlicet per initia apparens, attamen de illis ſymptomaticis fuiſſe cenſeri debet, quæ non omninò damnantur ab Hipp. quatenùs per eas morbificæ excluduntur, ac minorãtur materiæ. Quamobrem à tanta cinerum, arenarum, ſaxorum, & ignitorum laticum colluuie, intrà ſui immanis corporis vaſa, & viſcera in tam longa quiete, ac intermiſſione coaceruata, abundè

Tertiũ quod in morborũ Pręſagio expendũt Medici.

Acuti, & chronici morbi quomodo fęliciter ſoluantur.

Criſis per abſceſſum.

Per excretionem.

Quæ perfecta, aut imperfecta dicatur.

Veſuuianus morbus quomodo iudicatus fuerit.

dè nimis expiatus, ac exoneratus, nunc meliùs habet, nec, quoad intima, ità torquetur, vel vritur, cum prætereà ex vastissimo tum stomacho, tum ventre tot ructus, & crepitus teterrimi odoris sulphurei, nimirùm exhalationes, ac ventos excreuerit; Vnde, sicut suprà non temerè à me fuit id Vesuuiani mali genus Cholericæ dictæ Diathesi comparatum, ità nunc minimè dubitabo idem assimilare lapidosæ Diarrhœæ celebri apud Pedemontanum. In eo quidem symptomaticæ, imperfectæ, ac per decubitum factæ crisis damna, & incommoda enituerunt, quòd ab ignobiliori montis parte, qualis barathrum eius est, ad multò nobiliores, ac præstantiores, per metastasin, conuersa materia, omni praua qualitate infecta, loca tot exteriora amœnissima, ac floridissima depasta fuit, tot homines, tot bruta peremit, tot Vrbes, & Oppida diruit, ac deuastauit. O quàm verum hìc illud Auicennæ: *Rarò fit ab acutis, & pestiferis morbis euasio, citrà membri alicuius decurtationem*. An de recidiuatione verendum est? Si de proximè facienda sermo intelligitur, & de ea, qua morbus hic Vesuuianus ad pristinam sæuitiem, pristinumq. furorem, & acumen denuò his temporibus rediturus sit, ego quidem censeo inquilinos in vtramque aurem dormire posse, quia morbus ferè integrè iudicatus; per tot hiatus, & fauces, tot recrementorum generibus excreatis, & vi quoque ardoris interranei ad incinerationem mineris redactis; non negans aliquas subesse reliquias, à quibus præsentes fumi in sublime tolluntur, & nescio qui interdũ soni, ac bombi, imò etiam parui, & aliquãdo magni tremores ab exhalationibus nonnullis introclusis edũtur, sed meus sermo accipiẽdus de morbo, qui iterùm possit accolis negotiũ magnũ, & ærumnosũ facessere. Non enim id posse effici puto, tã larga facta vacuatione, ad quã symptomata fermè cuncta cessasse videmus, secus ac contigit Hermocrati apud Hipp. in Epid. qui vndecimo die apprimè leuatus fuit, sed frustrà, quippe nulla exclusio critica præcesserat; &, si quæ paruæ etiamnũ reli-

Vesuuianus morbus Diarrhœę lapidosę apud Pedemontanũ assimilatus.

Auicennę locus.

An timenda sit recidiuatio mali Vesuuiani.

Hermocrati apud Hipp. vndecima die subleuato quare morbus lethalis redijt.

reliquiæ supersunt, ad consummationem properant; quinimò non sine ratione speratur, tantæ morbi huius sæuitiei, & cladis periodicationem (si iterùm cum tempore reuertetur, quod auertat Deus; quando natura montis vel à prima sui conformatione ad hoc malum propensa est, & corporis passuri habilitas magnam in morborum generatione vim habet,) per valdè remotiora sæcula, quàm post Titi ætatem acciderit, longissimo interuallo apparituram, tum quia maxima minerarum internarum expurgatio, & consumptio facta hodie est, quarũ regeneratio, atque collectio, ad noui morbi magni, & perniciosi excitationem, nisi in tempore longissimo fieri non posse videtur, cum & in nostris corporibus verum plerumque sit Liuianum illud.

Vndenam Auctor coniectet periodicationem mali Vesuuiani in futurum nisi longissimo interuallo redire non posse.

Morbis defuncta corpora salubriora esse cæperunt.

Tum multò etiam magis, quòd hiatus ille in Vesuuij fastigio à tot sæculis, incendiorum, ac terræ motuum occasione factus, in amplissimam hodie voraginem (circuitus sex circiter milliaria) ampliùs adhùc fatiscens degenerauit, per cuius patentissimas fauces assiduè perspirant halitus illi, & spiritus interni, qui terræ motuum, & accensionis igniũ in terræ specubus, mineris sulphureis, bituminosis, & alijs infarctis, potissimæ sunt, ac principales causæ. Quoniam autem curiositas hominum eò etiam processit, vt ab hominibus extorquere contendat quæ suprà humanas vires, & suprà humanam sunt capacitatem, atque naturam, ideò hoc in loco discutiendum, quod ab omnibus quæritur; vtrum hæc Vesuuiana perturbatio tremoribus terræ ipsius montis, & incendio tam funestè propagata, deterius aliquid in communem, ac generalem perniciem portendat, præter tot illata damna incolis, & vicinis. Quod vbi absoluero, triplici quoque mandato paruero, quod apud Hipp. perstat in Epidemijs. *Dicito præterita*, *cognoscito præsentia*, *&* *prædicito futura*. Qua tamen in re quò me vertam nescio; Quippe si dixero, me distantissimè natum à Chaldæorum, & Aegyptiorum regione, quæ cum à Virgine

Vtrum tanta hodie in Vesuuio facta perturbatio deteriora adhuc portendat.

gine

Obiectiones aliquot diluuntur, quarũ prima est, quòd Astrologia Medico necessaria sit ad presagiũ.

gine regatur, atque Mercurio, idcircò progignit homines qui antecellunt cognitione mathematum, & obseruatione motuum cælestium, ac syderum apud Ptolemæum 2. Quadrip. statim obijcietur, Hippocratem in lib. de Aere, Aq. & Loc. & Gal. in lib. præsertim de Cris. & Decret. diebus magni admodum facere Astronomiam, Astrologiamue, dum ambo concludere videntur, magnam omninò partem ad benè medendũ eam conferre; & ad criticorum dierum intelligentiam, nec non multos inueniri Medicos sub Italo Cælo Astrologos fortasse magis, quàm Medicos. Quid si confugiam ad μαντείαν, idest, præsensionem, & scientiam rerum futurarum, quam Cicero lib. 1. de Diuinitat. inter homines versari affirmat, cuius regiam Plato in Timæo collocat in hepate, sed quàm rectè alibi discussum? Si ad Medicorum placita sola me recepero, obtrudet alter, medicam disciplinam nulli certæ demonstrationi, sed probabili tantùm inniti coniecturæ, proindeq. meritò in earum numero censeri, quas Plato in Philebo στοχαστικὰς nominat, quæ artificiali coniectura veritatem indagant. Verùm, si primam considero obiectionem, hanc dixerim, vel accipi de Astronomia vocata iudiciaria, vel de Astrologia propriè dicta; si de priori, ne verbum quidem; Ad quam sicut ad Necromantiam, à qua illa vix differt, cum spectare videantur vana iudicia, & præsagia futurarum rerum, & euentuum nescio quorundam bonorum, vel malorum, sunt flexa nimis, ambigua, & fallacia, iuxtà Delphica olim oracula illa notissima;

Secunda quòd in hominibus quædam sit prę-sagiendi vis.

Tertia, quòd Medicina ars sit coniecturalis.

Responsum ad primam.

Ibis, redibis non morieris in bello: Et
Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Sub quibus etiam nonnulla continentur, quæ aliqui hodiè à Vesuuiano incendio, ac terræ motu elicere conantur, vt posteris prædicent portentosa, ideò talia libens, volensq. omitto, præsertim quia à Sacris tum eloquuijs, tum edictis iampridem detestata, & prohibita sunt: Vnde in Esaia cap. 47. *Qui contemplabantur sydera, & supputabant menses,*

Astronomia detestata tam apud Sacros quàm profanos Auctores.

Apud Esaiam

menses, vt ex eis annuntiarent futura tibi, ecce facti sunt quasi stipula, igni combussit eos. De numero istorum fuere illi, quos Senatus Romanus, alioquin superstitionibus deditissimus, ex Vrbe pellendos decreuit, vt videre est apud Tacitum 2. Annal. & quos anteà vocauerat *genus hominum petentibus infidum, & sperantibus fallax.* Contra quos tot leges, & sanctiones Summ. Pontif. & Imperat. perstant, ac militant. Quorum libri insuper illi fuisse dicuntur, quos S.Lucas refert in Act. Apostol. igni combustos in Epheso à nonnullis, qui post D.Pauli prædicationem ad Christi fidem conuersi sunt, attestante D. Augustino in explicat. Psalmi 61. Si de Astrologia scientifica agricultoribus, nauigantibus, & Medicis necessaria, per quam status Planetarum, & Zodiaci signa addiscuntur, quatenùs malignos, ac pestilentes morbos nobis impertiri valent, nec non syderum quorundam proprietates, velut Arcturi, Pleiadum, & Caniculæ, quæ magnam in humoribus nostri corporis alterationem efficere solent, & per quam demùm Lunæ, ac Solis status agnoscuntur, vnde Galenus pro faciliori agnitione occasionis, quæ præceps nimis est, operationum Artis, cuiusmodi inprimis sunt pharmacorum exhibitio, & phlebotomiæ celebratio, dierum criticorum rationem mirabiliter venatur, contra opinionem Asclepiadis, & Celsi, qui vno potius, quàm altero die, fęlicius morbos terminari audenter negarunt, quibus subscribens Auerroes, *dies critici*, inquit, *Hippocratis tantùm auctoritate, & experientia nituntur, nulla firma, & solida ratione confirmati.* Si, inquam, de Astrologia propriè sumpta præsens accipiatur sermo, nihil ea ad prognosticandum Medicinæ conducit, quoniam hæc aliundè prognostica signa petit, & indagat, nēpè ab his, quæ ad initia huius Capituli significata fuerunt; Quapropter nec quæ talis scientia suppeditare signa posset ad id pręsagij genus enuntiandum nunc prosequi in animo est. Si de virtute prædicendi aliquibus hominibus, vel Ethnicorum testimonio

Apud Tacitū.

Apud Summos Pontif. ac Imperat.

Libri in Act. Apost. combustio.

Non item scientifica Astrologia.

De dierum criticorum vi mirabili ex Galeno contra Asclepiadem, Celsum, & Auerroem.

Responsū ad secundam.

concessa, quam nos Christiani tantùm agnoscimus in Sanctis viris diuino afflatis spiritu, hæc remotissimè à me distat, qui peccator sum, nec splendidum, aut nitidum, speculi instar, iecur habeo ad exprimendas imagines, iuxtà id quod autumabat Plato; quique insuper hebetis sum ingenij, obnubilatæq. mentis, si potiùs tanta virtus in cerebro vnà cum alijs principibus potentijs, prout Medici sensati Philosophi censent, collocanda sit; Quare absit à me tanto fastu inflari. Contentus ergò ero solùm tum medica, & meteorologica speculatione, tum Historicorum relatu, nullo tamen etiam pacto omittens quidquid Sacræ imperant, docentuè paginæ, idq. in subsequenti Capite, quod postremum erit meæ huius Exercitationis.

De eodem Prognostico, & Curatione simul, ac Præseruatione. Vbi anteà quæritur, an Vesuuianus casus sæuiora mala impendere præsignet, & quid Cometę præsagiant, ac Terrę motus, quomodoq. hi non signa solùm, sed & causę sint Pestilentię; & Aporiæ. Cuinam causę attribuenda sit Pestis illa, quę tempore Titi, post Vesuuianum incendium, Romanum Pop. tam acriter afflixit. Deinceps Scopi proponuntur in morbis presertim periodicis. Vesuuianum malum cur purgantia, & minorantia non admittat, vt nec alterantia, & epicerastica. Neapolitanis inuisum nomen est Minoratiui. Prophylactice in nobis quot bona prestare soleat, & an in Vesuuiano morbo periodico eadem efficere valeat. Vorago amplissimè hodie dilatata quomodò emissarij, aut fonticuli instar ab alijs imminentibus incendijs Vesuuium præcauere possit,

possit, & demùm quatuor proponuntur Antidota, humana tria, & vnum diuinum cæteris omnibus anteferendum.

CAP. XV.
& Vltimum.

VT itaque sermo continuetur, breuiq. absoluatur de Prognostico ad Vesuuianum casum spectante, quatenùs consideratio in eo sit, vtrum huiusmodi horrificus, calamitosus, & repentinus in eo, post sæcula, euentus grauiora etiamnum mala hominibus vniuersim, totius præsertim Italiæ, portendat, qualia sunt tria decantatissima Pestis, Fames, Bellum, quibus iuremerito Tertullianus in lib. de Anima, & Voragines addit, cuncta vocans insolescentis generis humani tonsuram, quorum priora vniuersa penè Italia exiguò ante experta est, ac Pestis vestigia alicubi vsque hodiè impressa relicta sunt, vt contagij fomites nondum prorsùs disiecti, extinctiuè sint, postremum verò, paucis retrò annis Apulia, ad Vrbem S. Seueri appellatam, quæ, repentè facto terræ hiatu, cum magna hominum strage, ac ædificiorum ruina intrà profundas fauces absorpta fuit, calamitosè cognouit, nunc verò Campania in hoc parùm fœlix, in eius scilicet monte Vesuuio, ob talia infortunia, ac identidem repetita incendia, nihilòminus vbique locorum celebri, & apud Historicos, Geographos, & Poetas decantato, quàm ob sui amœnitatem, & fertilitatem, Cæliq. temperiem, ac vina suauissima, & generosa, quæ Lacrymas, & Græca nuncupant; vt igitur, inquam, Prognostico dicto finem imponam, primum quod occurrit, non ità sicco pede pertranseundum, Meteωron sit ignitum, seu Crinita stella eflatu dignæ magnitudinis, quæ vnà cum

Tonsura humani generis insolescentis quęnam sit apud Tertullianum.

Vorago in Apulia paucos ante annos facta.

Presagiũ ex stella Crinita supra Vesuuij fastigium.

incipiente morbo supra Vesuuij montis apices in sublimi per hebdomadam visa est, quando antiquissima opinio fuit, impressionem hanc aeream quantumuis è naturalibus causis obortam, mali tamen ominis esse, nobisq. pręmonstrare magnam in Mundi mole commotionem, & aliqua è notatis infortunijs humano generi impendere. Vnde Plinius genericè loquens lib. 2. cap. 25. *Terrificum*, ait, *magna ex parte sydus, ac non leuiter piatum; vt ciuili motu Octauio Consule, iterumq. Pompeij, & Cæsaris bello.* Et vates:

Cometę quidnam genericè portendant apud Plinium.

A Ioue fatales ad regna iniusta Cometæ.

Apud Poetã.

Ità censent multi in signum dari iam iam affuturæ mortis magnorum Principum. Quam rem expresè nos edocet D. Damascenus lib. 2. Fidei Orthod. cap. 7. dum inquit. *Existunt plerumque Cometæ summorum Principum extremum vitæ diem portendentes, qui Dei imperio certis temporibus conflantur, rursùsq. dilabuntur.* In quem sensum antè eum sic cecinerat Sibylla 3. Oracul.

D. Damascenum.

Et Sibyllam.

Sole sub occiduo vero, vocitata Cometa
Stella relucebit, gladij mortalibus index:
Et famis, & mortis, præclarorumq. virorum
Atque Ducum interitus magnorum, Nobiliumq.

Sed cum pręsens Meteωron speciatim suprà verticem tantùm Vesuuij iam ardescentis apparuerit, non sparsim, non vagè oberrans, certè nisi inter effectus magnarum, multarumq. exhalationum è cauitatibus eius in aerem elatarum referri non potest, absque eo quòd grauius quidpiam portendat, quàm tota simul Vesuuiana commotio, quæ exhalationes vbi dissolui, ac minui cœperunt, & ipsa impressio ob subtractionem materiei, è qua oriunda erat, resoluta disparuit, tanquam vmbra quæ corpus insequitur, & pathognomonicum symptoma potius, quàm vel prodromon signum infaustum, vel aliarum impendentium calamitatum index. Id quod congruit omninò cum Aristotelicis axiomatis, per quæ scimus Cometarum generationem attribuen-

Cometa Vesuuij cur non videatur fęuiora portendere.

Ex Aristotelis doctrina quid Come-

buendam esse spiritibus, vel exhalationibus vi caloris tam solaris, quàm terreni productis, & dein attractis, ac emissis in sublimiorem aeris regionem, vbi intensiori calore incenduntur, proindèq. varia Cometarum genera formantur; Vnde si quid valent ad præsagiendi rationem, cum Peripateticis asserendum est, ventos ab ijs graues, æstusq. significari. Sed quidni etiam significare valent procellas, siccitatem, sterilitatem, terræ motus, aeris intemperiem, quam siccus, & venenosus halitus inducit, maximè verò iuxtà vliginosa, & palustria loca, in quibus humor ad fæcem exhaustus computrescit? Quidni similiter morbos potissimùm calidos, & siccos, & ex consequenti acutos, ac perniciosos? Sed, vt dicebam, ad alios potiùs Cometas, quorum causæ ab ampliori terræ spatio eleuantur, quàm ad hunc, de quo agitur, paruo nimis loco, suprà Vesuuij fastigium, circumscriptum talia pertinere videntur, sic tamen, vt nec istum referre aureum sæculum existimem. Verùm, quid de terræ motibus tot horrificis, ac magnisonis, qui eodemmet tempore alibi quoque, vel vltrà terminum à Seneca præfixum, editi sunt. Originem quidem primariam sortiebantur ab immensis exhalationibus intrà cauernas profundissimas, & cum alijs cæterorum quorundam montium continuatas inclusis, impetuosèq. motis tam præantiperistasi, quàm præ igne foràs exilire nitente, sed consensus nomine superiùs explicato aliquot pariter loca longè semota tremulo motu diuexarunt, vt non ità intrà angustos Vesuuij montis limites restringendi sint hi terræ tremores, quemadmodum Cometæ apparitio. Modò peruulgatum est apud omnes, quòd terræ motus, præsertim qui parui non sint, & breues, sed magni, continui, vel crebrò sæuientes, & in pluribus terræ partibus, grauissimas clades minitentur, eosq. varia infortunia subsequantur. Quare Plinius lib. 2. cap. 84. ità loquitur: *Neque verò simplex malum, aut in ipso tantùm mota periculum est, sed par, aut maius ostentum. Numquam Vrbs Roma tremuit, vt*

non

tę presagiant quomodo fiant.

An significẽt malam aeris intẽperiem.

An morbos calidos, & acutos.

Pręsagiũ ex terrę motibus.

Apud Sarmatas per idem ferè anni tẽpus abruptus mons globos ferreos, similes ijs quibus intra bombardas vtimur, & cruentatas aquas egessit, cui portento nõ valdè post Regis eorũ mors successit.

Quinam terręmotus mali ominis sint.

Plinij locus de Roma tremescente.

non futuri alicuius id prænuncium esset. Quibus verbis, licet non æternæ veritatis, fidem nihilominùs addũt exempla varia, quæ colliguntur ab historicis, per quæ abundè nimis constat, terræ motibus superuenire plerumque solere, si non omnes, saltem aliquas è prædictis calamitatibus, quæ sub nomine tonsuræ insolescentis generis humani cõprehendit Tertullianus. Tremoribus, & flagrantiæ Vesuuij anno 81. à Christi Natiu. sub Tito Imperatore Pestilentia grauissima successit, vt Suetonius, ac Dio in eius vita recolunt. *Quanquam*, inquit Dio, *hic cinis non attulit statim grauia incommoda Populo Romano; tamen posteà morbum pestilentem, & grauem immisit*. Sicut post alterum incendium, quod fuit ann. 202. sub Seuero magna facta fuit rerum mutatio, de qua Xiphil. in Seu. *Ex ijs, quæ in Vesuuio acciderunt, quandam rerum commutationem fore, quæ in Plautiano paulò post est facta*. Insuper à terræ motibus Nerone, Traiano, alijsq́. regnantibus editis, nigro signandæ lapillo epidemiæ, & aliæ calamitates insurrexere, quas nũc si velim sigillatim commemorare non dubito, quin tædio Lectori forent, cui sat erit non ignorare terræ motui, & incendio Ferrariensi, de quo alibi dictum est, & piscium Padi mortalitatem, & in locis Venetæ dictionis à Ferrariæ tractu parum distantibus, Venetijsq́. ipsis tandem pestiferum morbum accessisse, necnon anno CLXXXI. mense Martio in Romana regione terræ tremorem magnis cum mugitibus desæuisse, quasi in signum subsecuturæ afflictionis, quæ non ità post propalata fuit, dum Henricus Imperator in Italiam venit, Gregorium Septimum, Hildebrandum anteà vocatum è sede deturbaturus, quòd eius impios mores, & simoniam ferre nollet S. Pontifex, imò acta eius anathematicis censuris damnasset; Vnde varijs magnisq́. cladibus, & iniurijs Pontificem afflixit, cogens etiam tam sublimi dignitati renuntiare, erigens Antipapam Gibertum Parmensem Archiepiscopum Rauennatem, qui Clemens vocatus fuit, sed, vt illegitimè creatus vndique explo-

Post alios Vesuuianos tremores, & ardores quę mala superuenerint.

Post terręmotũ, & incendium Ferrariense, de quo suprà.

Post terręmotum Romę editũ anno CLXXXI. quid noui acciderit.

explosus euanuit, perseuerante Gregorio, cui defuncto successit Victor. III. montis Cassini Abbas, qui statim contra Henricum Gregorij partes suscepit. In his autem commotionibus tradit Platina, quasdam Vrbes adeò concussas fuisse, vt Syracusis maior Basilica corruens, dum vesperæ celebrarentur, omnes qui tum in templo aderant, contriuerit, duobus tantùm diuinitùs superstitibus, Diacono scilicet, & Subdiacono. Sed omnipotens ille Deus, qui nos creauit, simulq. redemit, & Sacerdotalem hanc, & regiam Vrbem, tanquam nouam Sion in sedem sacrosanctæ suæ Religionis elegit, vt à Peste, Fame, Bello, Terræ motibus, Incendijs, Voraginibusq. in tot hodie Italiæ locis miserè obseruatis, immunem præseruauit, ità confidenti animo sperandum, intercessione presertim Beatorum Apostolorum suorum, ac Martyrum Petri, & Pauli Patronorum, ab omni impendente, & è lóginquo à sacrilegis minitato infortunio illæsam penitùs, intactamq. permansuram esse, ne taceam, quòd Roma, vt suprà vberiùs demonstraui, ne minimum quidem signum sensit hodie eorum, quæ in Campania facta sunt; secus ac euenerit tempore Titi, sub quo terræ motus, cinerum, & fumorum, ac fauillarum nubes cum euidentiori admodum, & maiori periculo experta est, quàm in præsenti Neapolis, vbi valdè maior metus fuit periculo, & damno, si priuati aliqui excipiantur, qui in montis ambitu omni ex latere, & ad mare potissimũ, Vrbes, Oppida, Hospitia, & amenissimos agros possidebant. Dio siquidem in Tito scribit, alios existimasse Mundum in Chaos redigi, aut igni consumi, Solem in terram cadere, & hanc in Cælum ascendere, &c. Necesse est enim affirmare, tunc Romanum hoc territorium vndequaque fuisse concussum, subterraneis cauernis interiectis consentientibus, quarum labyrintheos gyros, atque mæandros nostra hac præcipuè ætate Deus ipse inuios esse iussit, ac obturauit, iter, motumq. exhalationibus concitatis intercludens, atque retardans. Quàm verò apud antiquissimos popu-

Terremotus Syracusis.

Roma cur hodie immunis à tot flagellis.

populus recepta, & obfirmata foret opinio, quòd tremores terræ portentosa euenta præostenderent, cùm apud alios passim legi, tum maximè apud Iosephum, & Antiq. Iudaic. lib. 15. cap. 7. & de Bello Iud. lib. 1. cap. 14. Vbi narrat, quòd cum veris initio terra mota, infinita quidem pecorum, triginta (Cap. verò Antiquit. citato decem habet) hominum millia peremisset, exercitus verò mansisset incolumis, quoniam sub diuo, vbi ædificia non erant, quorum ruinis obrui possent, tendebat, & hic non tam magnitudine, & assiduitate calamitatum fractus, quàm huiusmodi terræmotibus tanquam supremam minitantibus ruinam exterritus, bellum cum Arabibus hostibus iterum subire nollet, Herodes eum ad repugnandum incitare tentans, inter cætera, quæ ad persuadendum nouum conflictum exercitui profert, est; *Ego enim tantum abest, vt hostes post terræ motum pertimescam, quod magis putauerim Deum hanc illis illecebram immisisse, vt pœnas redderent. Non enim tantùm manu armisq. freti, quantum nostris calamitatibus, veniunt:* & non ità post subiungit; *Nihil autem vos terreat rerum anima carentium metus; neque arbitremini terræ concussionem, alicuius futuræ cladis esse portentum. Naturalia namque sunt elementorum quoque vitia; nullumq. damnum inferunt, nisi quod ex ipsis euenerit; nam pestilentiæ quidem, vel famis, vel terræ motus signum tardante malo fortasse præcesserit: ipsa verò cum extiterint, sui magnitudine finiuntur.* Hactenùs Herodes, cuius verba è diametro opposita sunt Plinianis, & multis decursu temporum factis obseruationibus, inter quas recolenda quoque est altera, cuius idem Plinius meminit lib. 3. cap. 106. & ad incendium redigitur: *Nymphæi crater dira Apolloniatis suis portendit, vt Theopompus tradidit. Augetur imbribus, egeritq. bitumen, &c.* Addamus, quòd terræ motus iuremeritò dicuntur, olimq. non semèl obseruati sunt, præsignare, inter alias clades, pestiferam labem; quoniam cum hæc subindè oriatur ex

aereis

Opinio quòd terrę motus portentosa euenta ostendāt antiquissima fuit. Apud Iosephum Hebręum.

Apud eũdem Herodis verba dissuadentia exercitũ à timore futurę cladis post terręmotum.

Contraria Plinianis, & experientię.

Terręmotus quomodo Pestilentiam portendant, imò efficiāt.

aereis miasmatis corruptis, intùsq. inspiratis, quæ à terræ specubus vliginosis, vnàq. mineralibus varijs, & alijs venenatis materijs longo nimis tempore intrà eam cohibitis, in sublime vi Solis eleuata aeri ipsi impertiuntur; occasione verò terræ motuum dehiscens terra huiusmodi tetros halitus afflando aereum corpus vitiet, atque corrumpat, ideò, non vt signum simpliciter, ex mera obseruatione, sed tanquã etiam Pestis causa, saltem sine qua non, habendi à nobis sunt terræ tremores. Tales autem perspiratus, seu exhalationes repētè ex aliquo terræ loco calido, humidoq. & maximè cõcluso emissas, pestiferis, & quæ latè postmodũ contagia agant, Epidemijs originem præbere, ac subministrare, tam notum est apud omnes quàm quod notissimum; vnde & exhalatio illa, quæ genita est in puteis, ac foueis, quæ diù clausæ, ac obturatæ manserunt, in cor attracta eorum, qui primò loca eiusdem subintrant, statim eos enectat, ac iugulat veneni in morem. De qua re abundè à me agitur in Prouidentia Methodica ad Luem pestiferam prȩcauendam, cuius pars vocata Practica iam tres circiter annos in lucem edita fuit. Cum itaque terræ motus concussione valida, & continua, aut crebrò iterata terram ipsam findat, sicq. aditus recludatur tetris, pessimisq. halitibus, quorum inspiratione tum spiritus, tum humores nostri corporis inficiuntur, ac commaculantur, idcircò post eos morbi contagiosi non semel insurrexerunt. An hinc ergò dededucendum, Pestem affuturam, ac miseris accolis, vicinisq. populis nouam hanc aliam stragem impendere? Nequaquam, vt reor, quia iam aliquod futuræ tempestatis signum præberent febres mali moris, in regione illa, in qua non obseruantur, cum tamen vernum tempus sit, in quo morbi similes, citrà etiam talem occasionem, pullulare consueuerunt, imò nunc iam Aestas labi incipiat, tametsi calores, & siccitates persistant. Præterea consideratio facta à nonnullis eruditis viris de Igne, Sulphure, Nitro, & pyrio puluere ex his concinnari solito, quæ cuncta, & sin-

An ex terrȩ motibus Vesuuij accolis, & vicinis Pestis prȩsagiẽda.

gula ad fugandam Pestem maximè aeream, & ad contagiosa miasmata disijcienda, ac extinguenda mirum in modum valent, mihi non nisi arridere potest, propter rationes multas, & auctoritates, quas in Practica parte mox citata, & in Consil. Prophylactico anno præterito diuulgato attuli; Verùm eædem rationes militabant etiam tempore terræ motionis, & flagrantiæ sub Tito, & nihilominùs tam atrox non ità post irrepsit contagiosa lues, cuius origo accepta refertur potiùs cadaueribus insepultis, è quorum fœtidissimo halitu contaminatus aer pestilentes morbos immisit, iuxtà illud Ouidij:

Dubitatio.

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ, &c.

Pestilentię ex cadaueribus insepultis cùm apud alios multos, tum apud Iosephum Iudęum.

Cuiusmodi Pestilentiæ infinitæ ab alijs, & à me referuntur in prænotatis opusculis, quibus ad id summoperè confirmandum liceat mihi nunc adijcere, quod narrat Iosephus de Bello Iud. lib. 4. cap. vlt. occasione naualis prælij in Genesar lacu, quem Iordanes intersecat, per Vespasianum cum Iudæis peracti: *Mixtum*, ille inquit, *sanguinem, plenumq. cadaueribus cerneres totum lacum; nullus enim saluus euasit. Acerbus autem secutis diebus odor illam regionem oppressit, & facies. nam littora quidem naufragijs simul plena, & corporibus tumidis; calescentes autem, ac tabefacti mortui Cæli tractum corrumpebant, vt non Iudæis solùm ille casus miserabilis videretur, verùm etiam auctoribus ipsis esset inuisus*. Quæ historica notatio corroboratur doctrina Galeni 1. de Differ. febr. cap. 4. & eorum omnium, qui de Peste commentaria ediderunt. Vnde libenter & ego concesserim ab hac ipsa causa infici vsque adeò posse aerem, vt pestilens, contagiosusq. factus epidemicos morbos longè, latèq. propagare valeat, sed an que Romanos afflixit Pestilentia, post Vesuuianum motum, atque flagrorem tempore Titi, huic causæ assignanda sit, non equidem ausim promptè asserere, tum quia Romæ, & in locis ad eam sitis nulla subsequuta mortalitas effatu saltem digna fuit, vt inde inhumata cadauera Romanũ Cęlum

Apud Gal. & alios.

An Pestilentia post Vesuuianũ malum tempore Titi Romanã Vrbem vsq. adeò vexans tali causę sit assignanda.

conta-

contaminare potuerint. Si enim talis adfuiſſet euidens cõtagionis occaſio, certè Hiſtorici ſilentio eam non inuoluiſſent; quinimò Dionis verba à me quoque ſuperiùs allata, contrarium penitùs ſonant, vbi infecti, peſtiferiq. aeris apud Romanos cauſam omnem tribuit cineribus, qui à Veſuuio monte ad hoc Cælum tunc temporis auolarunt: *Quamquam hic cinis non attulit ſtatim grauia incommoda Pop. Romano; tamen poſteà peſtilentem, & grauem morbum immiſit*. Quemadmodum itaque variam illam, & multiplicem materiam ex cineribus, ac portionibus Sulphuris, Bituminis, Nitri, & aliorum conſimilium vnà cum terra, aere, & aqua pluuia permiſtis, concinnatam, idoneam iudicamus omnes ad impinguandam terram, tanquam mixtum quoddam calidum, & humidum, ac veluti fimum iumentorum, quo ſtercorantur campi, & horti; vnde Franciſcus Schott. Itin. Italiæ lib. 3. de Veſuuio loquens ait: *Itaque cineres eius flammis diſperſi per agros proximos; item ſaxa, glebæq. ignibus excoctæ, pluuijs diſſolutæ mirifica ſtercoratione lætificant, & fœcundant omnia*. Ità eadem etiam, quæ tetrũ valdè, ſpiritibuſq. tam animalibus, quàm vitalibus infenſum, nedum ingratum, efflat odorem, niſi ardore Solis ad incinerationem, ac vltimum ſqualorem redigatur, non adeò certos, & cõfidentes faciet inquilinos, quin per Aeſtatem proximam, & Autumnũ febribus ſaltem mali moris, ac peſtilentibus ſine peſte vocatis à Galeno, corripi, diuexariq. poſſint; Qui timor à me tantùm incutitur ad prudentiam, & cautos reddendos accolas, propinquos, & cæteros, in quorum agros, & locos huiuſmodi cineres mineralibus qualitatibus infectos, quaſi paleas leuiſſimas Veſuuius è patentiſſimo ore deſpuit, non ſpreto exemplo brutarum animantium, quarum ingens numerus in Apulia menſibus Decembri, ac Ianuario perijt, à paſtu herbarum ſuper quas Veſuuiani cineres ceciderant, à quibus pariter multum vereor, ne arborum, ac ſegetum, quas tetigere, prouentus aliquot ſaltem annorum omninò præ-

Dionis de illius Peſtilentię origine opinio.

Medica ratione corroborata.

Ab exemplo brutorũ animalium quę à paſtu herbarũ ſuper quas cineres cecidere mortua ſunt.

repti sint, vnde hac ipsa die, quæ est 27. Maij, ex epistola mihi Nola missa, & die 23. scripta huius mensis, accepi herbarum pascua pro boum nutricatu vbicumque illo in territorio desiderari, ac frustrà quæri. Loca etenim vbi Nitrum, & Sal vigent, præcipuè verò Nitrum, sterilia vbique sunt. Vnde cum fluenta ignita Nitro, & Ammoniaco Sale referta, non modò Bitumine, & Sulphure, per varios canales vniuersam Vesuuij molem extrinsecùs alluerint, in qua tot amæna, & fertilia loca iucundissimo aspectu virescebant, nescio quomodo hæc aliquandiù glabra, & sterilia permansura non sint, quando Virgilius 2. Georg. ità hac de re canit:

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infęlix, ea nec mansuescit arando.
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat.

Nitrosas aquas ad raphanos, & brassicas multum conferre ex Plinio, & Dalecampio.

In quo tamen tristi nuntio liceat, pro leuamine, contrarium, ac lætum aliud notare ex Plinio, cuius testimonio fidem num addat hodierna obseruatio, iudicent qui præsentes sunt; Inquit ergò lib. 31. cap. 10. *Ad raphanos vtuntur* (Nitrum intelligit) *Aegyptio: teneriores eos facit.* Seu potiùs, vt Dalecampius in suis Annotat. legit, *Ad brassicas. Illas enim viridiores facit, & teneriores, coctuq. faciliores; nec tantùm eas, sed & carnes, si apponantur. Plutarch. Quæst. 10. lib. 6. Sympos. Theophrast. cap. 14. lib. 6. Caus.* Insuper etiam obseruatum persæpe fuit, ad magnos & extensos terræ motus, ad quos dehiscens terra pessimas emittit foràs exhalationes, subsecutas sterilitates, & aporias, indeq. ex consequenti pestilentias, prout est in Gręcorum paroemia; λοιμὸς μετὰ λιμόν: *Pestis post Famem.* Faxit tamen Deus Omnipotens, & Misericors, qui solus, vel Mesuæi testimonio, omnes sanat languores, quique ab vlteriori strage, tempore quo incendium furebat, Neapolitanam Vrbem, Nolamq. adeò vicinam mirabiliter præseruauit, & cuius etiam beneficio, ac speciali gratia Roma, atque eius regio nulla hodie sensit incommoda ex ijs, quæ aliàs tem-

Vtrum terrę motus indicent Sterilitatem.

tempore Titi Vespasiani tam horrificè, imò (post subortam Pestem) tam calamitosè, & funestè experta fuit, vt hæc & alia portentosa signa, quæ deteriora adhùc minitari videntur, ad conuersionem, & salutem animarum suscitatæ sint tantummodò, non in flagellum populi sui electi, quem creauit, atque redemit. Hæc de Prognostico; post cuius examen, ad indicationes, aut scopos nuncupatos curatiuos ab affectus, & malè affecti corporis natura, sede affecta, & causis diligenter anteà perlustratis elicitos Medici Dogmatici, quales Hippocratici sunt, & Galenici, descendunt, & mox ad præsidiorum materias, quando tamen morbi, vel curam nõ respuũt, & pro desperatis relinquendi nõ sũt, vel eorundem sæuities demulceri quoquopacto potest, vt si ab ægrotorum corporibus depelli nequeant, saltem mitefacti ægros ipsos longiorem vitam leui cum molestia traducere permittant. Ad hæc in morbis, quos vocant periodicos, cuiusmodi suprà dixi Epilepsiã esse, Asthma, Arthritidemq́. duplex tempus considerant, paroxysmi vnum, & interualli alterum, quippe in illo morbi symptomata præsentia tollere, vel sedare contendunt, in hoc verò causas auerruncare student, vt sit mixta quædam operatio, sed seorsum facta, nempè ex therapeutice, ac prophylactice constans, illa præsentem, hæc absentem adhuc morbum collimante. Dum ergò sæuit, vrgetq́. morbus in Vesuuio quid agendum? Ante omnia censeo quiescendum prorsùs esse à purgatione, etiamsi corpus foret animatum, quod Cholera, aut febrili morbo acuto torqueretur; Siquidem ait Hippocr. sect. 1. Aphor. 24. *In morbis acutis rarò, ac ineunte morbo (si id faciendum) pharmaciæ est locus; Atque id, adhibito ante singulari iudicio faciendum.* Quippe quia acuti morbi pharmacorum calidorum, cuiusmodi præsertim erant Hipp. ætate vsitata, vi ingrauescunt, & quòd illi ferè excretione critica finiantur; vnde morbos acutos fermè omnes naturæ beneficio iudicari docet idem Hippocr. 6. Epid. 2. 9. quos propterea rarò purgatione

cura-

Scopi qui, & quando à Medicis Dogmaticis ante curationem considerentur.

In morbis periodicis duplicis temporis examinatio.

Curatio morbi Vesuuiani præsentis fieri ne possit per cathartica dicta medicamenta.

Cur non possit, tametsi animatum foret corpus, ex doctrina Hippocr.

curamus; nec non etiam, ne vires frangantur, febrilis calor augeatur, efferaq. materia in principem partem ruat. Si non euacuantibus proritanda est materia turgens, & eiusdem fluor ad exteriora, quæ in corpore Vesuuij nobiliora sunt, quàm intimiora, secus ac in nostro eueniat, euocari non debet; An placidiora propinanda, hypelata, & benedicta vocata, quorum specimen Hippocrates docere nos voluisse videtur, cùm lib. 4. de Reg. acut. in curatione Causonidis ad bilem acrem in ventriculo stabulantem expurgandam, timens Catharticorum, quibus tunc Medici vtebãtur, nimiũ feruorem, lac propinat, (quod tamen aliàs lib. Aph. 5. vniuersè damnat in febribus præsertim acutis) vel etiam, quod magis conueniens est, lactis serum. At huiuscemodi, leuia fortè nimis in tam vasto corpore, & profundo barathro, apta magis erunt cõmouere, agitareq. quàm integrè educere, humores, aut mineras. Licet siquidem nonnunquam per talia, sicut etiam per vomitoria, moliri vacuationem, quanquam per partem, aut ex se nobilem, aut, ex officio, vitæ necessariam, vel iam laborantem, ac malè affectam, vt in Cholera fit, ac Dysenteria, ad tollendam, extirpandamq. radicitus causam mali fautricem. Transitus enim prauorum humorum per huiusmodi loca, pharmacorũ vi attractorũ, momentaneus est, & maior vtique vtilitas ab eorũ subitaria purgatione oritur, quàm sit noxa ex defluxu per partes aut conspicuas, aut iam vitiatas. Sed neque hæc medendi ratio admittetur à furente Monstro, si inter locum, & locatum tanta inest cognatio, vt, quod vni displicet, alteri non placeat. Quippè Neapolitani omnes, parcant mihi obsecro, vnà cum suis alioquin eruditissimis Medicis, audita Minoratiui voce, horrent magis, & tremunt, quàm in hodiernis terræ motibus, & quando illis anteponuntur, ac propinantur Cathartica præualida. Et tamen rectissimè dictum à Marsilio Ficino in Argum. ad Phædonem, *Medici sapientes duplici vtuntur purgatione. Prima quidem leniendo. Secunda verò*

Vtrum per Minoratiua nuncupata.

Cur Hipp in Causonide lac propinet, quod alibi in febricitantibus damnat.

Cur interdũ liceat vacuare per partẽ affectam, aut vitę necessariam.

Quare nec per talia medicamina.

Neapolitani omnes quàm timeant Minoratiua, ab exẽplo quorundam Principum, quibus Auctor Venetijs medicinã fecit.

verò soluendo. Scientes neque satis esse lenire, neque tutum soluere antequam lenias. Nam, dum eram Venetijs, ac tempore Interdicti PAVLI V. conuenissent illùc vnà cum D. Francisco Comite de Castro (qui, annis præteritis, cognita humanarum rerum, & Aularum Mundi volubilitate, atque fallacia, optimam partem eligens, Benedictinorum Religionem amplexus fuit, sæculo renuntians) multi Neapolitani Proceres, & per initia mensis Nouembris inclytam illam Ciuitatem ingressi, mox ferè omnes in morbos incidissent, (inter quos recordor fuisse Marchionem Briensem, Marchionem Ioiosæ, D. Ferdinandum Auolos, Com. Rochæ, qui tamen non ægrotauit, & alios, quos inter ætate, & prudentia ciuili eminebat Dux Vitri, cuius filius tenellæ tunc ætatis grauem, dubijq. euentus morbum vix superstes euasit) his minorantia medicamenta vt statim assumerent, difficillimè persuasi, quamuis eorundem in cunctis, ac singulis necessitas euidentissima foret, quòd in illo terrestri itinere manè, vesperiq. apud varios Principes, & Gubernatores Vrbium Adriatici littoris, splendidè, lautèq. conuiualibus epulis accepti, stomachum, primasq. Oeconomiæ nutritoriæ vias tum cibis crudis, & incoctis, tum humoribus eterogeneis corruptis (vnde & eorum aliqui vermes emouebant) refertas, ac plenas haberent. An relictis purgatorijs omnibus medicamentis, insistendum solummodò alterantibus, ac epicerasticis, tanquam contraria vi pugnantibus, quorum adminiculo alia retardare, imò extinguere solemus incendia? Neque hìc vlla euasionis spes est. Nam si marinas aquas vicinas per supremos, infimosq. hiatus, & caminos intrà montis barathrum immittere vel hominum exercitus tentaret, qui nec ardentium aquarum torrentes, nec cinerum, ac lapidum ignitorum turbines, ac proiectiones timesceret, hæ tantùm abest, vt ignes deleant, extinguantuè, vt eos potiùs pingui sua, & oleaginea substantia incendant, & ingeminent, vel certè, nisi difficillimè, ac diutur-

Aurea Marsilij Ficini sẽtentia.

D. Franciscus Com. de Castro.

Marchio Briensis.

Marchio Ioiose.

D. Ferdinandus Auolos.

Com Rochę

Dux Vitri.

Vtrum per alterantia sola.

Cur neque hęc iuuatura sint.

diuturna affusione obruant, & suffocent. Quinimò nec fontium, lacuum, fluuijuè Sarni haud longè inde oberrantis latices omnimodo frigidi, & humidi, ad id mali æstuosi genus infringendum, castigandumq́. quidquam conferunt. Quoniam primùm, vbi sulphurei, præcalidiq́. humores, & paris naturæ mineralia copiosè dominantur, ab aquis tam ebibitis, quàm iniectis ambo excandescunt, velut igniti carbones apud fabros ferrarios, dum modica illis aqua superaffunditur. Vnde Hipp. alicubi scripsit, in biliosis corporibus, & febribus ardentioribus aquam in bilem mutari, ac degenerare, de qua re ego diffusè in meis Cent. de Quæsit. per Epist. & quia deinceps, cum coruscationes, ignesq́. Vesuuiani mineris hæreant bituminosis, quæ ab aquis omnibus, tanquam ab igne ignis, inflammantur, malum augebunt, nedum imminuent. Quare, dum ea, quæ prodesse solent, potiùs lædunt, quàm in angusto spes reliqua sit, pro tanto malo debellando, aliorum iudicium esto. Quòd si curatiua methodus morbum, eiusq́. dira symptomata præsentia sanare incassum doceat, obnitaturq́. propter allatas rationes, aut quòd iam morbus ipse sit ex se, si non penitùs, saltem maiori è parte abolitus, nullis indigens Medicorum auxilijs curatorijs, cuiusmodi nunc Vesuuianus esse dici potest, licet paucos ante dies Augusti mensis præteriti densissimos fumos, cineresq́. cum antegressis bombis, vomitibus aquarũ, ac horrificis terræ motibus, cum damno, & pauore accolarũ, vicinorumq́. euomuerit; vtrum boni aliquid pręebit Prophylactice ad idẽ mali genus nõ subeundum? Ne scilicet ampliùs paroxysmus eius reuertatur, aut, nisi per distantissima interualla, seu, valde modestiùs, quàm hodie fecerit? Hùc etenim vergunt Medicorum scopi in Præseruatione. Quam prouinciam nihilò minus difficilem, & arduam iudico superiori, quoniam ægritudo hæc in Vesuuio ab vtero manat, à primis dico exordijs, quæ in animantibus semen sunt, & sanguis, in monte verò

Quãdo aqua in corporibus in bilem vertitur.

Vtrum, cum hodie in Vesuuio morbus ferè extinctus sit, Prophylactice locum habere possit. Quinã scopi in ea soleant collineari. Ab Auctore cur vel impossibilis vel difficillima prouincia iudicetur.

est

est primaria constitutio, quam Deus illi in creatione totius Mundi tertia die indidit, quæ tam in structura partium eius, quàm propria temperatura, & qualitate minerarum consistit. Morbi autem à semine, & sanguine implantati, qui hæreditario quodam iure in posteros descendunt, insanabiles iudicantur, quòd in visceribus præcipuis fixas egerint radices, idest, hecticas, non scheticas discrasias impresserint, quarum culpa noua rursùm colliguntur excrementa, in periodicorum morborum instaurationem. Quare desperata videtur esse mali huius in Vesuuio tam sanatio, dum presens affligit, quàm præseruatio, tempore medio, & interualli appellato, quo emissaria vocata, seu fonticuli non leuiter iuuare creduntur, ad retardandam humorum, vaporumq. collectionem, quòd per huiusmodi aperturas euocentur ambo, & expirent; vnde è voragine, hodierni tremoris, & incendij occasione, amplissimè dilatata profundæ montis exhalationes (quæ hucusque intrà angustos nimis mæandros inuitæ cohibebantur, proindeq. auctæ, & concitatiori motu percitæ, nec promptum, & idoneum exitum reperientes, modis suprà enarratis, cùm tremorem, tum flagrorem inuehebant) in futurum iugiter ad libitum proditure, in causa fortasse erunt, vt malum hoc Vesuuius non sentiat, aut, nisi per longiora spatia, quàm sit hactenùs obseruatum, aut deniq. mitiori paroxysmo. Vt enim ab initio hodiernæ accessionis vehemens tantoperè fuit, non solùm ob copiosæ nimis materiæ, è qua subleuabantur exhalationes, incensionem, sed etiam quòd inchoans per valdè angusta orificia tam ignitæ, quàm non, sed tantummodò agitatæ exhalationes ipsæ exilire cogebantur, sic vice versa, reseratis vijs, tamq. lata, & oblonga, qualis hodie facta apparet, dehiscentia perseuerante, verisimile fit, inposterum minori admodùm cum impetu desæuiturum. Nonnulla tamen denique menti occurrunt remedia, in accolarum, & proximorum populorum beneficium, obliuione non obruenda. I. Antidotum est ad-

Morbi ab vtero cur plerumque insanabiles.

Fonticulorũ vtilitas, & Voraginis hodie in Montis cacumine dilatatissimę.

Antidota quatuor ad preseruationem conducentia. Primum.

uersùs Pestem decantatissimum, quod alij *Pilulas de tribus* nuncupant, *Citò, Longè, Tardè*, imò, si pro *Tardè* poneretur *Nunquam* vtilius prorsùs foret; quippe etiam Seneca 6. Quæst.nat.1. narrat Vesuuianos olim plurimos, post ingentem susceptam cladem, monti, & Campanię renũtiasse, inq. alia migrasse loca, quod tamen nõ ab omnibus factũ fuit, vt nec hodie fiet, amœnitate loci contrariũ suadente, & præterita damna è memoria obliterante. Quod remedij genus commune erit cùm tremori, tum flagrori Vesuuij, & aliorum locorum. Quæ verò sequuntur, ad terræ motum magis pertinere videntur. II. Itaque remedium est, quòd tempore, quo sentiuntur terræ tremores, eligenda est potiùs habitatio in humilioribus tabernis, aut pauperum tugurijs, quàm in sublimioribus Regum turribus, alijsq. ædificijs, quoniam hæc præcipiti casui subiacent, non item illa, quæ, etiam si decidant, nullam tamen effatu dignam iacturam inferunt. Quare legitur, cùm, Romæ olim, sub Traiano, magnus perseueraret terræ motus, à quo ædificia multa diruebantur, iussu illius domos altiores sexaginta pedibus fabricari non potuisse. III. Remedium sit, vt in agris, & latis camporum spatijs, sub dio, intrà domunculas ex ligneis axis leuissimis constructas traducatur vita, imitatione summorum Principum, secùs ac facere soleant, dum fulmina de Cælo vibrantur; quippè tunc in abditissimas specus confugiunt, vt Tiberium Imper. facere consueuisse è Suetonio alibi annotauimus; Quem nescio an Plinius tacitè carpere voluerit, dum lib.2. cap.55. de fulmine loquens ità scribit: *Nec vnquam quinis altiùs pedibus descendit in terram. Ideò pauidi altiores specus tutissimas putant*. In qua diuersitate nihil est quod miremur. Siquidem ambo hostes acerrimi, sed alter intrinsecus, domesticusq. & sub pedibus, quoquouersum nos vel intrà proprios parietes vertamus, idcircò remedium in fuga ad exteriora loca sub dio posita; alter extrinsecus ab aere in nos desæuiens; vnde spes salutis in intimioribus domicilio-

Secundum.

Edictum Traiani.

Tertium. Cur tempore terrę motuũ sub dio, tempore verò fulminum, intrà abditissimas specus morandũ sit.

Plin. in quo Tiberium carpere videatur.

miciliorum receſſibus. Quantum verò ad terræmotum, præter ſuperiùs allatum exemplum Bonifacij Octaui in agro Rheatino, narrat etiam Ioſephus Iud. Antiquit. lib. 15. cap. 7. quòd, cum Iudæa terra quasi nunquam antè motu concuſſa fuiſſet, magnamq. per totam eam regionem iacturam incurriſſet, pecudum, quin & hominum oppreſſa eſſent ruinis ædium circiter decem millia, militaris tamen multitudo nihil detrimenti accepit, vt potè ſub diuo agitans. Ità quoque ad Vlyſipponem Luſitaniæ Metropolim maximo ſuſcitato terræ tremore Ann. MDXXXI. quo ſuprà mille, & quingenta corruere ædificia, magna cum hominum ſtrage, cuiq. non multos poſt dies ferina Lues ſucceſſit, Rex, & Regina in apertis & ſub dio poſitis locis aliquandiù intrà ligneas caſas cohabitantes, ab altiorum Vrbis domorum decidentium ruina ambo præſeruati fuere. Quinimò & Theodoſius Secundus Imper. circà annum CCCCXXXXIII. diuexante Byzantium terræ motu menſibus quatuor, vnà cum alijs coactus Vrbem relinquere, locum ſub aperto Cælo elegit, quem Campum vocant; vbi admirandus prorsùs caſus cunctis euidens apparuit. Nam, dum ſimul omnes ad Deum preces fundebant, alta voce dicentes *Kyrie eleiſon*, en coram omni populo in aerem ſubleuatur puer, voxq. auditur hortans ſingulos, vt Litanias cantarent, illis Hymnum addentes: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*. Quo peracto, demiſſus in terram puer ſtatim animam efflauit, ſepultuſq. fuit in Templo Pacis, & locum, è quo puer in ſublime fuit elatus, *Ipſomathion* dixere, hoc eſt, ***Diuinam exaltationem***. Vnde Proclus Epiſcopus ſanciuit, vt annuatim ſolennes preces fierent, ac ſupplicationes cum Litanijs publicè canerentur, & cum Hymno, quo ex aeris regione audito, mox terræ motus ceſſauit. Addo quòd Beata Pulcheria Imperatoris ſoror ſimul cum fratre mandauit, eundem Hymnum quotidie in cunctis Eccleſijs decantari, vt factum fuit. Quo exemplo abundè nimis

Exercitus Iudęorũ quomodo ſeruatus tempore terrę motus.

In terrę motu ad Vlyſipponem ſęuiſſimo, vt Rex, & Regina ſe pręſeruauerint.

Et Theodoſius Imp. II. in altero ſui temporis, vbi caſus miraculoſus refertur.

constare potest cuique verè Christiano, quantæ energiæ futurum sit quartum remedium, quod iam iam subnectetur, & quàm mirabiles sint effectus ab omnipotenti Dei manu emanantes. Quartum denique sit auxilium diuinum, quod est omnium tutissimum, ac maximè præsentaneum, ad quod semper in morbis cunctis, & afflictionibus confugere debemus, sed in his potissimùm casibus adeò portentosis, in quibus aliquid diuini inesse creditur, vt pluribus suprà demonstraui. Licèt enim medijs causis secundis ad hos promouẽdos Dominus persępè vtatur, ipse tamen primaria causa est, à qua valdè maior in effectis, ac euentis inditur, imprimiturq. vehementia, quàm à causis simpliciter fiat secundarijs, proindèq. idem solus est, qui præ sua immensa pietate ab huiusmodi accidentibus nos miseros mortales ad libitum intactos conseruare potest. Experti id hodie sunt Neapolitani, qui, postquàm per Intercessores, & Aduocatos apud Sanctiss. Triadem, perq. lacrymas, & omne genus humilitatum, ieiunia, orationes, flagellationes voluntarias, ac eleemosinas, diuinam iram placauerunt, illicò tanti mali impetus, qui in horas, & momenta sæuiùs ingruere videbatur, diuina miseratione mitefactus apparuit. Qua in re nolo silentio inuoluere exemplum, quod in consimili casu dedit Iustinianus Imp. cuius ætate cum terræ motus quàm magnus Antiochiam conquassaret, internecione multorum, de quibus fuit Euphragius Episcopus, qui sub Templi ruinis obrutus inuentus est, quò se verteret, ignorans, indicibili humilitate, & attritione ad Deum confugit, sacco vestitus, &, Imperatoria deposita corona, diù tantam deplorauit calamitatem. Qui terræ tremor tunc cessans, nihilòminus, duos post annos, denuò Vrbem illam inuasit atrociter, vnde omnes, qui à priori concussione salui remanserant, nudatis pedibus publicè incedebant, clamantes *Kyrie eleison*; quo tempore, viro integræ, ac sanctæ vitæ reuelatum fuit, vt cunctos hortaretur ad perennes supplicationes, assiduasq. preces, Ianuis

Quartum, & vltimum, sed omniũ potentissimum.

Exemplum pijssimũ in terrę motus periculo, Iustiniani Imp.

domorum superscribentes; ***Christus nobiscum***, ***state***. Ad quæ tremor cessauit, subitòq. Imperator pecuniam largiter erogauit, vt collapsa magna ex parte Ciuitas reædificaretur, &, nomine mutato, *Theopolis* vocaretur. Eadem pietate, & religione idem verè Christianus Imperator circà Ann. DLVI. & DLX. cum terræ motus Constantinopolim vexaret multis diebus, per hos nunquam Diadema suo capiti imponi permisit, & noctc Nat. Domini ad Templum iuit, interdicens ibi de more anteà celebrari solita nescio quæ conuiuia, iubensq. impensam illam in pauperes distribui, inq. eos maximè, qui in vnum conuenientes quotidiè per Vrbem Litanias deuotè, ac piè cantitabant. Dictum denique Hippocratis est in Epidemijs: *Ostendit autem sanatio*, & aliud ibidem eiusdem simul & Galeni: ***Eadem sunt præseruationis remedia***, ***quæ sanationis***: Si ergò Deus hodie, sicut & aliàs, tam euidenter, per Beatissimam Virginem Mariam, & S. Ianuarium Intercessores, Neapolitanis, & cæteris vicinis populis præsens adfuit, ac frementem, insolescentemq. belluam, [illegible] supremam minitantem ruinam, ac vltimum, per ignem, terræq. aperturam, excidium, tot precibus, tot lacrymis effusis, totq. alijs pijssimis editis operibus placatus, citò repressit, nec non tantæ eius vehementiæ, tantoq. furori mirabiliter obstitit, ad Deum ipsum Parentem indulgentissimum perpetuò mentis oculi collineentur, & quotannis, dies, quo malum mitescere, ac declinare visum est, solenniter lætus sit, ac feriatus, ad grates solùm, pro tanto beneficio, Trino Deo peragendas, destinatus. Qui ideò omnipotens, & misericors Dominus, vt nunc curantis Medici munere fungens, Vesuuij Motum, & Incendium compescendo, sanauit, ità in posterum, ægritudinem tam grauem, funestam, & reuersiuã, stata ferè periodicatione, ab accolis, vicinis, & monte ipso, causarum congerici præpeditione, longè arcendo, tutos omnes, & integros præcauebit. Cui laus omnis sit & gloria.

FINIS.

Iustiniani Imper. pietas, humilitas, ac munificẽtia. Antiochia, quando, & cur Theopolis dicta.

Binę Hipp. sententię de curatione, & pręseruatione.

Deus curantis, ac pręseruantis Medici officio fungens.

Quæ Tibi, Lector candide, in legendo hoc meo Opusculo occurrent errata, siue Operarum incuria, siue etiam mea oscitantia, æqui, obsecro, boniq. facito, inter quæ grauiora mihi visa, in hunc modum corrigenda esse statui.

Pag.2. eò, quòd, lege, eo quòd. p.18. vergeabat, l. vergebat. p.25. insiluit, l. insilijt. p.37. Aetnæ quæ, l. Aetnæ, qui. p.39. saugine, l. sanguine. p.40. in marg. Monstrosum, l. Monstrosus. p.41. sequunrus, l. sequuntur. p.46. montis, l. montium. p.51. Arli. Alij l. Aralij, alij Arelij. p.53. indagari, l. indagare. ibidem, difficilè, l. difficile. p.56. Hoc in loco ad extremum Capituli subnectenda erat historica notatio Incendiorum Vesuuij innominati P. Iesuitæ, quàm post errata iam notari cępta ante oculos ponet Typographus. * p.74. quippe qui &, l. quippe qui Neapolitani &. ibidem, vasculum primo loco positum deleatur. p.76. Paralello, l. Parallelo, p.81. cofertim, l. confertim. p.82. continuam, l. continuum. p.83. in marg. vi terræ motum, l. vi terræ motuum. sicut ibidem ad initium primæ lineæ, terræ motum occasione; l. terræ motuũ occasione. ibidem in extrema linea, de e ipso, l. de se ipso. p.85. alias, l. aliàs. ibidem, circumnullantia, l. circumuallantia. p.87. mandasse, l. amandasse. p.89. sauctam, l. sanctam. p.93. vtriusque, l. vtrisque. p.100. peristatico, l. peristaltico. p.113. efficiens, l. efficiens. p.123. Quòd, l. Quod. p.131. tantùm, l. tantum. p.132. lunari, l. terreno. p.137. accederet, l. accideret. p.141. egredis, l. egredi. p.143. cancantet, l. cantet. p.144. & ex. deleatur &. p.146. Dialecticalia, l. Dialectica. p.147. Mullos, l. Mulos. p.149. miralblis, l. mirabilis. p.156. ad Præsagium, l. priùs ad Diagnosim. p.164. oblediunt, l. obediunt. p.168. Deo, l. Deos. p.169. in marg. Aetna, l. Aetnam. p.171. inferrantur, l. inferantur. p.177. inhabimus, l. inhabitamus. p.192. commentita, l. commentitia. ibidem, in tex. Græco Arist. l. πνεύματα. p.198. euidenter emanat, ponito, aut legito post feruescẽte. p.209. fomites, l. fontes. p.219. interclunio, l. interlunio. p.221. post vasorum, adde, referatur. p.222. Talcis, l. Talci. p.223. in marg. vb Auia, l. vbi Auia. p.229. ab illi, l. ab illis. p.235. cõprobatur, l. cõprobantur. p.246. reciduare, l. recidiuare. p.259. in rem, l. in re. p.288. quatordecim, l. quatuordecim. p.297. in marg. cõbustio, l. combusti. p.301. in marg. quomodo, l. quomodoq. p.304. populus, l. populos. p.305. enectat, l. enecat. * conflagrauerint, l. consumpserint. *p. 63.*

Eruptiones flammarum è Monte Vesuuio, quoties hactenus euenerint, historica notatio per ordinem temporum digesta ab vno è Patribus Societatis IESV.

Prima ante Christum natum saltem semel id accidit, vt testantur Beros. Chaldęus lib. 5. Antiq. apud Leandrum Albertũ 12. descr. Italiæ reg. 5. pag. 191. Strabo lib. 5. Geograf. vbi subiectorũ locorum fertilitatem cineri sæpè delapso attribuit, quemadmodum etiam Cassiod. affirmat. Lucretius lib. 6. vbi agens de ignibus subterraneis hæc habet.

—— —— —— credet qui nouerit Aetnam,
Et qui vitiferi benè nouerit acta Vesuui.

Hi versus non sunt Lucretij, vt autumauit Capacius, à quo verisimile est auctorem hũc eos decerpsisse, nec Borgij, vt alij notarũt, sed alterius Auctoris de quo ego infrà.

Florus lib. 3. cap. 20. agens de bello seruili sub Spartaco seruos à Clodio Glabro in Vesuuio obsessos per fauces caui montis delapsos ait vitineis vinclis: Cauus ergò mons erat procul dubio ex antiqua conflagratione.

Secunda post Christum anno 81. Kal. Nouembris hora 7. Suet. in Tito c. 8. Dion Cassius in Tito, Plinius Iunior in duabus Epist. ad Tacitũ. Orosius lib. 7. c. 9. & alij; præcipuè Spondanus ad illũ annũ, qui refert ex Dione Primò magnũ numerũ hominũ inusitata magnitudine in eodē monte, regioneq. finitima interdiù, noctuq. vagari in aere visos esse. Post hæc consecutã maximam siccitatē, & graues terræ motus: Auditos etiã sonitus subterraneos, tanquàm tonitrua. Deinde Mare fremere cępisse, omneq. Cælũ resonare, ingentēq. & repentinũ fragorē, quasi mōtes simul cōciderent, exauditũ. Tum verò exilijsse primùm immensos lapides, deindè magnã copiã ignis, fumiq. itaut omnem aerem obscuraret, occultaretq. Solem: Vnde plerisq. persuasũ esset Mũdũ in chaos redigi, aut igne consumi. Tantã enim fuisse copiã Cineris, vt Terram, Mareq. atq. ipsũ Aerem compleret; Maxima illato hominibus, prædijs, atque pecoribus damno, omnibusq. piscibus, ac volucribus peremptis, & duabus Vrbibus Herculano, & Pompeis populo sedēte in theatro penitùs obrutis. Postremò tantum fuisse cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Ægyptum, introierit etiam Romam, eiusq. aerem compleuerit, & Solem obscurauerit, & demùm grauem pestilentiam excitauerit.

Tertia Anno 305. Simon Maiolus colloqu. 16. quo anno passus est S. Ianuarius, qui tunc ignem extinxit; Licèt credatur post à S. Ianuario Vesuuianos ignes extinctos.

Quarta Anno 321. Cōstantin. 16. Theatrũ vitæ hum. to. 23. lib. 1.

Quinta Anno 471. Marcellinus in Cronic. & alij ex Spōdano, qui sic ait ex Marcellino. Hoc eodem anno Marcellinus tradit Vesuuiũ

Cam-

Campaniæ mõtem torridum inteſtinis ignibus æſtuantem exuſta euomiſſe viſcera, nocturniſq. in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto cõtexiſſe puluere, eiuſq. metuendi memoriā cineris poſthac annuè octauo idus Nouembris Cõſtantinopoli (Simplicij Papæ anno 5. & Leonis 16. & Olybrij) celebrari ſolitā; eò enim vſq. perlatū eſſe Cinerē, eademq. die annuis Deū placari ſolitū ſupplicationibus teſtatur etiā Procopius, qui & Tripuli Lybiæ altero, & ſubſequenti anno eiuſmodi cinerem elapſum affirmat.

Sexta Anno 472. Sigonius de Occidentali Imperio: Hoc autem eſt illud incendium, de quo meminit Caſſiodorus lib. 4. Epiſt. 50. & Capacius lib. 2. Hiſt. Neap. cap. 8.

Septima Anno 473. Procopius lib. 2. de bello Gotico, vbi meminit etiam incendij ſuperioris anni apud Spondanū anno 472. n. 5.

Octaua Anno 512. Sigonius de Occident. Imper. lib. 12. & Theatrum vitæ humanæ loco citato.

Nona Anno 537. Capacius loc. cit. ex Procopio; quo anno Beliſarius ex Baronio cępit Neapolim.

Decima Anno 685. Sigon. de Regno Italię lib. 2. & Plat. in Ben. II.

Vndecima Anno 897. Herempertus in Epitome.

Duodecima Anno 993. Baronius hoc anno, & de hoc incendio fusè loquitur B. Petrus Damianus tom. 3. Opuſc. 19. hoc enim tempore mortuus, & ignibus Veſuuianis damnatus creditur Auus illius Guarij Marij Principis Salernitani, qui ex Chronic. Caſſinen. lib. 2. cap. 84. occiſus fuit Anno 1051.

Decimatertia Anno 1024. Capac. loc. cit.

Decimaquarta Anno 1036. Anonymus Caſſinen. in ſuo Cron. & Capac. loc. cit.

Decimaquinta Anno 1049. B. Petrus Damian. loc cit. vbi ait eodē anno accidiſſe incendiū Veſuuianū, & mortem Pandulphi Principis Capuani viri peſſimi, qui ex margine Cron. Caſsin. lib. 2. c. 82. hoc anno mortuus eſt: Et de quo dicit idē B. Damian. quandocūq. in illis partibus pręcipuus aliquis reprobus diues, vel alius inſignis peccator ſine pœnitentia moreretur ignis erumpere de prædicto monte videbitur tanquam ſulphureæ reſinæ congeries flluere, vt torrentem faceret, atq. decurrenti impetu in mare deſcenderet.


Decimaſexta Anno 1138. Anonymus Caſsinenſis, qui hoc incendium per dies 40. duraſſe aſſerit.

Decimaſeptima Anno 1139. Falco Beneuentanus in ſuo Cron.

Decimaoctaua Anno 1500. circiter Ambroſius Nolanus lib. 1. cap. 1. Capac. lib. 2. cap. 8.

Decimanona Anno 1631. Menſis Decemb. die Martis 16. ante Auroram hora circiter duodecima.

321



1.7.246

controllo collazione;
restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502,508, e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
ricomposizione fascicoli;
pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
loose guard in carta giapponese Vang 517;
cucitura piena su 4 nervi di canapa singoli: fili di lino inglese, corde di pura canapa a 5 capi;
preparazione piatti: cartone fibrato nel verso, cartoncino LC Fabriano; scarnitura dei cartoni a smussare gli spigoli ed agevolare lo snodo;
incartonatura: foratura con punteruolo, secondo ordine di fori sfalsato verso il piede; scodelle eseguite con sgorbia; infilatura nervi;
passaggio in colla del dorso: Tylose MH300p rimossa a spugna;
stondatura del dorso;
capitelli base naturali passanti al centro fascicoli e sotto catenella: anima in canapa, fili lino inglese ritorto;
capitelli ornati: cuciti su capitelli base in cotone ritorto fiorentino, doppi;
indorsatura: caselle in carta giapponese Vang 517, adese al dorso con Tylose MH300p 6%; caselle in cuoio naturale adeguatamente scarnito, adese su giapponese;
preparazione della pelle: scarnitura a coltello di bordi e cuffie; pelle di capra a concia mista;
copertura: adesione della pelle preparata con TyloseMH 300p;
staffilatura dei nervi;
compensazione dei contropiatti al rimbocco della pelle con cartoncino LCFabriano;
incassatura delle controguardie a piatti aperti: Tylose MH300p al 6%

luglio 1998

